UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

urn:nbn:de:hbz:466:1-66624

Visual Library

Th. 5778.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CLAUDII FLEURII
ABBATIS
HISTORIA ECCLESIASTICA
A QUODAM ANONYMO CONTINUATA,
ATQUE A
R. P. ALEXANDRO
A S. JOANNE DE CRUCE CARMELITA EXCALCEATO
PROVINCIÆ BAVARICÆ DEFINITORE PROVINCIALI,
OLIM S. THEOLOGIÆ, AC SS. CANONUM
LECTORE
LATINE REDDITA, NOTISQUE CASTIGATA,
ATQUE BEROLINENSIS CENSURÆ CONFUTATIONE AUCTA.

CONTINUATORIS
TOMUS VIGESIMUS
SEU IN ORDINE
TOMUS XLIV.

Collegii S.J. Laden 1773

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562.



AUGUSTÆ VINDELICORUM, & OENIPONTI
IMPENSIS JOSEPHI WOLFF. MDCCLXXI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



Benevole Lector.

Hucusque secundis Musis continuatam Fleurii Abbatis Historiam, ejusque versionem latinam usque ad vigesimum perduximus Tomum: cum autem non paucos sciendi desiderium incesserit, quot adhuc tomi prælo subjiciendi restent, horum etiam votis satisfacturus significare volui, quod circiter septem, vel octo versionis meæ tomi supereſſe videantur, quibus in lucem editis integrum Continuatoris opus latine redditum intra breve temporis spatium publicam lucem aspiciet: quoniam vero hic idem Author morte præventus suam continuationem duntaxat ad annum Domini millesimum quingentesimum nonagesimum quintum perduxerit,

plurimi tamen ex literatis hanc hiſtoriam eadem methodo continuari deſiderent, hinc ſi vita comes fuerit, ac per creberrima, quibus obruor, negotia vacaverit, illam proſequi ſtatui, hujus laboris ſat moleſti faſtidium leniente Lectorum meorum benevolentia, qua hucusque tam meam verſionem, quam ſubinde adjectas annotationes æqui, bonique conſulere dignati ſunt; non equidem ad id me incitabat cunctis placendi ſtudium, nam de omni re varia ſunt hominum judicia, & præprimis *pro ſenſu Lectoris habent ſua fata libelli*: parum autem curandum eſt illorum judicium, qui præcipue in hiſtoricis nonniſi ea deprædicant, quæ ipſorum aures titillant, vel ex privato odii, aut vindictæ, vel amoris ſtudio juxta corrupti ſæculi genium conſona videntur, parumque de rei geſtæ veritate, minus vero de Religionis honore ſolliciti, quicdquid ſacrum, religioſumque eſt, nauſeant, faſtidiunt, & tanquam de veritate ſuſpectum contemnunt: ſed ejusmodi hominum nec laude, nec approbatione lætor, neque illorum cenſoriam virgam vereor; quippe probe ſentientibus, veritatem amantibus, ac ſano judicio præditis laborem meum utut exiguum conſecro, illumque ulterius favente Deo proſequi intendo.

Cum vero jamjam in eo eſſem, ut præſens hoc opuſculum ordine quadrageſimum quar-

quartum absolverem, illudque typis impressum publici juris facerem, tunc in manus meas inciderunt literariæ cujusdam Berolinensis critici annotationes, quas idem in sua appendice a tertio usque ad duodecimum volumen sui germanici operis, cui titulum præfigit: Allgemeine deutsche Bibliothec, gedruckt in Berlin, und Stettin, verlegts Frideric Nicolai, hoc anno 1771. edidit: Ibi præfatæ hujus lucubrationis Author pagina 454. Historiam Ecclesiasticam Abbatis Fleurii a tomo XXIII usque ad tomum XXXVII recensens præter alias variorum operum censuras præcipue perstringit annotationes meas, quas Fleurianæ historiæ continuationi hinc inde subjunxi, ubi id immoderatam scribendi licentiam castigandi, vel hallucinationes corrigendi necessitas, sanumque judicandi ingenium prudenter suadebat: de cetero autem ultroneus hic censor tam meæ versionis rationem, quam ipsius Continuatoris opus penitus intactum reliquit, eoquod totam suæ criseos vim in adjectas hasce annotationes meas exonerare voluerit, mihi indignatus, quod pro more Protestantis illius interpretis, qui Lipsiensem Fleurianæ Historiæ germanicam editionem merito proscriptam vulgavit, notas Religioni Catholicæ admodum contumelioſas non adjecerim, in Pontifices acerbius non insurrexerim, atque Ecclesiasticorum vitia ipso

etiam Continuatore ſeverius non exaggeraverim, ac dogmata, in quibus Proteſtantes a Catholicis diſcrepant, obſequioſo ſilentio non approbaverim, atque, prout nonnullis Pſeudo-Catholicis, falſisque Politicis hodiedum ſat ſolemne eſt, ita animo Catholicus eſſe noluerim, ut tamen lingua apud fidei adverſarios ex nefando famam comparandi ſtudio hæreticus eſſe videar: paucis, hic Author mihi ſuccenſet, eoquod Pontificibus Romanis nimis propenſum me exhibeam: quam vere autem hoc judicium de hujus Viri criſi feram, adeo quilibet obvio oculo haſce cenſuras percurrens diſpiciet, ut opus non ſit, eſſe aquilam, ſed ſufficiat, non eſſe talpam. Equidem non uſque adeo arrogans ſum, ut me non raro humana paſſum fatear, multaque fors occurrere credam, quæ in tanta rerum varietate, ac copia vigilem etiam oculum ſubterfugerunt, atque ſolertiam impigre impenſam eluſerunt: quandoque enim etiam bonus dormitat Homerus: num vero Berolinenſis cenſura ſit æqua, ac juxta prudens artis criticæ dictamen pronuntiata, poſſem equidem ſaniorum, literatorumque judicio relinquere, quin vel ullum reponerem verbum; eruditorum enim non pauci, qui literarii hujus Berolinenſis Novelliſtæ notas meis animadverſionibus inuſtas perlegerunt, easdem nullo, quod doctum, prudentemque virum convincere poſſet, argumento

mento ſuffultas deprehenderunt, minus vero illas adeo validas cenſuerunt, ut quempiam a partium ſtudio alienum eo inducere valerent, ut de me ſuſpicaretur, perinde ac ſi continuatæ Fleurii Hiſtoriæ quicquam veritati minus conſonum, aut ad arbitrium meum quocunque demum ex fine conſictum intrudere voluerim, vel in caſtigandis Continuatoris mei nævis debitæ moderationis limites exceſſerim: hoc quidem erat doctiorum judicium: ut tamen cuivis adhucdum clarius mea haud culpata, nec corrupta agendi ratio pateſceret, cunctis palam facere decrevi, ea, quæ in meis annotationibus ab erudito hoc viro carpuntur, immerito ironica ſua cenſura fuiſſe perſtricta, ac facillimo brachio refelli poſſe; cum hujus Viri cenſura nequaquam læſæ veritatis jura vindicare, ſed duntaxat Religionis, ſedisque Apoſtolicæ auctoritatem a calumniis vindicatam deplorare videatur: Ut vero hac in re omni, qua par eſt, ſinceritate, ac perſpicuitate procedam, ac cuilibet tam de meis notis, quam de earum cenſuris expedita judicandi facultas ſit, preſſo pede, ſi ita loqui fas eſt, hujus Critici veſtigiis inſiſtere, nec ullum, quod in me vibravit, verborum jactum ſubterfugere ſtatui: hinc ſingula, quibus me appetiit, cenſurarum verba idiomate, quo ſcripſit, Germanico ſumma integritate referam, illarumque confutationem in Paragraphos

diviſam mox ſubjungam: equidem illa argumenta, circa quæ Catholicos inter, & Proteſtantes fervet litigium pro ea, quam ſibi alias pro ſua dignitate vendicarent, prolixitate diſcutiendi animus mihi non eſt, nec id utrinque inſtituti noſtri ratio poſtulat: quapropter mihi ſatis, ſuperque erit, paucis demonſtraſſe, quod Berolinenſis hic Criticus ſanæ criſis regulas, aut non intellexiſſe, aut intellectas, quod verius cenſeo, neglexiſſe videatur: inde vero ortum traxerit, quod in ſiniſtram partem interpretaretur id, quod veritatis ſtudio impulſus literariæ Reipublicæ, ac hiſtoricæ veritatis amantibus propinaveram. Sit igitur

§. I.

Cenſor Romano-Catholicis Scriptoribus Eccleſiaſticis generatim fidem abnegare videtur.

Berolinenſis hic Cenſor pag. 455. Fleurianæ Hiſtoriæ, ac Continuationis, meæque verſionis tredecim tomulos (forte tanti laboris moles neceſſarias ad reliquorum ſex opuſculorum criſin vires exhauſerat) recenſens ſuam mentem prævie his verbis explicat:

Der Ueberſetzer, welcher der Pater Alexander a S. Joanne a Cruce Carmelita excalceatus Prov. Bavaricæ, olim S. Theologiæ, ac SS. Ca-

SS. Canonum Lector iſt, hat auch Anmerkungen hinzugefüget. Man weiß, wie eine Kirchengeſchichte von römiſch catholiſchen Verfaſſeren beſchaffen ſeyn wird. Prima hæc verba latine ſic reddo: *Nullus ignorat, cujus conditionis erit Hiſtoria Eccleſiaſtica a Romano-Catholicis Authoribus conſcripta:* Hæc verba nec meam verſionem, nec annotationes meas, ſed omnem Hiſtoriam Eccleſiaſticam a Romano-Catholicis editam petunt, ejusmodi autem cenſura utpote univerſalis, nimis acerba, ac tot Scriptoribus omni ævo clariſſimis, ac Religione Catholicis ſumme injurioſa videtur, juxta quam Sanctiſſimi æque, ac doctiſſimi primorum Eccleſiæ ſæculorum Patres, ex quorum fontibus Romano-Catholici Authores hiſtoriæ ſuæ aquam liberaliter hauſerunt, aut falſitatis, ſimplicitatis, aut præoccupatæ mentis vitio laboraſſe redarguuntur. Forte hi Sancti Patres Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, Athanaſius, Gregorius, Epiphanius, Cyprianus, Baſilius, aliique Religione non erant Romano-Catholici, ſed Calviniſtæ, Lutherani, Zwingliani &c. Num Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ab Euſebio, Pamphilo, Nicephoro Caſtillo, Rufino Toranio, aliisque quamplurimis conſcriptæ alios recognoſcunt Parentes, quam Romano-Catholicos? ex illis autem Scriptoribus recentiores Romano-Catholici Authores, quicquid de Eccleſiæ ſtatu, propagatione, perſecutionibus,

ritibus, doctrinis, Pontificum, Præfulum, & Sanctorum Eremitarum vitis, hæreticorum erroribus &c. posteris reliquerunt, suas Historias concinnarunt: quis vero prudens, sanæque mentis homo de illis universaliter asserere audeat: *nullus ignorat, cujus conditionis sint Historiæ Ecclesiasticæ ab his Romano-Catholicis Authoribus conscriptæ*: Parcius ista viris! profecto noster eruditus censor telum hoc adeo incaute evibravit, ut non animadverteret, quod illud in ipsummet recidens omnes Scriptores Acatholicos feriat: si enim universaliter Historiæ Ecclesiasticæ a Scriptoribus Romano-Catholicis editæ nullius, aut saltem suspectæ (ut haud obscure innuere videtur) auctoritatis sint, plane exinde convincitur, quod omnes Historiæ Ecclesiasticæ de Romana Catholica Ecclesia a Protestantibus, atque Heterodoxis conscriptæ, aut pariter nullius, vel saltem suspectæ sint auctoritatis, vel prorsus arbitrarie confictæ, vel duntaxat ex suspectis, & adulterinis Scriptoribus haustæ.

Quippe ante ducentos circiter sexaginta annos, seu ante Lutheri, Calvini &c. tempora Scriptores, qui de Ecclesia, Summis Pontificibus, Conciliis &c. quædam posteris reliquerunt, erant ferme omnes Romano-Catholici, eaque monumenta, ex quibus hi suas historias concinnarunt, tunc pariter ab Authoribus Romano-Catholicis erant scripta, atque relicta, cum ergo Protestan-

teſtantes Hiſtorici, qui de Eccleſiæ rebus ante ſuorum Protoparentum tempora geſtis ſcripſerunt, ad elucubrandas ſuas Hiſtorias Eccleſiaſticas non alia, quam ab Authoribus Romano-Catholicis tradita documenta, hiſtoriasque habere potuerint, neceſſe eſt, ut etiam illorum quoque Hiſtoriæ nullius ſint auctoritatis, vel ſi quid novum, vel catholicis Scriptoribus adverſum in ſuis hiſtoriis referunt, ipſimet monumenta recens confinxerint, vel ab hæreticis antiquis, aliisque Eccleſiæ hoſtibus, quales erant Benno Cardinalis ſchiſmaticus, Arnoldus Brixienſis, aliique ejusdem furfuris homines, conficta, atque ex invidia, vindictæ cupidine, iræque impetu temerarie conſcripta mutuarint, ac propterea ſequatur, ut omnes ipſorum Hiſtoriæ utpote vel ex Romano-Catholicis, vel ex hiſce putidis, ſuſpectæque fidei ſontibus hauſtæ itidem nullius, vel ſaltem ſuſpectæ auctoritatis ſint, proin meliori jure de ejusmodi Proteſtantium elucubrationibus aſſerere poſſem: *Nullus ignorat, cujus conditionis ſint Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ a Proteſtantibus Authoribus editæ.*

Inſuper ſi hæc Cenſoris noſtri verba adeo generalia veritatem redolerent, quænam demum in univerſo perſtabit hiſtoria? ſi enim Acatholicis fas eſt fidem abnegare illis hiſtoriis, quæ a Catholicis ex ipſismet monumentis, ut vocant, originariis,

riis, seu Archetypis conscriptæ sunt, nonne potiori jure Catholici gaudebunt, atque utentur adversus Acatholicos, ita, ut ex solo ejusmodi Authoris nomine, & Religione de ejus fidelitate, atque ipso historiæ merito judicium ferre liceret, potiori inquam jure, cum Protestantium potissimi passim in omnibus suis historiis, imo in omnibus quibuscunque libris tot convitia, tamque pudenda, ac manifesta mendacia, atque atroces, manibusque palpandas calumnias contra Ecclesiam Catholicam, summos Pontifices, Ecclesiasticos, nostrosque ritus inspergant, ut quivis prudens lector primo obtutu, ac vix perlecta una, alterave pagina illico etiam Authoris Protestantis bilem deprehendens ejusmodi librum nil ultra valere judicet, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus: quinimo non modo Catholici, sed ipsi etiam saniores, magisque moderati Protestantes hodiedum in suæ Religionis Scriptoribus majorem modestiam, & in rebus recensendis, ac dijudicandis sinceritatem, integritatemque desiderant, nec non nimis effrænem calumniandi, & convitiandi, ac quæcunque sancta, & pia depravandi, & sinistre interpretandi libidinem deplorant, nec immerito, quia ex ea depravata hac judicandi licentia certe nil nisi verus Pyrrhonismus in Republica literaria, Imperio, atque Ecclesia enasceretur; si enim duntaxat

eo

eo ex capite, ac titulo, quod aliquis Scriptor sit Religione Romano-Catholicus, eidem impune, ac promiscue omnem fidem abnegare liceret, quis prudenter fidat Acatholicis, qui quam exacerbata, ac livida mente in Religionem Romano-Catholicam cæco prorsus impetu ferantur, vel ipsamet hæc verba: *Nullus ignorat &c.* a nostro Berolinensi Critico prolata sat manifeste indicant: porro in Historico-Critico nullum aliud vitium magis redarguendum videtur, nisi prædominans passio, seu privati affectus studium, quo quis vel amore nimio, vel odio immodico in illum, de quo scribit, fertur, atque ad scribendum impellitur; nam ejusmodi passionum suarum mancipia in publicam lucem edunt ea, quæ ad satiandum privatum affectum atra, atque exasperata bilis magis dictat, quam quæ germana veritas subministrat: unde evenit, ut Acatholici in sanctam Romanam Sedem cœco furore commoti in Pontificum invidiam, odiumque aniles excogitarint fabulas, quarum ipsosmet ejusdem quidem Sectæ Viros, magis tamen moderatos jam pudeat; exemplo sit fabula de Joanna Papissa, quam tot putidis mendaciis scatentem tam clare agnovit ipsemet Blondellus Calvinista, ut ipsam velut pudendum commentum exploderet: pariter Grotius in 1. Petri 5. v. 13. & cum eo Protestantium non pauci illos refellunt, qui Romanum Petri iter unice

ce in odium Catholicæ Eccleſiæ protervius inficiabantur, ut videre eſt apud Auguſtinum Calmet in diſſertat. de Itin. Rom. S. Petri. Ex eodem autem Catholicos convitiandi pruritu ortum traxit, quod Proteſtantes Hiſtorici teſtimonia Catholicis faventia, aut omnino ſuppreſſerint, aut nonniſi truncate protulerint, unice ſtudioſi, ut pro veris falſa venditent, cunctaque ſuæ libidini male ordinatæ accomoda incautis lectoribus obtrudant, prout haud immerito Clariſſimus Pater Parode in ſua Præfatione tom. 1. Lipſienſi Hiſtoriæ Fleurianæ Interpreti Germano objecerat: haud equidem diffitemur, quod Acatholici hi Scriptores (ſi verum fateri vellent) quadantenus hujus vitii obtentum quærere poſſent ex eo, quod neglectis, ſpretisque Autographis, ac genuinis primitus editis operibus (utpote conſcriptis a Romano-Catholicis Authoribus) plerumque ſuas hiſtorias conſarcinare coacti fuerint, vel ex arbitrarie excogitatis, confictisque, vel ex incertis vulgi rumoribus, aut lividis quorumdam epiſtolis, ac Satyris, in quibus impudentia cum mendaciis de victoria certat: attamen etſi hæc excuſatio benignius admitteretur, in hoc tamen manifeſtius culpandi, quod ſtudioſe ſuas hiſtorias nunc quoque conſuere ſoleant ex male conſarcinatis relationibus eorum Scriptorum etiam nominetenus Catholicorum, qui Eccleſiaſticis ſuis Superio-

perioribus rebelles, atque infensi in illos inimico prorsus calamo debacchati sunt, quos sedulo conquirunt, ut veluti squammati Philisthæi gloriari valeant, quod Authorem Catholicum perversis suis opinionibus ancillantem in castris Israel invenerint, qui pari cum ipsis ululatu prævie Ecclesiam allatravit. Inquiratur in originem omnium calumniarum, quibus ab Acatholicis impetuntur Pontificum potissimi, & vadem me exhibeo, quod hæ vel ab ipsis Protestantibus ultro fuerint confictæ, vel ex quodam Scriptore schismatico, hæretico, ac privatæ vindictæ, aut iræ libidine accenso a Protestantibus fuerint mutuatæ, & descriptæ: quæ autem fides adhibenda est Historiis, ac Scriptoribus ejusmodi conditionis? nonne potius per sanam crisin discutere deberent, qua mente tales scripserint, quibus ex fontibus ea deprompserint, an non potius adimplendæ vindictæ, ac rabiei æstro perciti, non vero veritatis studio animati sua dicta protulerint &c. hinc minime temerarius audiam, si asserere auserim, quod Protestantium Historiæ Ecclesiasticæ, si quid proferunt contrarium, injuriosum, ac diversum ab eo, quod Romani-Catholici, prudentesque, ac pii Scriptores reliquerunt, quod, inquam, ejusmodi historiæ merum sint commentum, ut patet in maxima parte Annalium Ecclesiasticorum e. g. Samuelis Basnage, nec non in Historia

ria Eccleſiaſtica Chriſtiani Eberhardi Weiſmanni, aliorumque: ſi enim hi in ſuis relationibus de rebus Eccleſiaſticis Catholicorum monumenta non ſequuntur, unde genuina ipſis ſuppetere poterunt documenta? cetera enim, quæ non edita ſunt, Pontificum diplomata, & decreta, Conciliorum Acta, Eccleſiaſticorum tribunalium deciſiones, factaque ad legitimas tabulas relata continentur in Scriniis, quæ Proteſtantibus adire haud adeo facile conceditur, nec etiam Proteſtantes circa ea, quæ vel Romæ, vel in aliorum Epiſcoporum Curiis, aut Catholicorum Principum, Regumque tribunalibus pertractantur, Eccleſiaſticasque cauſſas concernunt, conſuluntur, nec accerſentur, imo intereſſe prohibentur: quo ergo fundamento, ac ratione ſuffulti in ſuis hiſtoriis recenſere poſſunt ea, quæ a Catholicis ignorantur, nec in eorum libris reperiuntur: neceſſe igitur eſt ea ab Acatholicis ultro fuiſſe conficta. Cujus demum conditionis ſint ejusmodi Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ab illis conſcriptæ, nullus eſt, qui ignorat, cum hi I. pro veris conſcribendis hiſtoriis Eccleſiaſticis antiquos, ac genuinos Scriptores Catholicos repudient. II. Ipſamet authographa in ſuo, ut ajunt, fonte inſpiciendi copia careant. III. ac plerumque ſuis immoderatis paſſionibus erga illos, de quibus ſcribunt, obcæcati veritatis lucem aſpicere nequeant: major ergo fides

fides adhibenda Hiſtoriis Eccleſiaſticis, quas Romano-Catholici conſcripſerunt, ac conſcribunt; cum hi cuncta ex veterum Scriptorum, & authographorum fontibus hauriant, ac per Sancta Religionis ſuæ præcepta effrænes paſſiones ſuas domare didicerint.

§. II.

Continuatæ Hiſtoriæ interpretem peculiariter carpit.

Poſtquam autem eruditus hic Criticus generatim Hiſtorias a Romano-Catholicis conſcriptas acerbiori hac cenſura perſtrinxerat, ad particularia deſcendens, ita proſequitur: Allein die Denkungsart der Urheber nimmt ſich doch ſehr vortheilhaft vor der Denkungsart des Ueberſetzers aus. Da uns der letzte vorzüglich angehet, ſo wollen wir in einigen Beyſpielen den Geiſt ſeiner Anmerkungen zeigen. *Aſt ſentiendi ratio, quam ſequitur Author, longe nobilior eſt illa, quam adoptat interpres:* His verbis Cenſor non meam verſionem, ſed me, measque petit animadverſiones, quibus præcipue ea, quæ Continuator contra ſummos Pontifices, atque Auguſtiſſimam domum Auſtriacam aut incautius ex Acatholicorum libris deſcripſit, aut iniquius ipſemet addidit, falſitatis convincere, & redarguere conatus ſum, ac propterea longe diverſam ſentiendi rationem in meis notis manifeſtaſſe arguor, quam

Author in ſua continuatione prodidit. Nempe cum Continuatore præclare ſenſiſſem, ſi pariter in Pontifices, & Cæſares lividum calamum ſtrinxiſſem. Verum errat, aliosque ſecum in errorem ducit doctiſſimus hic Cenſor, dum ſibi perſuadet, aliisque perſuadere nititur, quod deceat conſcribere Hiſtoriam ſecundum eum, quem quis de aliqua re privatim concepit, ſentiendi modum; nam Quintilianus aſſerit, quod hiſtoria ſcripta ſit non ad probandum, ſed ad narrandum: prout aliquod factum contigit, ſic illud hiſtoricus referre tenetur, nec id ſuæ opinioni accomodare, minus vero ad ſatiandum ſuum affectum contorquere debet: *cum ergo* (verba ſunt noſtri Critici) *de poſteriori*, nimirum de verſore *nobis præcipue agendum ſit, nonnulla, ex quibus ſuarum annotationum Spiritus, visque elucebit, ſpecimina in medium proferemus:* primi autem ſpeciminis loco Cenſor adducit Sententiam circa auctoritatem Pontificis, quem Concilio Superiorem eſſe in meis animadverſionibus propugnabam, atque Continuatoris opinioni, ſeu nobili ejusdem ſentiendi rationi me oppoſueram: attamen eruditus hic Novelliſta de me, meisque notis, quibus ſubinde Fleurianæ hiſtoriæ Continuatorem caſtigavi, perperam ſentit, ſi forte exiſtimet, quod privatæ meæ, quam prius ultro concepi, ſententiæ hiſtorica facta conformare ſategerim; nam potius contrario

rio ſtudio incitatus, hunc laborem ſuſcepi; tunc enim duntaxat Fleurianæ hiſtoriæ quasdam adjicere annotationes conſultum duxi, quando illius Continuator illa, quam Galli quidam tenent, opinione abuſus in ſummos Pontifices, eorumque auctoritatem indignius inſurgebat: tum vero non, quid ego ſentirem, in medium attuli, ſed ex allegatis quibusdam probatioribus hiſtoricis protuli ea, ex quibus prudens lector hujus ſententiæ novitatem, & oppoſitæ vetuſtatem deprehendere, pariterque prudenti criterio concludere poſſet, an ſimplicem omnino fidem adhibere valeat illis, quæ Continuator plerumque ex Scriptoribus de Hiſtorica fide valde ſuſpectis deſcripſerat, atque ad propugnandam ſuam ſententiam produxerat: nec tamen inde quis inferat, quod propterea Continuatoris hiſtoria penitus ſit rejicienda, nam id ego probare nunquam aggreſſus ſum, ſed duntaxat illius nævos, quibus quivis ob humanam fragilitatem obnoxius eſt, palam facere ſtudui: cum vero & me ab omni nævo haud immunem ſcirem, hinc allatis ſaniorum hiſtoricorum teſtimoniis critico lectorum judicio perpendendum relinquebam, quid tandem credere, vel rejicere oporteret: porro id cum facerem, blandiebar mihi, ſolertis Critici partes pro munere mihi impoſito adimpleſſe, cum ipſosmet, ex quibus Continuator ſuam hiſto-

riam concinnabat, fontes adirem, & facta cum textu collatione ſubjicerem, quæ ex humanæ imbecillitatis vitio, & cæco privatæ opinioni adhærendi ſtudio aut minus bene perpenſa, intellectaque, vel in partem ſiniſtram verſa, aut truncate ab eo relata putabam. Quid ergo eſt, cur de meis notis queratur doctiſſimus hic Criticus, cui nullatenus incognitam eſſe credo illam, primamque artis criticæ regulam, quæ prohibet, ne quis ſcribat ea tantum, quæ putat cedere in depreſſionem illius, quem odio, aut minori affectu proſequitur: immerito igitur ipſe, cum Continuatorem ſuo affectui magis indulgentem, factaque Pontificum, quos plerique Acatholici odio plusquam Vatiniano abominantur, liberius increpantem videret, ipſius auſus tanquam nobiliorem ſentiendi rationem deprædicat, meam vero judicandi rationem aſpernari videtur ea ex cauſſa, quod ex hiſtoricis meliori in judicando prudentia claris, proin & majore fide dignis recenſuerim ea, quæ in Pontificum, aliorumque favorem ſalva veritate cedere exiſtimabam: videat jam Orbis literarius, ſimulque perpendat, quale judicium de ſpiritu, quo meas annotationes conſcripſi, ferre poſſit noſter Cenſor, a quo eruditi Critici laudes abs dubio emendicaſſem, ſi & ego ad Continuatoris exemplum, quando privatum id ſuadebat commodum, injurioſo in Sacram Sedem calamo

calamo usus fuissem, & humanos, eosque non adeo graves Pontificum nævos exaggerassem, meque Protestantium opinionibus propensum exhibuissem, & non raro cum lupis ululassem: ast præ omni laude, quam per proditam historiæ fidem promereri potuissem, potior mihi est veritatis amor; hanc enim ut huic operi redderem, & literato orbi dissipatis Continuatoris saltem quarumdam falsitatum nebulis manifestarem, unicus fuit scopus mearum annotationum: hoc spiritu animatus ea, quæ ex pessimæ notæ Scriptoribus Niemo, Sleidano, Sarpio, aliisque Continuator decerpsit, ex probatæ fidei Authoribus, quos vix non semper propriis verbis allegavi, meisque oculis sedulo pervolvi, emendare conatus sum: hac sentiendi ratione imbutus ea, quæ Continuator ex ingenito quasi odio, minusque ordinato affectu erga Augustissimam Domum Austriacam effutiit, refellere, ac referre studui, prout eadem narrant historici a partium studio alieni: interim parum anxius eram, quo animo meos labores susciperent præcipue ejusmodi homines, quibus bene judicandi sagacitatem præripit inordinatus affectus, quo infectantur omnium Catholicorum opera, præsertim tunc, cum in his declaratur genuina veritas, & manifestantur illorum fraudes, & technæ, quibus incautis illudere nituntur, & sensim in Catholicæ

Ecclesiæ Præsules odium, ac demum erga ipsam Religionem nauseam rudibus, atque incautis instillare satagunt.

§. III.

Primum Specimen circa Sententiam Ecclesiæ Gallicanæ.

Meam a nobili Continuatoris animo diversam sentiendi rationem in meis annotationibus manifestatam, illiusque primum Specimen Criticus noster his verbis exhibet: Der französische Fortsetzer vertheidigt bey Gelegenheit des berühmten Canons der 4ten Sitzung der Kostnitzischen Kirchenversammlung die Unterwürfigkeit des Pabsts unter die Concilia, als ein Glied der Gallikanischen Kirche. Hæc critici verba ad latinum idioma ita transferri queunt: *Gallicus Continuator, arrepta occasione ex celebri Constantiensis Synodi Canone Sessionis quartæ, tanquam Ecclesiæ Gallicanæ membrum propugnat, Papam Concilio esse subjectum.* In Ecclesiasticæ historiæ monumentis omnino peregrinum esse oportet illum, qui Ecclesiæ Gallicanæ Sententiam, quæ Summum Pontificem Concilio subjicit, noviſſimis primum abhinc temporibus invaluisse ignoret; longe enim aliter ante Concilia Constantiense, & Basileense Clerus Gallicanus etiam a temporibus Apostolorum ætati vicinioribus sentiebat, prout cuilibet perspicere datur, qui antiqua Gallorum monumenta, ac gesta hanc in rem seria, & non præoccupata mente

mente pervolverit; quippe ante deplorandum illud Sæculi XIV. ſchisma nullus Sanctus Pater, nulla Eccleſia, nullum Concilium, vel Oecumenicum, vel particulare, nullus Theologus, Auctorque vere Catholicus reperiebatur, qui Romanum Pontificem Concilio inferiorem aſſerere auſus fuiſſet: ſolus erat rebellis, ac ſchismaticus Gerbertus Rhemenſis, qui ex proprii commodi ſtudio ceteris Præſulibus, Synodi judicium a Papa reſcindi non poſſe, perſuadere nitebatur: hic autem ipſe obtenta Sede ſua facti pœnitens ſeſe Sacræ Sedi devovit: unde Centuriatores Magdeburgenſes ex hoc exemplo velut araneæ perperam venenum ſuum ſuxerunt, dum ex unius, alteriusve, qualis erat pariter Erchembaldus Turonenſis, rebellione Apoſtolicæ Sedi obſequium jure denegatum inferre moliuntur: alius longe ſenſus erat Franciæ Præſulibus, qui Gerberti, aliorumque ſeditioſorum inſtigationibus adeo non cedebant, ut uno ore usque ad annum Chriſti milleſimum ſexcenteſimum octogeſimum primum in Comitiis Lutetiæ Pariſiorum habitis profiterentur, *certum eſſe juxta omnium ſæculorum traditionem conſenſum Epiſcoporum primæ Sedis judicio ſimul eſſe actum obedientiæ erga Sanctam Sedem, & actum auctoritatis, & judicii ſub principali ejusdem Sacræ Sedis auctoritate.*

Notum etiam est omnibus, quod nequidem post Constantiense, & Basileense Concilium nova Sententia de Concilii Superioritate in Galliis communi suffragio fuerit recepta, cum Episcopi antiquam suæ Ecclesiæ, ac Majorum suorum doctrinam abjicere, ac nonnisi a paucis Theologis ceteris numero, ac dignitate longe inferioribus non ita pridem inventam opinionem retro antiquitati incognitam adoptare erubuerint: primum autem anno sequenti millesimo sexcentesimo octogesimo secundo Cleri Gallicani declaratio innotuit, qua recens nata hæc proles pro legitima habebatur, atque a Bossuetio, & Turnelio speciosa veste induebatur, quæ per tot retro sæcula latuit incognita, atque in suis etiam incunabulis nequidem vagire audebat; qua enim ratione universim asseri potest, Gallicanam Ecclesiam propugnasse, quod *Romanus Pontifex, & Concilio subdatur, eique sit inferior, nec non in fidei, morumque quæstionibus definiendis errori sit obnoxius*, proin a Synodo reformari queat, cum tamen jam Sæculo II. S. Irenæus Lugdunensis Episcopus l. 3 adversus hæres. c. 3. ex continuata Summorum Pontificem successione incorruptam fidei doctrinam, atque unicam Sedem Apostolicam conveniendi necessitatem ceteris omnibus Ecclesiis incumbere deducat, seu quod idem est, ex Pontificis infallibilitate infallibilem fidei certitudinem inferat:

inferat: cui consonat alter Lugdunensis Antistes Sanctus Eucherius, vel quicunque alius Franciæ Episcopus author sit sermonis de Nat. SS. Petri, & Pauli, qui cunctos Petro, ejusque Successoribus esse subjectos affirmat, quia ipse *Pastorum, omniumque Pastor est, qui pascit agnos, pascit & oves: pascit filios, pascit & Matres: regit & subditos & Prælatos:* ex his infert Sanctus hic Præsul, quod omnibus præsit, cum *nihil præter agnos, & oves in Ecclesia sit.* Anno etiam 449. tres Gallicani Antistites ex Provincia Alpium maritimarum de S. Leone Papa affirmabant, quod *in eo Principatus Sedis Apostolicæ sit constitutus, unde Apostolici Spiritus oracula adhucdum referantur:* Apostolica autem oracula haud dices, quæ errori sunt obnoxia, ac primum ab alio emendanda. Nec Ecclesiis omnibus inferius caput dixeris, ubi Provinciæ Arelatensis Episcopi anno 450. profitentur, quod *per Divum Petrum Ecclesia Romana teneat super omnes totius mundi Ecclesias Principatum.* Profecto Arelatensibus Episcopis non ea insedit opinio, quod Synodi Pontifice Superiores sint, cum ineunte Sæculo VI. testentur, quod *Apostolica Sedes sibi vendicet Principatum, & SYNODALIBUS DECRETIS FIRMIOR EJUS PRÆCELLAT AUCTORITAS.* (a) Pariter

(a) Vid. libell. S, Symmacho Pontifici oblatum ab

Sanctus Cæsarius Arelatensis Episcopus summam S. Symmachi Pontificis auctoritatem fallibilem, ac reformationi obnoxiam certe non agnovit, dum ait: *Sicut a Persona D. Petri Episcopatus sumit initium, ita necesse est, ut disciplinis competentibus Sanctitas vestra singulis Ecclesiis, quid observare debeant, evidenter ostendat*, eademque ætate Gallorum Præsulum nomine Avitus Viennensis de summo Pontifice declarat, quod *nulla ratione, vel lege ab inferioribus eminentior judicetur, & in Sacerdotibus ceteris possit quidem, si quid mutaverit, reformari, si vero Papa in dubium vocetur, Episcopatus, non Episcopus vacillare videatur. Quis Sacerdotum*, exclamant Turonensis II. Concilii Patres anno 570., *contra decreta, quæ a Sede Apostolica processerunt, agere præsumat.* Certe Hincmarus Rhemensis Antistes Sæculo IX. *solam Romanam Ecclesiam piis devotis, atque Catholicis pro doctrinæ norma sufficere non docuisset*, si illa errare posset, sique, ne erret, cum ceteris Ecclesiis in Concilio unita esse deberet: minus vero dixisset idem Hincmarus (b) *Scimus nostras Ecclesias subditas esse Romanæ Ecclesiæ, & nos Episcopos in Primatu D. Petri subjectos esse Romano Pontifici,*

ab Ægidio Abbate & Messiano Notario de privil. Ecclesiæ Arelat. apud Labb. tom. 4. edit. Paris. anno 1671.

(b) Epistola Hincmari ad Nicolaum Papam apud Flodoardum l. 3. c. 13.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tifici, & ob id salvâ fide, quæ in illa Ecclesia semper viguit, & Domino cooperante florebit, nobis est vestræ Apostolicæ auctoritati obediendum. Hic idem in libro de divortio Lotharii ait: *Synodus Provincialis Episcoporum judicia, Generalis autem Synodus Comprovincialium dijudicationes, Sedes vero Apostolica simul, & Comprovincialium & Generalium judicia retractat, refricat, & confirmat:* Ea igitur ætate in Galliis non alia audiebatur vox, quam quæ Pontificem, Sedemque Apostolicam regulam universam, Matrem, ac Magistram, columnam, firmamentum veritatis, supremum totius Ecclesiæ caput, Patrem, & Pastorem (c) deprædicabat, eumque (ut Episcopi Senonensis Provinciæ Sæculo XII. profitebantur) *a nemine posse judicari, soliusque Dei judicio subjacere* declarabat. Nonne in Concilio Rhemensi anno 1049. præsidente Sancto Leone IX. Gallicani Præsules testatum voluere, *solum Romanæ Sedis Pontificem universalis Ecclesiæ Primatem esse, & Apostolicum?* nonne ipsis etiam laicis adhucdum anno 1305. in Galliis ignota erat artificiosa illa vox, qua Concilia universalia, ut Pontificibus Superiora crederentur, Ecclesiam universalem repræsentare etiam, dum de Papa judicando, vel reformando agitur, jactitantur; Regni enim Gallici proceres jam dudum palam

(c) Convent. Melod. ann. 1479. Stephanus Paris. Episc. ann. 1324.

palam declarabant, quod *Summus Pontifex ſit Jeſu Chriſti Vicarius totum Corpus Eccleſiæ repræſentans, unde congregatum totum Concilium ſine Papa non poteſt cognoſcere in negotio* contra Papam (d) Hanc Sententiam omnium aſſenſu, ac nemine contradicente publice etiam propugnabat Clemens VI. natione Gallus, ac Pariſienſis Doctor, qui Armenis, ſi Romanæ Eccleſiæ aggregari vellent, ſequentem articulum ſubſcribendum propoſuit: *an credant, quod ſit, & erit ſemper auctoritas, & juridica poteſtas Romanorum Pontificum, ut a nemine judicari poſſint?* Eadem hæc ſententia continuato veritatis ſtudio in Eccleſia Gallicana ad recentiora usque tempora fuit propagata; quippe anno 1579. Clerus Gallicanus in comitiis GeneralibusMeloduni celebratis cum Sancto Irenæo *Romanam Eccleſiam Magiſtram, columnam, & firmitatem veritatis* profitebatur, atque *ad eam propter ſuam PRINCIPALITATEM neceſſum eſſe* declarabat, *omnem convenire Eccleſiam.* Idem quoque Clerus anno 1626. ſtatuebat, *hortandos Epiſcopos, ut Sedem obſervent Apoſtolicam, Eccleſiamque Romanam, INFALLIBILI Dei promiſſione fundatam . . . . . Petro cum clavibus datam INFALLIBILITATEM fidei, quam videmus divinæ Potentiæ miraculo IN PETRI SUCCESSORIBUS ad hodiernum usque diem*

(d) Hiſtoire du different entre Bonifac. VIII. & Philippe Roi de France.

diem immobilem permanere: nonne hi Præsules Summo Pontifici primas, potioresque supra Concilium partes hac declaratione asserebant? nonne idem studium præferunt in suis Generalibus comitiis anno 1651., dum in sua ad Innocentium X. epistola, cui 85. Episcopi subscripsere, præter alia pro Pontificis Superioritate præclare dicta concludunt: *scimus, ubi caput Ecclesiæ, ibi totius fidei arcem esse:* anno autem 1653. denuo ad eundem Papam triginta Episcopi Galli hæc perscripserunt: *Potestas Romani Pontificis sola acerrimas fidei contentiones compescere potuit.* Item: *judicia pro sancienda regula fidei a Summis Pontificibus lata SUPER EPISCOPORUM CONSULTATIONE divina æque, ac humana per universam Ecclesiam auctoritate nituntur.* Hujus quoque doctrinæ Gallicanus Clerus firmiter in suis generalibus comitiis adhuc institit anno 1661., 1663. & ut supra meminimus anno 1681. Vide Dominicum a SS. Trinitate Carmelitam excalceatum Ordinis sui Generalem, natione Gallum in sua doctissima Bibliotheca l. 3. sect. 4. c. 16. Plura equidem hujus veritatis testimonia afferri possent: cum autem mihi præcipue res sit cum Viro erudito, haud dubito, quin ipsus horum, quæ in medium attuli, firmitatem, necnon ex adverso illorum, quibus oppositæ sententiæ Patroni hæc argumenta eludere nituntur, effugiorum imbe-

imbecillitatem ingenii ſui acie penetrarit, quinimo tot Gallicos avitæ hujus doctrinæ teſtes adducere ſuperſediſſem, niſi ab erudito meo Cenſore provocatus omnibus tam doctis, quam minus eruditis, imo quibusdam etiam incautis Lectoribus debitor factus fuiſſem; cum enim nonniſi interpretem, ac quarumdam, quibus Continuatoris hiſtoria eſt obnoxia, hallucinationum, atque exceſſuum caſtigatorem agere juſſus eſſem, hujus inſtituti ratio haud depoſcere videbatur, ut prolixiori calamo, crebrisque argumentis veterem de Pontificis auctoritate doctrinam contra novam Gallorum ſententiam propugnarem: ne vero perlectis Critici noſtri pagellis nonnulli in rebus hiſtoricis minus verſati exiſtiment, hanc opinionem ab univerſa paſſim Eccleſia Gallicana fuiſſe adoptatam, ac proin me in meis annotationibus immerito adverſus eam nonnulla retuliſſe redarguant, hinc nonnihil operoſius rem pertractare conatus ſum, demonſtrans, quod univerſa Eccleſia Gallicana usque ad Conſtantienſe Concilium non aliam hac in re ſententiam tenuerit, quam quæ unanimi Eccleſiæ Catholicæ conſenſu, ſaltem tanquam concluſio ex certis fidei principiis eruta, fuit usque ad præſens ævum adoptata: quod autem adverſa hæc opinio prima ſua incunabula fatali Eccleſiæ Schismati, Gerſonii Cancellarii Pariſienſis invento, & novitatis ſtudio quo-

quorumdam Præſulum Gallorum in acceptis referre teneatur, abs dubio eruditus meus cenſor pro ſua modeſtia haud inficiari audebit, nec ego contrarium ob conceptam de eo Hiſtoricæ Scientiæ opinionem de ipſo præſumere cogito; quippe antequam ab infernali hoſte funeſtum hoc Schisma fuerat ſuſcitatum, quænam fuerit Eccleſiæ Gallicanæ mens, adeo certe ex allatis conſtat teſtimoniis, ut, etſi ea quocunque demum artificio eludantur, certum tamen, indubitatumque ſemper ſit, quod nullum omnino adduci poſſit teſtimonium, ex quo clare demonſtraretur, ante hanc ætatem ab Eccleſia Gallicana unanimi conſenſu fuiſſe traditum: *quod Papa in rebus fidei, morumque quæſtionibus definiendis errori ſit obnoxius, ac Concilio ſubdatur, eoque ſit inferior.* Habemus ergo novi hujus partus epocham: quis vero prudenter dubitare poterit, hanc ipſam prolem illegitimis hiſce natalibus ſuſpectam ab ipſo Gerſonio orbi Chriſtiano fuiſſe obtruſam: Id quoque diſertis verbis teſtatur Ludovicus Maimburgus Auctor meo Cenſori certe non ſuſpectus, qui lib. 5. Magni Schism. Occid. ita ſcribit: *En! occaſio* (ſcilicet utraque Gerſonii Oratio, quæ teſte ipſo Continuatore noſtro Lib. CII. §. 164. hujus controverſiæ cum tanta animorum contentione agitatæ origo erat) *unde ortum habuit famoſa hæc quæſtio, de qua nunquam in antiqua diſce-*

disceptatum est Ecclesia, an nempe Concilium Papæ superstet, vel potius Papa Concilio. Idem quoque Auctor Lib. cit. pag. 439. subjungit: *ab annis nongentis Ecclesiæ Gallicanæ hæc Sententia fuit, ut excepto hæresis casu a nullo homine, nulloque Concilio, sed a solo Deo judicari Pontifex Romanus, deponique posset.* Nec id diffitetur Jacobus Lenfantius Calvinista L. 2. Hist. Conc. Const. n. 2. apertis autem verbis idem testatur ipse Gersonius de potest. Eccles. consid. 12. ubi ait: *ante celebrationem Constantiensis Synodi sic occupaverat mentes plurimorum Literatorum ipsa hæc traditio, ut oppositorum dogmatizator fuisset hæretica pravitate vel notatus, vel damnatus.* Clarioribus verbis idem profitetur Andreas Duvallius in tract. de suprema Rom. Pontif. potestate, ubi ait: *velint, nolint adversarii, liquido constat, veteres Ecclesiæ Gallicanæ Proceres hanc in Summis Pontificibus Petri Successoribus infallibilitatem semper agnovisse, Christique Domini orationem in Petro non stetisse, sed ad ejus Successores certissime transiisse, eosque, qui hanc veritatem impugnare conati sunt, A DUCENTIS AUT CIRCITER ANNIS, QUIBUS IN ECCLESIAM HORRENDA SCHISMATA IRRUERUNT, cæpisse.* Attamen nec ipse Gersonius sua facundia tantum impetrare poterat, ut in ejus Sententiam ipsi etiam Galli communi suffragio ruerent: eapropter ipsemet variis in locis, ac præcipue in tractatu de

de potestate Eccles. Consid. 12. & Serm. in festo S. Antonii fassus est, atque ingemuit, quod *decretorum IV. & V. Sessionis doctrina a quam plurimis palam in ipsa etiam Synodo fuerit explosa, atque exsufflata, nec non post Concilium Constantiense ceu hæretica pravitate inquinati a non paucis haberentur illi, qui Concilium supra Papam efferebant:* insuper in Dialog. Apolog.: *per Constitutionem Martini V.* quia appellationes a Papa ad Concilium prohibuit, *fundamentale robur decretorum Sessionis IV. & V. penitus destrui* doluit: merito autem de novæ suæ doctrinæ successu diffidere poterat Gersonius, cum illam ipsus non veritatis fulcro innixam agnovisse videatur, sed unice ad hoc aptam crederet, ut quibusdam suæ gentis viris nimio amore, ac tenaciori propriæ jurisdictionis plus æquo tuendæ studio abreptis, aliquando obedientiam Pontificibus debitam eludendi via aperiretur: quod vero de hujus medii, quo sensim perversa libertas induceretur, æquitate juxta, ac veritate minus persuasus esset, manifestum redditur ex ipsa ejus inconstantia, & fluctuatione, qua suæ causæ diffisus, parumque securus talia subinde statuebat principia, quibus novitiam suam opinionem, quam in uno loco stabilire nitebatur, in alio penitus evertebat; quippe, licet Pisanum Concilium velut lapis fundamentalis esset decisionis a Constantiensi Synodo factæ, nihilo-

minus 1. part. oper. de hujus Synodi auctoritate dubitabat: insuper Pontificiam auctoritatem Synodo subjicere, ipsumque Papam in rebus fidei Concilio obedire obstrictum, eumque a Synodo reformari posse acriter propugnat, & tamen tanquam rem minime dubiam statuit pag. 125. & 126. tom. 1. quod *Plenitudo potestatis non possit esse de lege ordinata, nisi in unico summo Pontifice, alioquin Ecclesiasticum regimen non esset Monarchicum:* si juxta ejus doctrinam Papa in rebus fidei, morumque Synodo obedire tenetur, ac corrigi potest, qua ratione Gersonius serm. de Ascens. Domini asserere audet, quod *ab Ecclesia Romana fidei certitudo petenda sit:* si Gersonii Sententia Papam in fide fallibilem statuit, quare illum esse Monarcham supremum *ratione unitatis fidei, & Sacramentorum* asserit? tract. de Stat. Eccles. consid. 13. Plane Gersonius suas hallucinationes ipsus deprehendisse videtur, dum in oratione, quam paulo post Joannis XXIII. fugam habuit, postquam Pontificem infra Concilii universam Ecclesiam repræsentantis subsellia detruserat, mox immoderatam suam propositionem certe sibi ipsi repugnantem sequentibus hisce duobus corollariis circumscribebat. 1. Ex præmissis, inquit, videtur elici posse, quod *potestas Papæ sit potestas Ecclesiæ (quæ in Synodo congregata est Superior Pontifice, proin potestas Papæ est inferior potestate Ecclesiæ, &*

SIMUL

SIMUL SUPERIOR) *quia utitur nomine, & vice Ecclesiæ.* 2. *Elicitur ex præmissis, quod non est illicitum, imo verum, & Catholicum, quod IN MULTIS sit Sacrum Concilium supra Papam.* Ita nempe juvenes Architecti, dum vilipensis veteris artis suæ regulis, nova, splendidaque ædificia juxta luxuriantis sui ingenii ideas in chartis delineare moliuntur, plerumque, dum fabricam ipsam inchoare aggrediuntur, se ob neglecta vetera licet, firma tamen artis præcepta enormiter errasse deprehendunt, & dum errores suos corrigere nituntur, male coordinatum ædificium extruunt: nec mirum est, Gersonium quoque in novæ suæ opinionis fabrica tam turpiter hallucinasse, dum neglectis sanæ, atque avitæ doctrinæ præceptis, quæ tamen fidei fundamentum sunt, novis opinionibus, ausim dicere, erroribus fabricam suam imposuerat: nonne præcepta Ecclesiæ non obligare sub mortali, sed duntaxat adhortationes, & consilia esse docuit, ut testatur Vander Hardt. tom. 1. Collect. & tom. 2. oper. edit. Amstelod? Quis enumerare poterit omnes ejus errores Wiclefi, aliorumque Sæculi XVI. Sectariorum dogmatibus haud absimiles, quos in suo tractatu *de mediis reformandi Ecclesiam in Concilio* passim effutiit contra Ecclesiam, quam cap. 1. & 2. Catholicam ab Apostolica distinquens, hanc a quibuscunque promiscui generis Laicis sub solo capite Christo coa-

leſcere, ſolam poteſtate ligandi &c. frui, ac fallere, fallique neſciam tradit, illam vero, ſeu Apoſtolicam ex Eccleſiaſticis compaginatam *errare poſſe*, *Schisma*, *& hæreſin habere, ac deficere poſſe* comminiſcitur. cap. 21. Eccleſiam univerſalem in unica ſola fœmina ſubſiſtere poſſe ait: cap. 7. peccati lethalis reos nec in Eccleſia, nec de Eccleſia eſſe concludit. cap. 29. clavem Scientiæ Pontifici magis eſſe neceſſariam docet, quam clavem poteſtatis, hancque nonniſi probis viris competere poſſe: quis Catholicum credat Gerſonium, dum illum effutire percipit, quod *ridiculum ſit dicere, quod unus homo mortalis dicat ſe poteſtatem habere in cælo, & in terra ligandi, & quod ille ſit filius perditionis.* cap. 5. & 10. Hoſce errores, pluresque alios circa morum diſciplinam traditos, propter quos Gerſonius a pluribus etiam Gallis Doctoribus paſſim perſtringitur, referre volui, ut exinde pateat, quod ſane dignus non fuerit, ut univerſa Eccleſia Gallicana arrectas ei intenderet aures, unde nova hujus Viri doctrina etiam poſt Conſtantienſe Concilium a pluribus Gallis nonniſi cum timore, & anxietate fuit adoptata, a potiſſimis vero omnino rejecta, adeo, ut univerſam Eccleſiam Gallicanam in hanc opinionem conceſſiſſe nullo pacto dici queat; *cujus rei*, ut ait ipſe Gerſonius de poteſt: Eccleſ. conſid. 12. *ſignum accipe, quia poſt declarationem, & quod urgentius*

gentius est, determinationem, & practicationem ejusmodi S. Synodi inveniuntur, qui talia sc. Papam Concilio esse superiorem, *passim asserere non paveant.* Petrus quoque Meldensis Episcopus anno 1441. die 16. Decembris Caroli VII. Francorum Regis, ac Gallicanæ Ecclesiæ nomine orationem habuit, in qua Basileensium ausus his verbis reprobat: *ad hanc vesaniam devenerant, quod supremam potestatem in uno supposito consistere denegent, sed eam in multitudine, quæ cito in diversa scinditur, collocent, & sic pulcherrimam Monarchiam, quæ Christianos hucusque tenuit in unitate fidei, nunc supprimere contendant, nobilissimam politiam, quæ beatitudinem cœlestem habet pro fine, ad Democratiam, vel Aristocratiam redigentes.* Nonne Franciscus Lugdunensis, Joannes Arelatensis, aliique Franciæ Antistites Gallicanæ Ecclesiæ nomine ad Leonis X. Papæ pedes provoluti veniam deprecabantur, eoquod Pisanæ Pseudo-Synodo aliquando adhæsissent (e) nonne Franciscus Turnonius Cardinalis totius Gallici Cleri nomine supremam Pontificis auctoritatem in Conventu Melodunensi anno 1544. tam strenue tuebatur, ut a Paulo III. literis ad eum præfato anno die 6. Aprilis datis, laudibus cumulari meruerit. Nec minus præclare Gallicana Ecclesia in Episcoporum Comitiis anno 1548.

(e) Raynald. ad ann. 1514. n. 7. & seq.

die 29. Septembris apud Nolium jussu Regis Henrici II. habitis profitebatur, quod ex conjunctione Concilii cum Pontifice tanquam corporis cum capite, & *Pontificis summi, & Concilii una sit, atque eadem auctoritas, veterumque Pontificum, ac veterum Conciliorum ne dissimilis, ne dispar,* salva subordinatione corporis ad Caput. (f) Ipsa etiam Parisiensis Universitas anno 1396. profitebatur, *certum esse, Episcopum Romanum non habere Superiorem, cum Christus non habuerit, & Ecclesiam Catholicam a se fundatam Petro tanquam Capiti tradiderit gubernandam.* (g) Taceo plurima monumenta, quæ aperte testantur Francorum Præsulum, atque Universitatum subjectionem, qua sententias a se latas Summorum Pontificum judicio submiserunt, eumque tanquam supremum, ac visibile omnium Ecclesiarum caput, Monarcham, & fidei infallibilitatis petram agnoverunt, uti jam supra retulimus, ac Andreas Duvallius circa annum Domini 1686. l. c. part. 1. q. 7, priscam de Pontificis auctoritate doctrinam adhucdum in Francia vigere testabatur: *opinio, quæ Romæ tenetur, vacat omni temeritate, cum totus orbis, exceptis pauculis Doctoribus, eam amplectatur, & præterea rationibus validissimis tum ex S. Scriptura, Conciliis, & Patribus, tum*

(f) Idem ad ann. 1548. n. 73.

(g) Hist. Un. Paris. tom. 4. p. 805.

tum ex principiis Theologicis petitis confirmatur . . . . Nemo nunc est in Ecclesia, qui ita pro certo sentiat, præter Vigorium, & Richerium, quorum si vera esset sententia, totus fere Orbis Christianus, qui contrarium sentit, in fide turpiter erraret. p. 4. q. 7. Eapropter Germani, Poloníque Doctores, qui fervente Constantiensi tumultu novam hanc doctrinam ambabus ulnis amplectebantur, paulopost dum se a Gersonio, ejusque assecliis delusos fuisse agnoscerent, ad tritam veritatis semitam rediere, quinimo ipsa Constantiensis Concilii ætate Gersonius Gallorum potissimos ad suas partes pertrahere haud poterat: quapropter Eugenius IV. in sua Apologia adversus Basileenses ita scripsit: *qui Constantiæ sedebant, unius tantum obedientiæ Synodum faciebant, nec tamen hi omnes in eam sententiam convenerunt, sed nonnulli reclamavere graviores*, quos inter erant præter viginti duos Cardinales etiam Regis Galliæ Oratores, qui Joannis XXIII. causſam pro viribus tueri a suo Rege erant jussi, adeo, ut idem Rex hujus Papæ depositionem ab Universitate Parisiensi promotum iri inaudiens, Ludovico Franciæ Delphino demandarit, ut Doctores Parisienses hanc obrem acriter objurgaret, qui eos his quoque verbis compellabat: *Ecquis eam vobis licentiam dedit, ut auderitis in Pontificem Romanum manus injicere, eique dignitatem, ac Insulas adimere, quod nuper Constantiæ feciſtis?*

Insuper veræ doctrinæ Successionem in Galliis interruptam non dixeris per declarationem in Cleri Gallicani Comitiis anno 1682. celebratis; post eam enim adhucdum haud alia, quam quæ jam pridem Gallicanæ Ecclesiæ cum ceteris Catholicis propria fuerat, de Papæ prærogativis insedit persuasio; quippe præclara admodum continuatæ hujus doctrinæ testimonia suppeditant varii libri in Galliis postea editi, uti sunt opuscula his titulis Gallicis inscripta: *Tocsins Catholiques*, *Recueil des mandaments des Eveques*, & *Memoire du Clergé* anno 1716. edit Paris. Quinimo quantum illorum Præsulum, qui anno 1682. suam declarationem ediderant, animis alte adhuc inhæserit adversa opinio, sat manifeste elucet ex eo, quod valde dubitanter, ac perplexe novam suam doctrinam exponerent, atque ob communis Sententiæ reverentiam, & veritatis agnitæ vim aperte declarare haud auderent, quod Romanus Pontifex in rebus fidei Concilio subjaceat, ac corrigi valeat: quapropter eidem adhuc *PRÆCIPUAS in rebus fidei partes* adjudicabant, ejusque decreta *AD OMNES, & ad singulas Ecclesias* pertinere asserebant, quamvis hæc loquendi ratio sibimetipsi haud consonet; qua enim ratione *præcipuas* habebit partes, si tam ejus auctoritas, quam illius judicium æque, ac cujuslibet Episcopi decretum corrigi, supprimi, aut rejici

rejici poteſt. Ceterum licet Gallicani hi Præſules reipſa Pontificem Concilio ſubjeciſſent, hæc tamen ipſa declaratio avitæ, ac communi doctrinæ in Galliis receptæ nihil derogare poterat; illa enim nequaquam univerſæ Eccleſiæ Gallicanæ definitio dici meretur, cum ex centum, & triginta Franciæ Epiſcopis nonniſi triginta quatuor acceſſerint, ceteris aut non vocatis, aut de doctrina judicandi, ac definiendi auctoritate deſtitutis; quinimo iidem etiam, qui hiſce Comitiis intererant, poſtea ad Sedes Epiſcopales nominati dato ſupplici libello anno 1692 palam profitebantur, ſe de geſtis in Cleri Gallicani conventu 1682. *vehementer quidem, & ſupra id, quod dici poteſt, ex corde dolere*, cunctaque in Papæ præjudicium decreta tanquam irrita declarare, ſpondentes, ſe impoſterum omni poſſibili modo ſummi Pontificis prærogativas defenſuros. Inſuper ipſemet Franciæ Rex haud contentus, ut per ſuos Oratores Cæſarem Deſtræum, & Tuſſanum Janſon de Forbin hanc excuſationem feciſſet, ipſus etiam poſtea ad Innocentium XII. Papam ſequentem dedit epiſtolam: „Gaudeo, quod San„ctitatem Veſtram certiorem reddere va„leam, quatenus neceſſaria dederim man„data, ut res in meo edicto die 23. Martii „anno 1682. contentæ circa declarationem „Cleri intra meum Regnum (quamvis „tum rerum viciſſitudines me ad id adege-

„rint) suo successu destituantur, & sicuti „non solum exopto, ut Sanctitati suæ mei „animi sensa sint perspecta, sed etiam ut „universo Orbi publico testimonio inno„tescat, quanti præclaras ejusdem prærо„gativas habeam, haud dubito, quin vi„cissim Sanctitas vestra omnibus argumen„tis, ac paterni sui erga me affectus testifi„cationibus meo obsequendi studio respon„dere velit.„ (h) Taceo hanc ipsam Gallicani Cleri declarationem primo ab Innocentio XI. Pontifice Sanctissimo eodem anno 1682. die 11. Aprilis, & postea ab Alexandro VIII. anno 1690. die 4. Augusti fuisse reprobatam, ac penitus rescissam. Pariter sub Innocentio XII., postquam hujus Papæ decretum anno 1699. die 15. Martii contra librum D. de Fenelon Cameracensis Archiepiscopi prodierat, Clerus Gallicanus in cœtum congregatus per unamquamque Provinciam, ut constat ex processu, ut ajunt, verbali, cœtuum præsertim Provinciarum Parisiensis, Arelatensis, Bituricensis, ac Rhemensis non exquisito prius, nec convocato Episcoporum consilio, huic Pontificis decreto ultro acquievit, illudque recepit, utpote positum extra omne erro-

(h) Hyacinth. Sery. *de Rom. Pontif.* p. 266. & 267. item in quodam opusculo Venetiis anno 1734. impresso, cui Titulus: *Romani Pontificis Privilegia* pag. 378. Vide Binner. in Apparat. eruditionis. part. VIII. p. 703.

erroris periculum: unde præcipue Episcopi Provinciæ Rhemensis ita effati sunt: *Certum est juxta omnium Sæculorum traditionem Consensum Episcoporum primæ Sedis judicio simul esse actum obedientiæ erga Sanctam sedem, & actum auctoritatis, & judicii sub principali ejusdem Sedis auctoritate.* Pariter cum Clerus Gallicanus anno 1705. in causſa Bullæ, quæ incipit: *vineam Domini Sabaoth*, declarasset, quod Pontificum Constitutiones universam Ecclesiam obstringerent, si a Pastorum cœtu fuissent acceptatæ, atque hæc acceptatio per viam judicii fieret, inde commotus Clemens XI. datis ad Ludovicum XIV. Regem literis de Franciæ Præsulibus querebatur, hinc Regis jussu Cardinalis de Noailles anno 1710. hanc Præsulum declarationem interpretabatur, palam professus, a Præsulibus hanc acceptationem nequaquam fuisse requisitam, perinde acsi ea ad constituendam fidei regulam esset necessaria, sed duntaxat, ut Jansenistis omne effugium præcluderetur. Haud minus aperte Clerus Gallicanus in Comitiis anno 1705. necnon 1713. die 15. Octobris celebratis suam erga Papam subjectionem testatam fecerat. Ex his igitur, pluribusque aliis, quæ huc fusius adducere supervacaneum foret, facile prudens Lector eruere poterit, quod Criticus noster nonnihil ineptius scripserit, a Fleurianæ Historiæ Continuatore Superioritatem Concilii

cilii ſupra Papam fuiſſe ex eo defenſam, quod hic eſſet membrum Eccleſiæ Gallicanæ, perinde ac ſi omnia illius membra hanc ſententiam propugnarent, aut propugnare tenerentur, cum tamen omnes Galli ante tempora Concilii Conſtantienſis cum ceteris Eccleſiis ejusdem fuerint labii, necnon durante etiam ipſa hac Synodo, & fervente Schismate non pauci, iique tam pietate, quam ſcientia celebriores avitas Pontificis prærogativas pro aris, & focis tuerentur, quinimo luculenta non deſint monumenta, in quibus comprobatum redditur, quod ſæpius poſt celebrem illam Cleri Gallicani declarationem anno 1682. factam calamo, & exemplo Pontificis auctoritati præcipuæ, ac ipſo Concilio potiores partes in Francia fuerint attributæ.

§. IV.

De Schelſtrato.

Ut vero notus hic Cenſor quicquam in meis ad Conſtantienſem Synodum animadverſionibus carpere valeat, omnibus jam nota, minus vero valida a me producta fuiſſe comminiſcitur dicens: Man weiß, was inſonderheit Schelſtratten zum Behuf des Pabſts gegen dieſen Canon geſagt, und wie er ſonderlich geläugnet, daß die Wort: ad reformationem in capite, & membris, ſich in allen Abſchrifften finden. Hæc verba latine ita reddi valent: *comperta habentur ea, quæ ſpeciatim Schelſtratus*

tus adversus hunc Canonem in Pontificis favorem adduxerit, ac præcipue negaverit, quod hæc verba; ad reformationem in Capite, & membris, *in omnibus Synodi exemplaribus reperiantur.* Attamen nec ego, nec alius quiscunque historica eruditione vel leviter tinctus ignorat, quænam Schelstratus circa hunc Canonem scripserit, an autem hæc falso, vel vere sint ab eodem scripta, facile etiam prudens, ac præjudiciis non obcæcatus judicare poterit; nam Schelstratus id, quod asserit, etiam valide comprobavit, haud ejusmodi imitatus Scriptores, qui multa loquuntur, & nihil probant, quod tamen sine invidia nostri Critici dictum volo, licet nullo prorsus argumento probatum reddat, quod Schelstratus hæc verba in pluribus exemplaribus desiderari, falso asseruerit, aut quod ego eundem perperam adduxerim, aut improvide secutus fuerim. Verum firmo id argumento probari ab erudito Berolinensi Censore immerito peterem, cum illum haud adeo temerarium fore existimem, ut in asserti sui subsidium quædam confingere, vel imprudenter ea negare vellet, quæ tot Scriptores omni fide digniſſimi, testesque oculati, & ferme coævi constanter affirmarunt: ipsus autem haud ignorabit, quod Schelstratus, Vir integritate, atque eruditione clariſſimus, nota hæc verba: *ad reformationem* &c. in novem M. SS. Codicibus a se visis non reperiri testetur, &

quod

in editione Mediolanensi anno 1511. & Parisiensi anno 1524. opera Caroli Merlini Parisini Doctoris impressa, ac Coloniæ Anno 1533. typo Quenteliano recusa præfata verba desint: testantur etiam Labbæus tom. 8. Concil. Harduinus tom. 7. pag. 251. Schanat ad annum 1414. Sæc. XV. tom. V. Conc. fol. 44. quod post factam maximam diligentiam in conquirendis undequaque actis Concilii Constantiensis, post Codices Roma a Cardinale Barberino acceptos, post examinatam editionem Hardtii in Germania ex manuscriptis Vindobonensis, & Wolffenbutelensis Bibliothecarum adornatam hæc verba non legantur: insuper teste eodem Hardtio, seu Hermano Van der Hardt tom. 4. part. 1. pag. 86. 87. & 89. M. SS. Codices Gothanus, Brunvicensis, & Lipsiensis quartæ Sessionis decretum absque notis illis verbis recensent: paucis, ante Basileensium compilationem, & Petri Crabbe editionem Colonienſem anno 1538. factam in nullo Codice M. SS. hæc clausula: *ad reformationem in Capite, & membris* legitur, quinimo Labbæus quoque, ac Harduinus testantur, in quodam manuscripto in margine hanc addi annotationem: *iste articulus imperfecte fuit factus, ut sequitur: ideo suppletur in Sessione sequenti:* ut proin verba illa: *ad reformationem* &c. a Sessione IV. delenda fuissent; quod enim perficitur, mutari oportet de minus perfecto in magis per-

perfectum, mutatum autem dici non posset in sequenti, seu quinta Sessione, si idem omnino, quod erat in quarta Sessione, in quinta poneretur. Insuper supervacaneum censeo ea repetere, quæ de Burneto in tom. 1. meæ versionis fol. 485. adduxi, atque nostro Critico certe suspectæ fidei esse haud potuerunt; ex quibus tamen constat, quod etiam fidei nostræ hostis Schelstrati assertionem tanquam certam, veramque proprii oculi, ac solertis discussionis testimonio comprobatam reddiderit, manifestumque fecerit, quod Schelstratus ea, quæ protulit, nequaquam pro suo arbitrio commentus fuerit, nec etiam authenticos hosce Codices in suis scriniis occultarit, sed cuilibet petenti eosdem palam exhibuerit, ut quivis de rei veritate ocularem notitiam haurire valeat: eapropter Maymburgus, qui nec etiam Berolinensi nostro Censori suspectus erit, in suo tract. histor. fol. 197., nec non ipsemet Fleurianæ historiæ Continuator Lib. 102. §. 175., pluresque alii historici hujus rei evidentia convicti minime negare audebant, quod in primis quatuor Concilii Constantiensis editionibus, nec non in pluribus aliis antiquissimis M. SS. huic Synodo coævis præfata verba desiderentur, nec etiam de fidelitate suspecti possunt esse Scriptores illi, qui tales M. SS. Codices posteris reliquere: nam hos inter erat Gobelinus Persona Billfeldiensis Decanus,

canus, Officialis, ac Rector Paderbornenſis; hic teſtatur, quod opus ſuum ſub Bonifacio IX. inchoaverit, & ſub Martino Papa V. die 1. Menſis Junii anno 1418. regnante Sigismundo Romanorum, Teutonum, & Hungarorum Rege abſolverit, proin hic Scriptor erat coævus, & ſi non omnino præſens, ſaltem Synodi loco proximus, qui ex pervetuſto Codice hæc affert: *penultima die Martii, quæ fuit vigilia Paſchæ, fuerunt pronuntiati quidam articuli per unum de Cardinalibus minus ſufficienter* (quia omiſſa erant hæc verba: *ad reformationem* &c.) *quapropter ſexta die Menſis Aprilis iidem articuli pronuntiati ſunt reformati: Primus autem hic erat: Synodus* &c. ex quibus verbis evidenter oſtenditur, hoc decretum in quarta Seſſione absque hac clauſula fuiſſe enuntiatum: quomodo enim reformatum, ſeu diverſum in quinta Seſſione dici poſſet, ſi unum, idemque decretum in utraque Seſſione fuiſſet promulgatum? Gobelini autem fides eo minus ſuſpecta haberi poteſt, cum is natione Germanus fuerit, quæ natio ad extinquendum Schisma unice intenta, & Sigismundi Regis ſui monitis ſtimulata præſertim laborabat, ut articuli in illa Seſſione promulgati conficerentur: præterea manuſcriptum hunc Codicem, quem Gobelinus affert, Schelſtratus diſſert. 1. c. 2. p. 43. cum alio a ſe citato omnino convenire teſtatur. His merito accenſeri poſſunt Herma-

Hermanus von der Hardt, & Jacobus Enfantius, aliique. Ceterum imperfecta hæc decreti promulgatio facta fuit a Zabarella Cardinale Florentino, quia ipse probe conscius erat, quod paulo ante Sessionem Cardinales, Sigismundus Rex, & Principum Oratores convenerint, ut omitterentur Capitula a Cardinalibus impugnata, nempe articulus: *de reformanda Ecclesia in Capite, & membris:* nihilominus postmodum hæc verba in editionibus post Basileense Conciliabulum factis intrusa leguntur; id vero primo a Basileensibus studiose attentatum haud temeraria est suspicio; cum enim hi post Sessionem XXV. Concilii Constantiensis decreta a quibusdam deputatis extrahi, & conscribi juberent, hi Sessionis IV. & V. decreta depravarunt ad libitum illorum, qui tam nefanda in summos Pontifices attentabant; cum enim probe intelligerent, se ludibrio haberi ex eo, quod Felicem V. Sabaudiæ Ducem in locum Eugenii IV. quamvis is minime dubius, sed legitimus esset Pontifex, intrusissent, hinc ut se justa de caussa, jurisque præsidio munitos id feciisse, vulgo persuaderent, ad Concilii Constantiensis decreta confugerunt, quoniam vero in quinta ejusdem Synodi Sessione, utpote in qua de Concilii Superioritate nihil *conciliariter*, sed penitus tumultuarie fuit actum, exiguum ipsis præsidium repositum esse cernerent, hinc

ſtatuerunt, ut per quosdam iniquæ factionis ſuæ ſocios hæc verba: *ad reformationem* &c. etiam quartæ Seſſioni, in qua tamen antea non continebantur, inſererentur; nam hæc Seſſio nonnihil magis conciliariter fuit habita, majorisque fuit auctoritatis, hujusque Seſſionis articuli, quos Florentinus Cardinalis promulgabat, tanquam abſolutæ Concilii definitiones ſanciebantur, econtra vero ea, quæ in Seſſione quinta fuerant promulgata, duntaxat per modum *Conſtitutionum Synodalium*, prout hujus Concilii acta loquuntur (i) promulgabantur, contra quas tamen Cardinales, Romanorum Rex, ac Franciæ Regis Oratores reclamarunt, palam profeſſi, quod ex ſola *evitandi Schismatis, & ſcandali cauſſa*, non animo *conſentiendi* his, quæ audierant in hac Seſſione ſtatui debere, interfuerint, (k) imo etiam Cardinalis Florentinus hoc decretum promulgare renuit (quod certo non feciſſet, ſi idem cum priori fuiſſet) ſed Andreas Laſcarus illud recitare compulſus fuerat: ex quibus clare patet, quod hoc decretum tot contradicentibus *conciliariter* factum non ſit, præcipue cum Cardinales, pluresque alii Patres nonniſi per privatum aliorum rumorem ea, quæ definienda forent, perceperint, & *audierint*: hæc autem

(i) Harduin. loc. cit. fol. 258.
(k) Item fol. 262.

tem in Basileensium invidiam ultro a me asserta haud credas, Benevole Lector; quippe ex regesto actorum Basileensium apud Schelstratum loc. cit. p. 44. hæc leguntur: *ob diversas opiniones de potestate Concilii Generalis in his, quæ pertinent ad reformationem Ecclesiæ, super prima definitione præscriptus, fuerat omissus articulus de hoc faciens mentionem, & sequens, qui ex primo dependet.* Porro Basileenses, ut suæ fraudi quamdam conciliarent auctoritatem, vitiosam suam Concilii Constantiensis compilationem bulla sigillo cereo munita confirmarunt, adjectis hisce verbis: *decernimus, quatenus præfatis decretis fides plenaria adhibeatur, perinde ac si Bulla ejusdem Constantiensis Synodi bullata foret, nec ad illorum probationem aliud adminiculum quomodolibet requiratur, datum Basileæ pridie nonas Februarii anno.* 1442. Propterea tamen efficere non poterant, quominus apud omnes in comperto esset, quod cunctæ editiones ante hanc adulteratam Basileensium compilationem hæc sæpius memorata verba non recenseant, claro indicio, ea primum a Basileensibus dolose fuisse intrusa. Ex his autem constat, quod Berolinensis Criticus perperam scripserit, quod Schelstratus *in Pontificiæ auctoritatis favorem* negaverit, hæc verba in quibusdam reperiri Codicibus; nam hic idem clarissimus vir hæc, quæ scripsit, non in Papæ favorem, sed *in veritatis testimonium* adduxit, prout

ex omnibus hucusque allegatis testibus, ac testimoniis elucet.

Nunc vero a Schelstrato Censor noster ad me transiens prosequitur: der Pater Alexander, der glaubt, daß hierauf alles ankomme, meinet die gallikanische Kirch widerlegt zu haben, wann er dargethan, daß die Wort sich würklich in einige Handschrifften des Vaticans nicht finden. Er führet zu dem Ende den Burnet an (der hier vermuthlich durch einen Druckfehler Brunet heißt) welchem Schelstratten einige Codices gewiesen, worinn diese Wort nicht stehen. Seu latine: *Pater Alexander, qui ab hoc totam rei controversæ summam dependere existimat, se quoque Gallicanam Ecclesiam refelliſſe putat, dummodo demonstratum eat, quod reipsa hæc verba in quibusdam Manuscriptis Vaticani Codicibus non reperiantur, huncque in finem allegat Burnetum (qui probabiliter typi errore ibidem Brunetus vocatur) cui Schelstratus quosdam Codices ostendit, in quibus hæc verba non continentur.*

Vehementer miror ingenii aciem, ac perspicaciam, qua Censor noster se mea etiam animi sensa adeo exacte assecutum gloriatur, sua autem bona venia dixero, quod duplici errore deceptus hæc de me in sua crisi annotaverit; primo enim falsissimum est, quod *putaverim*, totam rem esse confectam, si ea, quæ Schelstratus negat, adduxero: secundo magis adhuc falsum est, me *existimasse*, quod Ecclesiam Gallicanam

canam confutarim, si reipsa in quibusdam Codicibus nota verba deesse demonstra vero. Vellem sane hunc virum vel in divinando magis cautum, magisque felicem, vel in arte critica magis versatum; qui enim de omnibus libris in tota ferme Europa editis criticum judicium ferendi provinciam sibi arrogat, haud ignorare deberet, quod illi, qui quoddam opus refellere aggrediuntur, præcipue illud argumentum impugnent, quod hujus operis Author maxime extollit, atque in eo totam suam vim reponit: cum ergo Fleurianæ Historiæ Continuator horum verborum fidem comprobare, eaque in quarta Sessione contenta fuisse, necnon per Schelstratum hujus Decreti auctoritatem non infringi, totis viribus demonstrare conaretur, hancque in rem integrum Paragraphum centesimum septuagesimum quintum, & octogesimum nonum conscripserit, hinc mearum partium unice fuit, ut sui argumenti ex his verbis petiti vim enervare, illiusque imbecillitatem demonstrare conarer: nunquam autem mea mens erat, prout tamen hic Censor nimis confidenter asserit, Gallicanæ Ecclesiæ sententiam refellendi illis, quos sibi hæc provincia deposceret, conatibus, ac studiis: meas autem annotationes ad præfatos paragraphos adjectas perlegenti patebit, quod hisce notis, ni fallor, sat validis ostenderim, Schelstrati argumentum, quod Continua-

tor non diluere, ſed exſibilare nititur, omnino firmiſſimum, juxta ac veriſſimum eſſe: in aliis vero notis ea, quæ vel dubiæ, aut omnino ſubleſtæ fidei a Continuatore adducebantur, indicabam, ne minus verſati Lectores ſibi perſuaſum habeant, æternæ veritatis oracula eſſe ea omnia, quæ idem Continuator vel in favorem ſuæ Sententiæ, vel in odium ſummorum Pontificum liberius, quam verius ſcribit: perperam ergo de me in ſua criſi ſparſit Berolinenſis hic Scriptor, mihi perſuaſum fuiſſe, quod ſat a me confutata fuerit Eccleſia Gallicana, dummodo negarem, ea verba in quibusdam manuſcriptis Codicibus reipſa non contineri: ſi ingenue contra me agere voluiſſet, potius quod falſo allegarim hoſce Codices, & Schelſtratus, ac Burnetus ea, quæ ex ipſis attuli, non affirmarint, vel denique hi Codices fuerint adulterati, atque ego id turpiter ignorarim, vel nequiter diſſimularim, oſtendere, ac demonſtrare debuiſſet: tum enimvero ſanum egiſſet Criticum. ac luculento comprobaſſet ſpecimine, quo Spiritu incitatus meas annotationes conſcripſerim, atque indomita criminandi libidine incenſus calamum ſæpius ſtrinxerim: hæc autem cum de me nunquam probare poterit, ea, quæ mihi objectare debuiſſet, an non in ipſum meliori jure rejicere poſſem, aliorum judicio relinquo: ab ipſius tamen humanitate exſpecto,

ſpecto, quod ſaltem me adeo dementem non exiſtimare velit, ac ſi putaſſem; paucis lineolis a me confectum iri id, quod alii operoſis voluminibus ante me dudum feliciter præſtitere: me autem minime exiſtimaſſe, quod totam Gallicanam Eccleſiam adductis ejusmodi Codicibus ſatis impugnaverim, cenſor meus facile colligere potuiſſet, cum abs dubio legerit meam annotationem ad §. 188., ubi parum anxius, an hæc verba in primævis exemplaribus contineantur, ipſam hanc Seſſionem minime eſſe legitimam demonſtrabam, proin ad alia longe argumenta recurrebam, ſi itaque eruditus hic Cenſor deinceps in meas annotationes calamum ſuum ſtringere voluerit, id unum, quod rogo, eſt, ut prius integrum illarum nexum præſertim in majoris momenti rebus diſcutere velit; turpe enim eſſet, ſi quis Orbi literario, quale judicium de quodam libro ferendum ſit, demonſtrandi munus ſibi vendicaret, ipſe vero haud integrum opus cohærenter diſcuteret, ſed in ſiniſtrum ſenſum detorqueret, ac vera falſis immixta duntaxat ob pecuniarii lucri ſpem divenderet. Ceterum ex typi errore Burneti loco Brunetum fuiſſe ſcriptum, jam ante quatuor annos obſervaveram, ex hoc tamen nullum Cenſori meo dubium circa genuinum auctorem fuiſſe excitatum confido; hunc enim ſecta Proteſtantem, atque Anglicanæ Eccleſiæ Doctorem, ac Theolo-

gum fuisse, nec non Itinerarium suum Helvetico-Italicum conscripsisse, ibidem asserebam, proin Censor noster ex hisce conjunctis conditionibus Burnetum suum vix non de facie agnoscere, atque exiguum hunc typi nævum benigne excusare potuisset, quod sane a prudentia, & bonitate tam celebris Viri foliis suis totum orbem obumbrantis expectassem.

§. V.

De Victoria Ecclesiæ Gallicanæ a Censore attributa.

Nunc tandem eruditus Censor luculenter demonstrasse sibi videtur, quam incurius fuerim, dum in meis annotationibus Ecclesiam Gallicanam ex allegatis Codicibus satis confutatam existimarim, interim vero firmissimum illius fulcrum intactum reliquerim, hanc ob rem ita contra me suas censuras prosequitur: er bedenkt aber nicht, wie siegreich für die gallikanische Kirche die Wort sind, deren Aechtheit nicht bestritten wird: declarans, quod ipsa Synodus-generale Concilium faciens-potestatem a Christo immediate habeat, cui quilibet cujuscunque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur. u. s. w. Seu latine: *ast non considerat* (scilicet Pater Alexander) *quam decretoria pro Ecclesia Gallicana sint illa verba, quorum tamen legitimitas non impugnatur:* „declarans, quod ipsa Sy„nodus . . . Generale Concilium faciens „pote-

„poteſtatem a Chriſto immediate ha„beat, cui quilibet cujuscunque ſtatus, vel „dignitatis etiamſi Papalis exiſtat, obedire „tenetur, u.ſ.w. Hæc verba dum conſidero, Cenſorem meum interrogare liceat, quam ob rationem haſce tres literas Germanicas, u. ſ. w. quæ ſignificant, und ſo weiter ſeu latine *& cetera*, *ſeu reliqua* addiderit? vel ergo ſubſequentia etiam verba ad plenam Gallicanæ Eccleſiæ victoriam conferre arbitratur, vel id non opinatur: porro ſi ultimæ hujus opinionis eſt, immerito me carpit, quod hæc priora verba non conſiderans unice ſequentium intruſionem pro impugnanda Eccleſiæ Gallicanæ Sententia demonſtrare conatus fuerim: ſi autem poſteriora hæc verba non ſunt decretoria pro Eccleſia Gallicana, cur illa hiſce literis u. ſ. w. annectere voluit? ſi forte Cenſor noſter reſponſo deſtituatur, illud ſuggeram, reponens, ipſum ſua ingenii acie ſatis manifeſte proſpexiſſe, quod Gallicana Eccleſia ex hiſce prioribus verbis, ſi a ſubſequentibus ſeparentur, nullam prorſus novæ ſuæ Sententiæ victoriam adjudicare poſſet; quod enim Summi Pontifices univerſalis Synodi legitimæ decretis vi directiva adſtringi nunquam recuſarint, ad hodiernum usque diem omnibus Gallis perſpectum eſt: quod autem etiam obedire teneantur *in iis, quæ pertinent ad fidem, & reformationem generalem Eccleſiæ Dei in capite, & membris*, talem ſub-

jectionem coactivam supremo Ecclesiæ Capiti imponere, nullum Gallicanæ Ecclesiæ Concilium, aut Conventus ante Constantiensis, & Basileensis Synodi tempora audebat: ut autem Censor difficultatem declinaret, atque ad quamcunque objectionem paratum haberet effugium, hinc etiam addere voluit hasce tres literas ad subsequentia verba referendas. Insuper Berolinensis hic Criticus me quidem gravis inconsiderationis reum proclamat: er bedenkt aber nicht: veniam autem mihi provocato dabit, ut hanc notam, quam mihi affingit, in suum Authorem retorqueam, ab eo sciscitans, utrum annotationes meas, quas circa hoc argumentum frequenter ad Constantiensis, & Basileensis Synodi gesta, ac decreta subjunxi, perlegerit, atque attenta mente perpenderit, vel forte illas nequidem fugitivo oculo percurrerit? porro hoc postremum a viro, qui criticas suas censuras in publicum spargere audet, haud credere volo, perinde acsi libros, de quibus suum judicium ferre, orbique literario communicare præsumit, integre legendo non pertranseat, nec etiam quid in illis contineatur, intelligat, ac perpendat; nam alias certe maximæ inconsiderationis, & temeritatis reus foret: si autem præfatas annotationes meas perlegit, ac discussit, palmaris falsitatis, ac detractionis se reum facit, scribens, quod ego non *perpenderim*,

quam

quam victorioſe evincant Eccleſiæ Gallicanæ ſententiam illa verba, quæ indubiæ apud omnes fidei ſunt, prout ſequuntur declarans &c. Jam tum enim, quam parum hæc ipſa verba Gallorum quorumdam opinioni faveant, ſerio admodum perpendebam, ac præcipue §. 175. & §. 180. pro more meo paucis quidem, omnino tamen convincentibus rationibus ex ipſis hiſce Concilii verbis: *ſuper præmiſſis, & ad extirpationem DICTI ſchismatis* demonſtrabam, quod hæc Synodi deciſio, etſi legitima foret, duntaxat intelligenda veniret de Pontifice *dubio*, & pro caſu *ſchismatis tum exiſtentis*, eapropter in Seſſione IV. priora verba ſpeciatim, atque expreſſe reſtringuntur hiſce ſequentibus: *obedire tenetur in his, quæ pertinent ad extirpationem ſchismatis*: hæc autem verba pariter indubia ſunt, & a nullo fuere impugnata, & reipſa in hoc decreto continebantur, cum tamen illa verba: *ad fidem* in Petri Crabbei editione anno 1538. nec non illa verba: *ad reformationem* &c intruſa fuerint: quando vero Conſtantienſis Synodus in Seſſione V. ſua decreta ad alia Concilia Generalia impoſterum celebranda extendere videtur his verbis: *aut cujuscunque alterius Concilii Generalis*, tunc eadem Synodus ibidem ſatis provide ea rurſus circa Pontifices reſtringit ad caſus ſupra præmiſſos, ſcilicet ad caſum Pontificis hæretici, dubii, aut ad tempus ſchismatis ob plures

de

de Papatu contendentes: caute enim subjungit: *legitime congregati ſuper præmiſſis, aut ad ea pertinentibus:* hinc eadem hæc verba *ſuper præmiſſis* in annotatione mea ad §. 175. diverſis, ac aliquantulum majuſculis literis imprimi curabam, unde haud ſatis mirari poſſum, quod Cenſor noſter aliunde valde perſpicax tunc oculorum ſuorum aciem adeo hebetatam habuerit, ut perſpicere non potuerit, quod certe hæc verba juxta ipſum adeo victorioſa pro Eccleſia Gallicana ſedulo perpenderim: eam vero Concilii mentem fuiſſe, ignorare haud potuit Cenſor noſter, ſi tamen, prout tam univerſalis Critici munus depoſcere videtur, rerum in hoc Concilio geſtarum ſeriem animo non præoccupato perpendit: nonne paſſim in Hiſtoricis ſcriptum invenit, quod circa poteſtatem Concilii erga Papam tum a Patribus Synodi Conſtantienſis ſex Sententiæ fuerint propoſitæ. 1. Aſſerebant quidam, Pontifices in nullo omnino caſu Concilio ſubjici poſſe. 2. Alii dicebant Papam nequidem in caſu ſchismatis (excepta hæreſi manifeſta, & externa) eſſe Synodo ſubjectum. 3. Nonnullorum erat opinio Pontifices de Papatu contendentes in hoc ſchismate etiam nulla probata eorum hæreſi, pro unione, & pace Eccleſiæ comparanda Concilio ſubjici, ab eoque judicari poſſe. 4. Non pauci aſſerebant, quod Concilium, etſi pro caſu ſchismatis in Papam dubium hanc habeat

beat poteſtatem, Eccleſiam tamen in capite reformare non valeat, ſed novum, legitimumque Papam expectare teneatur, ut eo conſentiente reformatio fiat. 5. Plurimi propugnabant, Concilium duntaxat in caſu ſchismatis utramque hanc habere poteſtatem nonniſi in Pontifices dubios. 6. Sexta Sententia erat Gerſonii, qui non modo Synodo Conſtantienſi, ſed cuilibet Concilio non ſolum pro caſu ſchismatis Papam dubium, ſed abſolute ſubjectum eſſe voluit. Ex his autem ſex Sententiis Synodus ſua decreta inſtruxit juxta quintam ſententiam, reſtrinxit ea igitur duntaxat ad caſum dicti ſchismatis, non autem extendit ad omnem caſum, eapropter Patres Synodi Conſtantienſis Joannem XXIII. quem nec de hæreſi, nec de ſchismatis crimine vere convincere poterant, ac ſibi illum deponendi auctoritatem non competere ſcirent, prius rogarunt, *ut conſentiret ſententiæ ſuæ depoſitionis, & ex abundanti renuntiaret.*

Hæc igitur cum non modo in mea annotatione ad §. 175. paucis expoſuerim, ſed etiam in ſequenti nota ad §. 188. fuſius comprobarim, quod quartæ, & quintæ Seſſionis decreta nec Sedes Apoſtolica approbarit, neque univerſalis Eccleſiæ, & Romanorum Pontificum uſus confirmarit, imo nequidem Eccleſia Gallicana perpetua Religione cuſtodierit, ſane immerito Criticus noſter de me ſcripſit, quod hæc verba

non

non perpenderim: optarem autem, ut eruditus hic vir melius perpendiſſet apologiam Eugenii IV. Papæ in Florentina Synodo viva voce per Joannem a Turrecremata exhibitam, atque ab Harduino Tom. IX. Conciliorum inſertam; ex ea enim ſerio perſpicere potuiſſet, quod ex his verbis: *declarans* &c. Gallorum ſententia ſat parcos victoriæ fructus reportare valeat: quam enim gloriam ſibi Gallicana Eccleſia vendicet ex ejusmodi decretis, quæ a tot Summis Pontificibus ad hodiernam usque diem rejiciuntur, & a nullo Papa, aut Generali Concilio recepta, vel in uſum deducta ſunt.

§. VI.

Cenſor Germano-Catholicos carpit.

Tandem Criticus noſter, qui de libris judicium ferendi munus profitetur, univerſim Germano-Catholicos, proin etiam Cæſares, Reges, ac Principes indignum in modum ſugillare præſumit, & qui antea ſeveriorem egit Catonem, nunc velut alter Ἡράκλειτος flebili nænia jugiter ſimplicitatem, ac ſuo judicio ſtoliditatem Germano-Catholicorum deplorare videtur his verbis: es iſt zu beklagen, daß die Deutſchen von der Römiſchen Kirche ſich ſo freywillig dem harten ultramontaniſchen Joche auch in den geringſten Stücken unterwerffen, ſeu latine, *deplorandum eſt, quod Catholici Romanæ Eccleſiæ addicti adeo ultronee ſeſe duro ultramontano jugo etiam in minimis quoque rebus ſubjiciant.* Verum

rum a lacrimis ſibi temperet bonus ille vir, ſuisque oculis ad pervolvendos libros adeo neceſſariis parcat, aures autem ſuas Divo Auguſtino, (l) qui ſibi a Berolinenſi criſi non timet, accomodare dignetur: hic autem refert, quod nonnulli ſua etiam ætate pariter deplorarint, ac *conſiderarint eos, qui jugum ipſum intrepida cervice ſubierunt, & illam ſarcinam manſuetiſſimis humeris acceperunt*, quamvis *non a laboribus ad quietem, ſed a quiete ad laborem vocati videantur*. Idem quod Africanus hic Doctor ejusmodi carnis prudentia imbutis reſpondit, clariſſimus quoque Cenſor noſter ſibi dictum reputet: *ſi anguſta eſt ſarcina paucis eligentibus, facilis tamen omnibus diligentibus . . . & quæ dura ſunt laborantibus, eadem ipſa miteſcunt amantibus*. Ita de jugo Chriſti ſentiebat ſanctus Auguſtinus, & cum eo omnes Eccleſiæ Romano-Catholicæ Patres, ex quibus nullum omnino reperire eſt, qui obedientiam ſupremo Eccleſiæ Capiti debitam durum jugum, ipſumque Pontificem tyrannum, Antichriſtum &c. appellitare ſomniaſſet, adeo, ut proterva hæc convitiandi libertas non alium Proto-parentem, quam Lutherum, ejusque aſſeclas agnoſcat; antehac enim per quindecim ſæcula, & amplius cunctis Eccleſiæ Doctoribus, omnibusque Chriſti fidelibus certitudine fidei perſua-

(l) Serm. 9. de verbis Domini.

persuasissimum erat, atque hodiedum est, quod Christi jugum non sit diversum a Petri, ejusque Successorum jugo, atque id non nisi filiis rebellibus durum, obsequiosis autem suave sit; edicat enim clarissimus hic Censor, quonam ex capite hæc obedientia grave censeatur jugum, aut quibusnam demum vinculis Christiana Romano-Germanæ Ecclesiæ libertas constringatur: equidem deplorat, quod Germani sua sponte etiam in minimis articulis ultramontano jugo sese subjiciant, ejusque auctoritatem ubique venerentur, ac defendant: num vero durum est illud jugum, dum non privato homini, sed Christi Vicario sincera præstatur obedientia, ei, inquam, qui ex cœlestis Magistri nostri institutione Petro in pascendo grege Dominico successit cum æquali Primatus, & jurisdictionis prærogativa. Ergone Germani, quibus vere germana adhuc inest fides, semetipsos tradunt captivos, dum obsequio suo juxta Apostoli doctrinam etiam in minimis ipso opere adimplent, *ut Corpus Ecclesiæ compactum sit, & connexum per omnem junctturam ad ædificationem in charitate.* Num forte Romani Pontifices jam tum Germanis suæ tyrannidis compedes injecerunt, dum eos a captivitate dæmonis, atque idolorum servitute ad Christianam libertatem, necnon ex superstitionum tenebris ad veræ fidei lucem per Apostolicos viros deduxe-

duxerunt; perſcrutetur Criticus noſter Scripturas hiſtoricas, & horum Pontificum nomina, & ad Chriſtum ab eis revocata regna reperiet: perlegat etiam immenſas laudes, & juges animi jubilos, quibus ſupremi Reges, Principes, cunctique incolæ ſe ad Chriſti ovile ſub uno viſibili Paſtore ſuo reduces gloriabantur; vel unicum autem ex illis nobis oſtendat, qui cum ipſo deplorarit, quod duro ultramontano jugo per hanc converſionem ſeſe ſubjecerit; ſi ergo illis hoc jugum ſuave erat, & hæc ſubjectio non minus ſalutaris, quam neceſſaria videbatur, cur nos ab hac eadem petra, ſupra quam Chriſtus ipſemet ſuam fundavit Eccleſiam, recedamus. Unde autem hæc eadem ſubjectio noviſſimis hiſce temporibus ad grave jugum excrevit? juxta Chriſti, atque omnium ſanctorum Patrum, & Romano-Catholicorum doctrinam ſervi, & mancipia ſunt illi, qui paſſionum ſuarum licentiæ indulgent, atque a legibus ſoluti velut equus, & mulus ſolutis habenis in apertis diabolicæ libertatis campis luxuriantur: haud ignoro, Lutherum fuiſſe primum Magiſtrum, qui chriſtianam libertatem ope Spiritus privati in exemptione a legibus Eccleſiaſticis, debita ſupremo capiti obedientia, omnique ſubjectione conſtituerit: verum hanc libertatem ſapit caro, non ſpiritus: ea non eſt libertas filiorum Dei, ſed *graviſſima ſervitus, atque tyrannis,*

ut eam appellat glorioſiſſimus Cæſar Carolus V. in ſuis literis ad Proteſtantium urbes datis (m) hinc ab hac libertate ſibi ſummopere cavebant Catholici Principes, haud ignari, quod hujus Novatoris doctrina, quæ omnem erga ſupremum Eccleſiæ caput ſubjectionem abjicere docebat, ſenſim etiam politici Magiſtratus auctoritatem evertat: juxta ipſius enim principia pronum eſt inferre, hoc, vel illud Cæſaris, Regis, aut Principis mei mandatum conſcientiæ libertatem lædit, ergo non teneor illi obedire, vel Princeps per hanc legem cultum, quem mihi ſpiritus privatus ſuggerit, exterius exercere inhibet, ergo hac lege non adſtringor, proin illam ſpernere, meamque libertatem etiam armis in Principem meum ſumptis defendere licet; potius enim Deo, quam hominibus obtemperandum. Talia præcinuit ipſemet Lutherus, qui docere non abhorruit, quod contra omnes, qui doctrinam a Proteſtantibus ſuſceptam impugnare aggrediuntur, arma ſumere liceret. (n) Taceo ſeditioſos ejusdem libellos, quos ita inſcripſit: *gloſſa in prætenſum imperiale edictum: præmonitio ad Germanos ſuos dilectos.* Non dedignetur Cenſor noſter audire eundem Romano-Germano-Catholicum

(m) Sleidanus lib. 17. edit. Argentor. anno 1558. fol. mihi 299.

(n) Contin. Hiſt. Fleurii tom. 36. §. CI. Lib. CXXXIII.

cum Cæsarem Carolum V. qui sæpius querebatur, quod sub obtentu Christianæ libertatis Protestantes primo Pontificis jugum, dein etiam Cæsaris obsequium abjicere moliantur: *a quibusdam*, inquit hic Imperator (o) *varia sæpe tentata sunt in vestrum, & reliquorum Ordinum, & meum quoque detrimentum . . . . non eo certe, quod Religionem ament, aut Gloriam Dei spectent, sed ut obducta quadam specie pietatis, qua suam nequitiam tegunt, reliquos Ordines opprimant, eorumque factiones in suam potestatem redigant; nam & quorumdam bona jam occuparunt, & per vim adhuc detinent, magna certe cum injuria plurimorum, & cum eo rem deduxerint, ut sublatis judiciis, nihil amplius metuant, nunc etiam hunc MEUM, QUO FUNGOR, MAGISTRATUM non uno modo petunt, & temerarie convellunt, eo consilio nimirum, ut Ordines imperii, maxime vero civitates, partim vi, partim insidiosis rationibus subigant, cujus quidem rei fidem mihi faciunt sermones ipsorum, quando jactant, ut quidem ad me defertur a fide dignis, & minantur etiam, SE MIHI VIM FACTUROS, atque bellum. Testantur idem tot illorum ficti, seditiosi, famosi libelli, atque picturæ, quas edunt, ut turbas excitent, ET IN ME populum accendant.* Hi enim veluti per gradus ascendebant, primo Pontificis auctoritatem, postea

(o) Apud Sleidanum l. c.

Ecclesiam, ac demum ipsum etiam Imperium evertere molientes.

Quid in veritatis hujus testimonium afferri clarius posset his ipsis Caroli V. verbis: (p) *agitur, nec id quidem asserere dubito, de ipsa etiam Sede Apostolica, cujus Sanctitatem vestram tanquam dignissimum Caput veneror, in quod hæretici periculosissima sua spicula intendunt, spe freti, quod tunc, si hanc columnam, quæ Ecclesiam Catholicam sustentat, ac veluti vallo cingit, feliciter everterint, nullo negotio ipsam quoque Ecclesiam brevi pessumdare possint.* Idem etiam præsenserat piissimus Pontifex Adrianus VI. natione Germanus, qui Imperii Principes contra perversam hanc doctrinam his verbis præmonuit: (q) *attendant finem Lutheri, quo SUB COLORE LIBERTATIS PRIMO potestatem Ecclesiasticam annihilare præsetulit, cum tamen eadem libertas æque & plus militet CONTRA POTESTATEM SÆCULAREM, etiam illam enervare vult; non enim illa amplius homines quibusdam præceptis, quantumvis justis & rationabilibus ad parendum sub pœna mortalis peccati obligare poterit; unde maxima scandala, turbationes, & bonorum direptiones ex hac secta sequentur. An non,* prosequitur Pontifex, *consideratis, Germani Principes, præludium esse quoddam eorum malorum,*

(p) In sua ad Paulum III. epistola apud Contin. tom. 38. Lib. CXLII. §. 148.

(q) Continuator tom. 34. Lib. CXXVIII. §. 29.

lorum, quæ Lutherus, ejusque Sectatores moliuntur? an non aperte videtis, istud prætensum in principio a Lutheranis veritatis Evangelicæ patrocinium detectum, nunc esse merum rerum vestrarum Latrocinium: an putatis alio tendere istos iniquitatis filios, quam ut libertatis nomine, omni obedientia sublata, quod cuique libuerit, faciendi licentiam inducant? an ullius pensi jussa, & leges vestras creditis habituros, qui sacros Canones, & Patrnm decreta, necnon Sacro- Sancta Concilia non solum vilipendunt, sed, & lacerare, ac comburere non verentur? denique qui Sacerdotibus, Episcopis, & summo Pontifici debitam obedientiam detrectant, an speratis contenturos sacrilegas manus a Laicorum bonis, & non omnia potius sibi, quæ poterunt, vindicaturos, qui res Deo dicatas, quotidie vobis præsentibus & videntibus aufferunt, diripiuntque? an denique vestris cervicibus parsuros, qui non tangendos Christos Domini contemerare, cædere, & trucidare ausi sunt? pariter Farnesius Cardinalis, nec non Cæsaris Oratores Granvellanus, & Navius sæpe deplorabant, quod per pestiferam hanc libertatem integerrimum Cameræ judicium subvertere moliantur, ut eo sublato Cæsaris in Germania ruat auctoritas, ac violetur Cæsaris Majestas. Id reipsa comprobarunt tot bella, ac seditiones pro tuenda adulterina hac libertate contra legitimos suos Principes conflatæ, quæ passim a sacris, profanisque Historicis

non ſine horrore recenſentur: ſi autem Leges a ſummis Pontificibus præſcriptas grave iugum appellare audent, potiori fors jure Cæſaris, Regum, & Principum mandatis ſibi compedes injici ingemiſcent, nam eædem ſunt Cæſaris ac Pontificis prærogativæ ac jura, hoc Sacrum, illo profanum imperium moderante, jam conferant ea, quæ Papa, cum illis, quæ Principes profani jure præcipiunt, atque imponunt, & me Hercle! Pontificis jugum haud grave aſſerent, & ſi per tot Sæcula *adeo ultronee* tot milliones Germanorum ſeſe huic jugo ſubjecerunt, ac ſubdiderunt, ſane vel ex eo illud adeo durum non eſſe evincitur; quænam enim præcipit Pontifex? ſi res fidei perpendo, non novos injungit articulos, ſed antea obſcure in S. literis revelatos tanquam infallibilis judex declarat, ac juxta Chriſti præceptum Patres, ac filios ſuos confirmat, ne a recta via aberrent, ſed fidei unitatem indiſſolutam conſervent: nec durum jugum dici meretur, ſi Papa ſalutaribus monitis, ac ſuavi etiam vi ad ſervanda hæc dogmata compellit; injuſte enim Apoſtolus nos monuiſſet, ut captivemus intellectum noſtrum in obſequium fidei. Si hæc ſubjectio grave jugum eſt, cur idem Apoſtolus ſuos Chriſtianos inſtruxit, quod omnis anima ſubjecta ſit ſublimioribus poteſtatibus? ſi haud toleranda ſarcina eſt, quod oves ſequantur Paſtorem, cur Chriſtus Petrum conſtituit

ſtituit, ut indiſcriminatim omnes paſceret oves: forte Cenſor noſter ſortem noſtram deplorat, eoquod Chriſti jugum Pontifices tot novis Eccleſiæ Legibus circa mores, & diſciplinam aggravarint? forte etiam deplorabit ſemetipſum, eoquod graviſſimarum, innumerabilium, ac novarum legum ad profanam politiam ſpectantium jugo ſubjectus eſſe cogatur? Leges Pontificiæ vix non omnes ab ipſismet Apoſtolorum temporibus ad nos fuerunt transmiſſæ; quippe jejunia cultu magis Religioſo antiquiſſimis temporibus ſervabantur ab ipſo Apoſtolo 2. ad Cor. commendata, nec ex recenti Pontificum invento jejunii tempus fuit protractum; cum Elias in veteri, & Chriſtus in novo teſtamento quadraginta dierum jejunio nos præiverint, atque Origenes tanquam de re jam dudum obſervata ſcripſerit: *habemus quadrageſimæ dies jejuniis conſeeratos, habemus quartum & ſextum Septimanæ dies, quibus ſolenniter celebramus, eſt certe libertas Chriſtiana PER OMNE TEMPUS jejunandi*: itaque per omne tempus jejunare Chriſtianis liberum erat, præfatis autem diebus præceptum. Forte cum ſuis inter gravis jugi onera recenſet diſtinctam, atque auricularem peccatorum Confeſſionem, aſt Actor. 19. legimus, quod prædicante Apoſtolo Epheſi multi credentium venerint *confitentes, & annuntiantes actus ſuos*, hi certe non generaliter dixerunt: *peccavi*,

annuntiantes ea, quæ egerunt, *actus ſuos*; alias fruſtranea fuiſſet poteſtas a Chriſto Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus data ſolvendi, ac ligandi; omnibus enim generaliter dicentibus, *peccavi Domino*, vel omnes ſolvere, vel cunctos ligare deberent, ex hac generali Confeſſione neſcientes, quem ſolvere, quem vero ligare oporteret: rurſus vero idem Origenes hom. 4. ſupra Levit. ſeptem ſtatuit peccatorum remiſſiones, quarum ultima eſt, prout inquit, licet dura, & laborioſa per pœnitentiam remiſſio peccatorum, cum lavat peccator in lacrimis ſtratum ſuum . . . . *& non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum:* non ergo adverſarii noſtri Confeſſionem eſſe Pontificiam carnificinam, nec Germano-Catholicos a Pontifice huic jugo ſubjectos afferant. Si vero Pontifices in contumaces, & ſeditioſos filios Eccleſiæ pœnas vibrant, Chriſti præceptum adimplent, dicentis: *dic Eccleſiæ, ſi autem non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus*, ne vero anathematis Sententia duntaxat a tota ſimul Eccleſia vibranda credatur, non ad Eccleſiam, ſed ad Apoſtolos mox dixit Chriſtus, *quæcunque alligaveritis* &c. adeo ut per Eccleſiæ Prælatos ſeditioſi, ac rei duplici pœna caſtigentur in terris 1. ejectione ab Eccleſia, *ſit tibi ſicut* &c. & 2. futuro ſupplicio; *erit ligatum in cælo:* hanc autem pœnam ab ipſomet Apoſtolo ſeverius fuiſſe inflictam, haud igno-

ignorabit Criticus noſter, cui nota erunt verba ex 1. Cor. 5. ac 2. Cor. 22.2. Theſſal.3. &c.

Nec etiam Germanicæ nationi durum jugum impoſitum eſt per Pontificias Conſtitutiones circa materias ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantes: quippe ea etiam, quæ delicatoribus humeris graviora videbantur, relaxata fuere per Concordata Nationis Germanicæ inter Pium II. & Fridericum III, inita, quæ adeo Religioſe ſervantur, ut etiam Imperatores in ſua coronatione, ſe ea, ac capitulorum jura contra Pontificem ſervaturos jurato ſpondeant: nec Pontifices in aliis, prout tamen falſo criminantur Proteſtantes, diſciplinæ vigorem enervant; nam quamvis exigente rerum, temporis, locique viciſſitudine nonnunquam in quibusdam legibus Canonicis diſpenſandi facultatem habeant, nunquam tamen ea poteſtate ad deſtructionem, ſed ad ædificationem utuntur, tum autem, ut ait Symmachus Papa in epiſt. ad S. Avitum, *quod fit præter regulam, modo fiat ex juſta cauſſa, non infringit regulam, quam ſola pervicacia, & antiquitatis contemptus lædit; nam quamvis a Patribus ſtatuta diligenti obſervatione, & obſervanti diligentia ſint cuſtodienda, nihilominus propter aliquod bonum de rigore legis aliquid relaxatur, quod & ipſa lex caviſſet, ſi prævidiſſet, & ſæpe crudele eſſet inſiſtere legi, cum obſervantia ejus eſſe præjudi-*

cabilis Ecclesiæ videtur: quoniam leges ea intentione latæ sunt, ut proficiant, non ut noceant: Amabilis igitur Patris jugum est, ubi ipsius mandata, si absque morali nocumento servari nequeunt, non obligare vult, vel si ea nocere comperit, ipse dispensat, vel aliis dispensandi facultatem delegat: hinc suave jugum est Catholico-Germanorum, quos charitatis vinculum suo capiti agglutinat, non vero potest esse unio charitatis, apud quos deest unio fidei: qualis vero apud Protestantes sit unio fidei, ubi illius est Religio, cujus est regio, patet, unde tot inter illos schismata, tot Sectæ, quot Provinciæ, prout ingenue fatebatur Joannes Leonardus Fröreisen Argentinensis Academiæ Rector, cujus testimonium ad calcem proferemus. Felix ergo jugum nos Romano-Catholici Germani portamus, dum juxta S. Cyprianum, ne in nobis sint schismata, uni Maximo Sacerdoti obtemperamus, illique rationabile obsequium præstamus.

Tandem Criticus noster haud contentus Germanorum-Catholicorum sortem deploraſſe, eisdem quoque exprobrat, quod præsentaneum Pontificis jugum excutiendi medium neglexerint; ait enim: da ſie (die Deutſche der Römiſchen Kirche) ſich doch ſo gut als die Franzoſen wenigſtens zu der freyeren Denkungsart der gallikaniſchen Kirche heraufſchwingen könnten. Seu latino sermone: *cum tamen*

men (Germano-Catholici) *æque, ac Galli ſaltem ad liberiorem ſentiendi modum Gallicanæ Eccleſiæ ſeſe extollere poſſent, aliunde etiam ejusmodi prærogativam Gallis jam ſuppeditet ipſorum intellectus per ſcientias magis illuſtratus.*

Noſcitur ex cantu volucris: itane liberior ſentiendi ratio efficit, ut quis exactius boni Chriſtiani partes adimpleſſe dicatur? ergo ne fidei puritatem cujuslibet privati, aut unius nationis liberiori ſentiendi modo exponere licet, eaque juxta hanc libertatem dimetienda venit? Hæc quidem ſit doctrina illorum, qui fidei regulas ad ſuum privatum ſpiritum, ſicut Sutor corium ad ligneam calcei formam detorquere, atque accomodare permittuntur alia longe eſt Nationis, ac Gallicanæ Eccleſiæ, necnon cujuslibet veri Catholici Sententia; nam ea non aliam ſentiendi rationem tenet, quam cunctis fidelibus Chriſtus præcepit dicens: *facite, quæ vobis dixerint:* horret autem Gallicana Eccleſia ejusmodi libertatem, qua ſummo Pontifici debitum denegatur obſequium, deteſtatur libertinos, eorum autonomiæ ſeu libero vivendi, ac ſentiendi modo, qui Germanico ſermone Freydenkerey appellatur, ſeſe ſtrenue opponit: Eapropter Criticus noſter toti Nationi Gallicæ, huicque Eccleſiæ atrocem ſane calumniam, labemque inuſſit, cum Gallos ad liberiorem ſentiendi modum ſeſe extuliſſe temere ſcribit, Germanosque increpat, quod necdum

ſaltem

saltem ad hanc libertatem sese extulerint, si sese (ut sat aperte insinuare videtur) ad Lutheranam, vel Calvinianam libertatem efferre nolint. Ast quam falso Gallicanam Ecclesiam insimulet, testimonia paulo ante allata evincunt, in quibus manifeste deprehenditur, quod Galli omni ævo fidei, atque Ecclesiæ unitatem a Romana Sede, non autem a liberiori sentiendi modo derivari, conservari, ac propagari professi fuerint; quoniam vero eruditus noster Censor fors noviſſimis primum temporibus per intellectum scientiis recens illustratum Gallis novam hanc sentiendi libertatem, qua ultramontanum jugum excutere possent, instillatam arbitratur, ex Galliis nonnisi currentis Sæculi testes evocabo, ut constet, non eam sentiendi libertatem, quæ Ecclesiæ Gallicanæ affingitur, potissimum in hoc Regno locum habere: anno quippe 1700. Clerus Gallicanus in Comitiis Generalibus Lutetiæ celebratis profitebatur: *unum in Ecclesia adesse primum Episcopum, unum adesse Petrum toti gregi pascendo a Christo præpositum: unam adesse Matrem Ecclesiam ceteris edocendis institutam*, unde inferebant Antistites: *Jesu Christi Ecclesia super hanc unitatem fundata, tanquam supra Petram immotam, inconcussa est.* In Comitiis autem anno 1705. Præsules Constitutionem Clementis XI. cum plena subjectione acceptantes: *judicio Sedis Apostolicæ firmari pacem Eccle-*

Ecclesiarum declarabant, idque Cardinalis Noallius anno 1711. data ad eundem Papam epistola, cui duodecim Archiepiscopi, & Episcopi subscripserunt, testatum reddebat: nec minus anno 1713. die 15. Octobris iidem Antistites Parisiis congregati Constitutionem *Unigenitus* absque ullo illius examine acceptarunt, hæc addentes: *illud imprimis habuimus in animo, ut Apostolicæ Sedi debitam observantiam exhiberemus.* Me hercle! non ita loquuntur illi, qui liberiori sentiendi modo Ultramontanum jugum excutere moliuntur: insuper Clerus Gallicanus in suis literis encyclicis e Comitiis anno 1714. conscriptis agnoscit, *datum esse Petro, & Successoribus ejus, ut Patres suos in his maximi momenti casibus* (fidei nempe, & morum) *corroborent.* Præclarum etiam immoti in Religionem Romano - Catholicam studii, nec non suæ in Apostolicam Sedem reverentiæ specimen edidit Ludovicus XV. Galliarum Rex, dum anno 1714. Bullam *Unigenitus* publicari, & ad tabulas referri præcepit, atque ad sedandos tumultus anno 1717. silentii legem imposuit. Insuper idem Franciæ Rex suum erga Romanam sedem, ejusque visibile Caput obsequium professus est, dum anno 1723. prodiit opus posthumum Gallice inscriptum: *Nona dissertatio Abbatis Fleurii de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ*, ubi hic auctor de debita erga Papam subjectione loquens, testatum fecerat, quod

in

in Gallia vix ullum Regularem, vel Ecclesiasticum reperire sit, qui non in sententiam de Romani Pontificis infallibilitate, uti eam, quæ pietati conformior est, pronius inflectatur, atque hæc Sententia apud illos integra, sartaque maneat, qui moribus, vitæque genere præ aliis, qui in novitiam opinionem concesserunt, magis magisque exornati sunt, hæcque opinio duntaxat quibusdam juristis, aut profanis politicæ, aut liberioris disciplinæ, laxiorisque vitæ generis hominibus placeat, cum autem in eadem dissertatione pag. 24. Fleurius, asseveret: *hæreticam* esse sententiam, quæ docet, Romanum Pontificem humana duntaxat institutione, ac mera Ecclesiastica politia Primatum obtinere, hæc censura cuidam Anonymo displicuit, ac propterea hanc dissertationem, quam juris publici fecit, annotationibus hæreticis, ac liberiorem sentiendi modum sapientibus deformavit: ast hujus viri licentiam Ludovicus Rex iniquo ferens animo, ut læsam Pontificis auctoritatem vindicaret, hoc opus unacum nefandis suis annotationibus decreto supremi Senatus die 9. Septembris anno 1723. supprimi, atque in illius auctorem inquiri jussit. Ejusdem quoque Regis Zelus, quo Romani Pontificis tanquam visibilis Ecclesiæ Capitis jura sarta voluit, enituit, dum libellum, cui titulus: *Consultations des Messieurs les* 50. *Advocats* &c. edicto die 3. Julii 1728. proscripsit, ac divulgari prohibuit,

eoquod

eoquod in eo debita Pontifici ſubjectio negaretur. Præterea recentiſſimum juxta, ac luculentiſſimum, quo Eccleſia Gallicana Sedi Apoſtolicæ ſeſe ſubjectam profitetur, ſpecimen nobis exhibetur occaſione controverſiæ ante aliquot annos exortæ ob recuſationem Sacramentorum in articulo mortis erga eos, qui Bullam *Unigenitus* non acceptarunt: legatur (r) epiſtola Paſtoralis Chriſtophori de Beaumont Pariſienſis Archiepiſcopi anno 1756. die 19. Septembris edita, in qua a primis Sæculis usque ad noſtram ætatem plena Gallicanæ Eccleſiæ ſubjectio erga Sedem Apoſtolicam invictis argumentis teſtata redditur, quam etiam tum octo Epiſcopi ſuis ſcriptis publice comprobarunt, atque triginta tres Franciæ Antiſtites hanc controverſiam non a Concilio, ſed ab ipſo ſummo Pontifice decidi humiliter petierunt, atque obtenta Pontificia hac declaratione ipſemet Ludovicus XV. Rex anno 1756. die 13. Decembris ſuam auctoritatem ad procurandam Pontificiæ Conſtitutioni debitam venerationem, & ſubjectionem impendens eandem hanc legem acceptabat, atque obſervari præcipiebat, moxque Franciæ Epiſcopi cum plena ſubjectione hanc Pontificis ſententiam recipiebant. Non tamen inficiamur, quod Janſeniſtæ,

(r) Vide libellum de turbis Galliæ modernis edit. Ulm. 1757.

seniſtæ, illisque addicti, Gallicanæ Eccleſiæ libertatibus, quæ tamen ad primos limites per concordata inter Leonem X. & Franciſcum I. anno 1616. erecta, atque in Concilio Lateranenſi comprobata revocatæ fuerant, abutentes, vel alii, quos Fleurius l. c. *liberioris diſciplinæ, laxiorisque vitæ generis* viros appellat, obſequium erga Pontifices pro more omnium hæreticorum excutiant, eisque ſummo Pontifici ſubjacere diſpliceat: aſt ex horum auſibus totius Eccleſiæ, ac Nationis Gallicanæ Religionem, ſtudiumque dimetiri nefas eſt; ſi vero propterea Criticus noſter fors de Orthodoxia Gallorum dubius hæſit, conſulere debuiſſet regulam Divi Bernardi, (s) qui ait: *in omni negotio validiſſimum argumentum eſt ad faciendam rei dubiæ fidem, id ſemper eſſe melius, quod placet bonis, malis vero diſplicet.* Patet igitur, quod Gallis injuriam fecerit Cenſor, dum generatim illis ex clariori in ſcientiis notitia nobiliorem ſentiendi libertatem inſpiratam comminiſcitur: Germani haud minori judicio, prudentia, perſpicacia, & literarum peritia fulgent, aſt eo ipſo nunquam ad liberiorem hanc ſentiendi rationem deflectendum eſſe, clarius agnoverunt: ſi autem Gallos eruditionis ubertate Germanis præſtare arbitretur, cur Cenſor Berolinenſis cum ſuis non ſequitur Gallorum fidem, ac doctrinam: forte non illos,

(s) Epiſt. 388. nunc 348.

illos, qui sese Romanæ Ecclesiæ subjiciunt, sed duntaxat eos Gallos, qui illius jugum sua sentiendi libertate excutiunt, clariori scientiarum luce illustratos existimat?

§. VII.

Berolinensis Critici censura contra Interpretis notam in Pisanum Conciliabulum.

Postea Berolinensis Criticus censoriam virgam suam extendens mihi exprobrat, quod ea, quæ Ludovicus XII. Galliarum Rex adversus Julium II. Papam attentaverat, non approbaverim, inquit enim *Concilium, quod Ludovicus XII. contra Julium II. convocaverat, nec non bellum, quod ei intulerat, præcipue vero pacis conditiones, quas Rex ei proposuerat, versor tanquam omnium maxime abominanda reputat scelera,* „miseram „(exclamat tom. 32. pag. 165. cum Ma„riana) temporum labem a profanis Christi „Vicario leges imperandi præscribi, in uno peccato (nemlich in der Zusammenberufung der Kirchenversammlung) quot, & quanta existere peccata, quæ tamen (addit de suo Inter„pres) haud impune abibant; quippe ut „refert Odoricus Raynaldus, post varios „demum funestos casus Gallus accepti Fer„rariensis auri pœnas Italici, & Navarrici „Imperii jactura persolvit„ Concilium, daß Ludwig XII. gegen den Pabst Julius II. versammelte, und der Krieg, den er mit ihm führte, insonderheit aber die Friedensbedingungen, die er ihm vorlegte, scheinen dem Uebersetzer die abscheulichsten Verbrechen. Ecce! his verbis

tota mea describitur culpa: allegavi Marianæ verba, & de meo addidi, *hoc peccatum non fuisse impune relictum*, idque probavi verbis Odorici Raynaldi: atrox sane peccatum! si versor quidam duorum probatæ fidei Authorum animadversiones in quoddam factum historicum adducit: attamen Mariana & Odoricus vel falso, vel vere hæc annotarunt? si vere, cur mihi vitio vertitur, Historicos veritatem dicentes adduxisse, si falso, falsitatis testimonium ipsus contra eos proferre, non autem me carpere ex eo debuisset, quod veram culpam hac utriusque Scriptoris animadversione dignam esse, ipsorum testimonio comprobarim: porro an hæc crimina *omnium maxime abominanda* reputarim, ex verbis a me adductis sane inferre non potuit; ex ejus autem censura merito ipsius animum Romanis Pontificibus apprime infensum colligere fas est, dum approbata, aut saltem excusata, vel dissimulata vult ea facinora, quæ omnium coævorum testimonia damnant, & ipsemet Ludovicus Rex se perpetrasse ingemiscebat. Taceo Conventum Turonensem, quem Coævi historici ferme omnes etiam Galli *conciliabulum* vocant, eoquod in illo pauci quidam exasperato Regis animo ancillantes decreta Sedi Apostolicæ injuriosa condidissent, ut autem ea saltem a quibusdam Regni Gallici Ecclesiasticis approbarentur, idem Rex minas, crebrasque injurias illis illatas adhibere cogebatur, eoquod probis perspe-

perſpectum eſſet funeſtum conflari ſchisma, quod reipſa nonnulli Cardinales, quos privatæ vindictæ libido ad probroſam a Papa defectionem incitaverat, ſuſcitare moliebantur, congregantes Piſanum illud Synedrion, cujus tamen vindicem agere, ipſemet Criticus noſter erubuiſſe videtur, haud ignarus, illius acta adeo a cunctis abominationi haberi, ut etiam ille Calviniſta, qui ea anno 1612. typis edidit, nec ſuum, nec Typographi nomen, locumque prodere auderet, ac falſum Melchioris Mondier nomen mentiretur, ut eo liberius impia quævis cum ſumma rerum divinarum profanatione pro Novatorum recentiorum more intrudere valeret: ſi vero contra Cenſoris noſtri Eccleſiam nonnulli Proteſtantes novam in Regno Sectam, ac ſchisma in quodam conventu conflare præſumerent, nonne ipſemet ejusmodi conciliabulum damnaret, atque in eodem actitata veluti maxime abominandum facinus deteſtaretur? prout non ita pridem ejusmodi ſciſſiones deplorabat Rector Argentinenſis ſupra laudatus: nunc vero Criticum meum mitiora, ni ſaniora cogitaturum ſpero, ſi Piſani hujus Conventus initium, progreſſum, & finem mecum ſana criſi, ac mente ſuis præjudiciis a juventute inſtillatis non præoccupata perpenderit. Itaque hoc conventiculum indicebatur a tribus Cardinalibus inſana cupiditate excæcatis, qui in ſua indictionis

ſchedula Julium Papam perjurii reum proclamabant, eoquod Oecumenicum Concilium, prout promiſiſſet, celebrare neglexerit, cum tamen ipſimet ſatis perſpecta haberent obſtacula, quibus Pontifex a celebranda Synodo præpediretur, qualia præter alia erant omnibus nota, ac ubique graſſantia bellorum incendia: dein hæc ratio etſi reipſa non ſubfuiſſet, nequaquam tamen hi tres Cardinales univerſalem Synodum convocandi facultatem ad ſe devolutam jure aſſerere poterant; quis enim Catholicorum legitimo Pontifici in hoc caſu hanc poteſtatem aufferre potuit, aut ſi hunc Papam non fuiſſe legitimum cenſuerunt, cur non potius ad reliquos Purpuratos numero, doctrina, & auctoritate potiores, ſed potius ad tres factioſos devolvebatur? cur hi nec ipſimet per ſe, neque per alios Papam, ut Concilium convocaret, hortabantur, ſed inanibus, confictisque argutiis deluſi deſperatam rem eſſe jactitabant, imo convocandæ Synodi auctoritatem ad primum occupantem ſpectare dicebant, ut ipſimet faſſi ſunt in literis datis ad Cardinalem quemdam, qui antea hujus factionis particeps eorum in indicenda Synodo præceps conſilium damnabat: (t) *cum eſſet*, inquiunt illi, *in mora periculum, poſtquam venerunt iſti Commiſſarii, & procuratores Cæſaris, & Regis Chri-*

(t) Vid. append. act. Conc. Piſc. pag. 166. item act. Piſ. Conciliabuli.

Christianissimi ad requirendum eos de Concilio, intelligentes Sanctissimi Domini nostri comminationes, & fulminationes de citationibus, & creationibus &c. & infra, *facimus diligenter convocationem Concilii, ut Sanctissimum Dominum nostrum jurisdictione præveniremus.* Turbulentus autem ejusmodi conventus sane ab omnibus Catholicis pro gravissimo reputatur flagitio, hinc primæ hujus Concilii Sessioni nullus Episcoporum interfuit, quos tamen Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei: porro egregios dixeris Pastores, qui nec a Deo, nec ab alio legitimam potestatem habente sunt vocati ad Dominici gregis causſam dijudicandam: equidem postea ex Episcopis nonnulli hunc cœtum adibant, sed eorum plerique invitis animis ad id compellebantur, prout ex Renati Priæ factiosi Cardinalis epistola constat; nam is die 1. Julii Francorum Regem rogabat, ut Prælatos *Regia vi* ad hunc Conventum adigeret, moxque ab initio quatuor Cardinales a ceteris tribus decepti agnito errore indictioni Synodicæ consentire renuebant, reliqui vero vi tyrannica Clerum præcipue ad quartam Conciliabuli sui Sessionem non sine maxima Mediolanensis Cleri, populique offensione cogebant. (u)

Nec magis pius, prosperque fuit hujus Conventiculi successus; quippe propter exortos Pisis tumultus inter eorum familia-

 res,

(u) Loc. cit. p. 165. & 168. 106. ac 109.

res, & Pisanos, ibidem hi schismatici haud diutius consistere audebant, hinc Mediolanum proficisci cogebantur, ibidem ab omnibus ludibrio habiti, hinc ipsemet Clerus Mediolanensis suam civitatem horum rebellium ingressu funestatam arbitratus, mox sponte templa clausit, sacrorumque usu abstinuit, omnesque fideles horum concilium nonnisi ad conflandum schisma esse incæptum agnovere. Tandem vero Lugduni, quo hoc conciliabulum fuit translatum, Gallorum Episcopi hucusque huic consessui adhærentes idipsum postea ejurarunt, ac præprimis anno 1514. Joannes Lexovienſis, Antonius Engolismensis, Franciscus Ambianensis, Joannes Cabilonensis, Symphorianus Laudensis, & Andegavensis Episcopi, nec non Joannes Arelatensis, & Lugdunensis Archiepiscopi, aliique Galliæ Præsules schismatis veniam deprecati sunt, atque a Censuris, pœnisque a Leone X. solvi rogantes Pisani Conciliabuli acta damnarunt. (x) perpendat nunc, cuicunque sana, ac sincera judicandi vis insidet, an non Mariana, Odoricus, aliique Scriptores Ecclesiastici merito jure hoc attentatum pro gravi peccato habuerint, illosque redarguerint Præsules, qui Regi aliunde commoto adulandi, atque obsequendi studio excœcati schisma non ita pridem extinctum rursus accendere moliebantur,

(x) Conc. Lat. Sess. 9.

tur, quamvis poſtea Deo quorumdam pertinaciam plectente, aliorumque corda ad reſipiſcentiam flectente hoc conciliabulum penitus fuerit diſſolutum, ac ipſemet Maximilianus Cæſar, qui eidem ab initio favere videbatur, facti pœnitentia, ac rubore ſuffuſus, eoquod hiſce ſeditioſis vel minimum patrocinii genus unquam impendiſſet, cuncta ejus acta prorſus irrita declararet: id diſcere potuiſſet Criticus noſter ex Lutherano ſcriptore Davide Chytræo (y) qui Trevirenſibus Comitiis Coloniam translatis ibidem a Cæſare, ac congregatis ſancitum refert, quod nullatenus tolerandum ſit ſeditioſorum Cardinalium Piſanorum ſchisma; unde Maximilianus Cæſar horum perduellium literas, quibus ſuum indicebant conventiculum, tanquam ſubreptitias improbabat, ac Matthæo Langio Gurcenſi Epiſcopo ſuo ad Lateranenſe Concilium Oratori negotium dabat, ut Piſanum hoc Conciliabulum damnaret, & Synodo Lateranenſi Cæſaris nomine adhæreret, ubi idem Orator omnino negabat, quod Cæſar vel unquam illud Piſanum mandatum ad hoc conciliabulum dederit; inſuper Florentini inconſideratam ſuam, qua illud conventiculum in ſuæ ditionis urbe celebrari permiſerant, facilitatem damnabant. (z) Nonne ergo

(y) Chronic. Saxon. item Paris de graſſis t. 3. pag. 948.

(z) Contin. Hiſt. Fleur. L.CXXII. §. 54. fol. 274.

horum Præſulum pœnitentia, Cæſaris, ac Florentinorum dolor manifeſtum eſt gravis delicti hac in re perpetrati ſignum: cum autem ipſemet Ludovicus Franciæ Rex ſe gravioris adhuc culpæ reum agnoſceret, eoquod vindictæ impetu abreptus hoc conciliabulum omnibus viribus promovens, ſchismaticos hoſce etiam conceſſo ſecuritatis loco contra Pontificis monita pertinaciter defendiſſet, ac Præſules minis quoque, & pœnis ad hunc conventum adegiſſet, hinc agnito errore etiam magis luculentum pœnitentiæ ſuæ teſtimonium edere voluit, dum crimen ſuum publice faſſus, ac deteſtatus in Concilio Lateranenſi per ſuos Oratores Claudium Seyſſelium, & Ludovicum Forbinum veniam peteret, ipſum hunc Piſanum cœtum nonniſi *conciliabulum* nominaret, illumque rejiciens Lateranenſi Synodo adhæreret: ſi igitur Cenſori noſtro per tempus vacat, perlegat, quæſo, hujus Chriſtianiſſimi Regis epiſtolam in Seſſione VIII. Lateranenſis Concilii recitatam, ex qua diſcere poterit, quod ipſemet Rex, & cum eo univerſa Francia hoc Conciliabulum tanquam abominandum flagitium deteſtata fuerit, cur ergo mihi, aliisque Hiſtoricis ſuccenſet? nonne hunc conventum ceteræ nationes adeo abhorrebant, ut quamvis idem Franciæ Rex Scotos, Danos, Moſcovitas, & Ruſſos ſollicitaret, a cunctis tamen

tamen repulsam ferret, (a) hæc Criticus noster ex ipso Fleurianæ Historiæ continuatore discere potuisset, si voluisset; debuisset tamen, si ingenuum, ac solertem Criticum agere vellet: si vero rationes, ob quas hic conventus nonnisi pro Conciliabulo habeatur, percipere non detrectat, consulat Historiam Natalis Alexandri natione Galli: (b) saltem non aspernetur inquirere in Historico-Geographico (c) Dictionario, cujus Auctores ob nimium erga Romano-Catholicos affectum certe ei suspecti non erunt; ibidem autem ad verbum, *Pisæ* reperiet, quod Franciæ Rex hoc conciliabulum eo duntaxat ex fine defendendum susceperit, ut contra Personam Julii II. agere posset. Pariter in aliis quibusdam Codicibus Historicis, Ludovico Cavitellio, Parisio, & Guicciardino facile perspicere potuisset Berolinensis noster Censor, quod horum primus in suis Cremonensibus annalibus testetur, quod Julius II. nonnisi a Galliarum Rege variis vexationibus, atque injuriis, illatisque damnis provocatus, ac compulsus eidem bellum intulerit; nam Cardinalem Rothomagensem Rex malis

(a) Cont. Hist. Fleur. Lib. CXXII. §. 114. fol. 371.

(b) Tom. 18. edit. Paris. ann. 1744. Dissert. XI. art. 4. pag. 679.

(c) Historisch, und Geographisches, allgemeines Lexicon lit. P.

artibus, atque ex mero imperii ſui amplificandi ſtudio in Pontificatum intrudere, & Italiæ imperium ſuis armis ſibi vendicare, ut paſſim ſpargebatur, molitus eſt, cunctisque, quibus Papa quædam in Galliis beneficia contulerat, eadem abſtulit, eo uſus prætextu, quod Pontifex cuidam viro, qui Regi non erat acceptus, præbendam aſſignaſſet: inſuper Rex pacem Venetis a Papa datam indignatus Alphonſum Ferrariæ Ducem, fiduciarium Romanæ Eccleſiæ Principem, qui ſupremum Sedis Apoſtolicæ Dominium ultra agnoſcere recuſans quædam Eccleſiaſtici juris oppida poſſidebat, in ſuam clientelam recipiebat, ac duplex violabat fœdus, unum Briagaſſi, alterum Cameraci initum, quo cautum, ne quis alterius fœderati fiduciarios, vectigalesque defendendos adverſus alterutrum ſuſciperet: nihilominus Alphonſus Dux Franciæ Regis patrocinio tutus graviſſima damna Eccleſiæ ditionibus intulit, & ſalutaria ſummi Pontificis monita ſpernens, populabundus in agrum Eccleſiaſticum excurrebat, imo etiam Papam coram ſanctiore præfati Regis Senatu ad judicium vocare præſumebat: igitur Julius Papa tot, tantisque auſibus juſto Dei Zelo accenſus id, quod ab Alphonſo paternæ lenitatis via obtinere deſperabat, pœnis in Eccleſia ſemper in ejusmodi obſtinatos uſitatis extorquere ſtatuit: verum Ludovicus Rex faſtu turgidus

hunc

hunc Ducem omnibus armorum viribus violato etiam fœdere defendere non abhorruit, ac Belliducibus ſuis anathemate perculſis, immoderato ultionis impetu abreptus Galliæ Præſules ex Pontificis aula edito decreto revocabat, nonnullos Cardinales, ut a Papa deficerent, ſubornabat, Cardinalem vero Nanetenſem, eoquod ejus juſſis obtemperare renueret, ad inopiam usque divexabat. His nondum contentus Turnonenſe illud, & Piſanum Conciliabulum celebrare jubebat, omnes Italiæ Principes adverſus Papam incitans. Hæc a Rege geſta fuiſſe, Hiſtoricorum etiam coævorum teſtimonia comprobant, inde vero Criticus noſter colligere poterit, an Regis bellum fuiſſe juſtum aſſerere audeat: certe Proteſtantium Principem palam carpere non reformidaret, ſi is totum, ut vocant, conſiſtorium evertere, ac illegitimis viis, armisque Paſtorem quemdam intrudere, atque in ſua Eccleſia pernicioſum ſchisma ſuſcitare moliretur? nonne illum damnaret Principem, qui quemdam Fiduciarium ſuo Domino rebellem armis contra legitimum ſuum Principem ſumptis protegere tentaret, fidemque juramento firmatam violaret: non ergo probatæ fidei hiſtoricis ſuccenſeat, ſi hanc agendi rationem in Ludovico redarguant: ſaltem inter Catholicos flagitioſum eſt, ſi Princeps Chriſtianus juratam violet fidem, injuſtum bellum inferat,

rat, & Eccleſiam ſchismate dilacerare attentet; nam ejusmodi molimina Chriſtiana lex comprobare abhorret, eaque unitati non modo *Theologicæ*, ſed & *morali*, ac Chriſtianæ adverſari reputat, ſi autem Cenſor in ſua Eccleſia ejusmodi auſus licitos, ac laudabiles haberi exiſtimat, hanc inter, & noſtram id diſcriminis intercedere ſciat, quod in noſtra a Chriſto Domino ſtabilitus ſit cum debita ſubordinatione Ordo Hierarchicus, ubi alii ſunt Apoſtoli, alii Doctores &c. variique juxta D. Pauli doctrinam Ordinum gradus, ubi unum membrum alterius munia non ſibi arrogat, ſed omnia Capiti ſuo unitate fidei cohærent, ac ſubduntur, & ſoli Petro, ejusque Succeſſoribus datum eſt, ut oves paſcant, & fratres ſuos in fide confirment: in Proteſtantium vero Eccleſiis vigeat communis omnibus Spiritus privatus, ac proin inter ſacra, & profana nullo facto diſcrimine Princeps pro ſuo arbitrio, ac judicio Eccleſiæ leges, ac doctrinas præſcribere, immutare, & abrogare valeat. Verum quid pluribus hac in re diſſerere juvat, cum id omnino certum ſit, quod illud omne, quod in Pontificum, ac Romano-Catholicorum cauſſa ex veritatis amore agitur, vel ſcribitur, & quicquid hi egerint, hæc omnia a noſtro Critico, ipſique ſimilibus ut abominanda, & execranda, ex adverſo autem quidquid contra eos (ex invidia licet, ac confictę) agitur,

vel

vel ſcribitur, tanquam juſtum, & laudabile proclametur.

§. VIII.

Futilis noſtri Critici cavillatio.

Poſtea Criticus noſter telum vibrat, quem autem illo feriat, ipſus neſcire videtur; ait enim: in der Vorred zum 33ſten tom. pag. 18. erzählt der P. Alexander die gräßliche Mordgeſchichte: das in Augsburg Urban Regius zu einer Kindbetterin gerufen worden, um ſogleich nach der Geburt das Kind in bloſſem Waſſer (nicht in geweyheten) unter bloſſem Himmel zu tauffen. Allein was geſchieht? die Frau kommt auf göttliches Geheiß mit zwey Wechſelbälken nieder. Ecce monſtra *nutu Dei* in lucem prodiere. Von einem ſolchen Mann kann man wohl erwarten, daß er den Ketzern nicht günſtig iſt: quæ verba latine ita ſonant. *In Præfatione ad tomum XXXIII. pag. XVIII. Pater Alexander horrendam cujusdam cædis hiſtoriam recenſet, quatenus Auguſtæ Urbanus Regius ad quamdam puerperam vocatus fuiſſet, ut mox poſt partum infantem in ſimplici (non benedicta) aqua ſub dio baptizaret. At ecce! mulier NUTU DEI duo monſtra parit. De tali viro plane ſperari poteſt, illum hæreticis haud propenſum fore.* Hucusque meus Cenſor, qui tamen falſo aſſerit, quod Pater Alexander hanc hiſtoriam retulerit; dum non ego, ſed Auctor illius libelli, quem ex Imperialis Abbatiæ Auguſtanæ annalibus anno. 1654.

typis

typis editum in mea præfatione pene integrum adduxi, id suo tempore factum scribit. Forte ergo hic Berolinensis Censor ibidem hæc mea non legit verba: *Percipiamus hujus Scriptoris relationem, quæ ita incipit* &c. Si autem legit, cur contra me suam censuram ad hanc historiam extendit, quam ipsus ab alio relatam affirmo? nonne potius præfatum libellum sua crisi perstringere debuisset? si autem idem opusculum, in quo de Protestantibus sane horrenda referuntur, meæ præfationi fuisse insertum ægre fert, succenseat illis, qui talia tunc patrarunt, ut sine horrore, & novæ Reformationis ignominia nostris temporibus perlegi nequeant. Porro qua de caussa Censor præfatam historiam appellet Mordgeschicht, haud video; patratæ enim cædis mentionem Scriptor hic Augustanus omnino non facit; cur autem hæc verba *nutu Dei* minoribus literis excudi curavit? an justo judicio, aut in salutarem hujus Apostatæ ac Deo perjuri Præconis admonitionem hunc prodigiosum eventum Deum permittere, vel potuisse, vel voluisse negat? si primum asseruerit, tunc hæretico deterior est: si autem alterum dixerit, tunc id non factum, aut falso relatum probare debuisset: quapropter si verum dicere fas est, ejus censura mere λογομανία esse videtur; quid enim Reipublicæ literariæ interest, an Pater Alexander, vel Anonymus Auctor

ctor Auguſtanus recenſeat hanc hiſtoriam: ſi enim falſa eſt, illam falſitatis convincere, atque ab hoc Auctore nequiter conſictam, & a me improvide ex eodem adductam probare debuiſſet: ſi autem veritati innititur, tunc inutilis, & frivola eſt hujus Critici cenſura. Tandem ridiculum epiphonema in me contorquet, inquiens: **von einem ſolchen Mann kann man wohl erwarten, daß er den Ketzern nicht günſtig iſt.** Mira ſane conſecutio: quidam Scriptor aliquod prodigium nutu Dei factum recenſet, & Pater Alexander libellum, in quo hæc hiſtoria continetur, rurſus typis edi curavit: ergo Pater Alexander vir eſt, a quo ſperare non licet, quod hæreticis faveat: ſi itaque ex ipſius Cenſoris mei ore iſti homines ſunt vere *hæretici*, certe a me ſperare non poteſt, quod illis faveam; *hæreticis* enim favere etiam apud Proteſtantes nefas eſt: ſi vero hoc nomine Proteſtantes indigitare voluit, certus ſit, quod non ſim inimicus perſonæ, ſed cauſſæ; quippe Perſonas debitis Chriſtianæ Charitatis, ac benevolentiæ ſignis amplector, quoties id ſalva veritate, ac fidei honore fieri poteſt: ita mecum quoque omnes veri ſentiunt Catholici, qui a Proteſtantibus ſperare non audent, quod hi ipſis faveant, ſed contenti eſſent, dummodo Acatholici Sriptores erga illos communia charitatis Chriſtianæ officia adimplerent, eosque, ac præcipue ſummos Pontifices,

& Ec-

& Eccleſiaſticos viros non in omnibus ſuis fernie Scriptis paſſim tot atrocibus calumniis, convitiis, & mendaciis impeterent, ut, ſi cuncta ſcommata a ducentis, & amplius annis in eos effuſa in unum colligerentur, integra exurgeret Bibliotheca, prout Catholici Principes inter cetera Religionis gravamina jam ſæpius Ratisbonæ in Imperii Comitiis conqueſti ſunt.

§. IX.

Cenſor Julio II. Pontifici injurius.

Verum usque adeo inſolens Pontifices Romanos, vel Eccleſiæ Catholicæ defenſores convitiandi libido excrevit, ut etiam ea, quæ in juſtam eorum defenſionem ſcribuntur, tanquam joci cachinis exſibilentur; hoc ſpiritu animatus, inſignis noſter Cenſor meam annotationem ad §. LXXIII. Lib. CXXII. tom. 32. his verbis carpit: nichts iſt aber luſtiger zu leſen, als die Art, wie er ſich auch des ſchlimmſten Theils ſeiner Kirche Z. E. eines unruhigen Pabſts, wie Julius II. oder der unwiſſendſten Ketzermacher, als der Köllniſchen obſcurorum virorum annimmt. Den erſten warf man mit recht vor, daß er den Frieden ſtöre, dieſes giebt der P. Alexander den mayländiſchen Vättern reichlich zuruck (tom. 32. pag. 307.) *Hæc* &c. quæ verba latine ita ſonant: *nihil vero lectu jucundius eſt, quam illa methodus, qua peſſima etiam Eccleſiæ ſuæ membra e.g. inquietum Pontificem Julium II.*

vel

vel ignorantiſſimos hæreticorum ſigulos, ſcilicet Colonienſes obſcuros viros propugnet. Horum primo jure merito objiciebatur, quod pacem perturbet, hoc tamen probrum Pater Alexander copioſe in Mediolanenſes Patres rejicit tom. 32. pag. 307. „Hæc ac cetera temeraria verba, „auſusque ſacrilegos hi graculi a Baſileenſi„bus corvis didicerant; nam nihil antiquius „ſchismaticis eſt, quam identidem vociſe„rari: Pax, pax! & non erit pax! cum „illi primi pacem perturbent, ſchisma „conflent, atque nutriant.„ Majori ſane jure de Critico meo aſſerere poſſem: nihil lectu jucundius eſt, quam ſcribendi ratio, qua Berolinenſis Cenſor etiam peſſimos quosque, ac ignorantiſſimos ſuæ Eccleſiæ Scriptores ſequitur, illos vero, qui veritatem in Catholicorum favorem propugnant, inſectatur: Ergone Chriſtiana charitas ejusmodi proteſtantibus ſuadet, ut totius Romanæ Eccleſiæ Caput pro arbitrio ſuo convitiis proſcindant? qua fronte Cenſor noſter Julium II. Pontificem inter *peſſimos* Eccleſiæ Romano-Catholicæ Viros recenſere, eumque tanquam inquietæ indolis hominem traducere valet? quo argumento, ſi eidem hæc probra juxta ſanas criticæ artis Regulas probandi onus imponeretur, impactam calumniam teſtatam reddere poſſet? ſi Romanum Pontificem tanquam Chriſti Vicarium agnoſcere detrectat, ſaltem reverentiam eidem utpote tempora-

lis etiam dominii Principi debitam non deneget: minus vero tam indigna juxta ac falsa de eodem publice scribere præsumat. Si primis Naturæ præceptis prohibemur, ne quempiam infimæ etiam sortis hominem tanquam malum proclamemus, nisi id evidentibus constet testimoniis, qua temeritate inter pessimos totius Ecclesiæ nostræ Viros numerare audet supremum Ecclesiæ Principem, de quo tamen nullum crimen, ob quod publica hac ignominia affici mereretur, valido testimonio comprobare potest. Forte in calumniæ testes adducet nonnullos illius ævi Historicos natione Gallos: verum si sani Critici partes explere desiderat, ignorare non potest, quod ex Scriptoribus ei, de quo scribunt, aperte infensis nil firmum probari valeat. Non inficias eo, quod Galli eo tempore, quo in hunc Papam odio, atque invidia flagrabant, prorsus indigna de eo scripserint, omnemque suscitati belli culpam in eum conjecerint: ast sedata rabie, agnitoque errore, saniora edocti, tum ejus pietatem, æquitatem, & moderationem deprædicabant, suumque crimen palam in Concilio Lateranensi detestabantur: rursus ergo consulat Censor noster artis Criticæ regulas, quibus præscribitur, fidem non esse adhibendam Scriptoribus, furore, vel vindictæ impetu contra eum, de quo scribunt, abreptis, sed potius sequendos esse illos, qui a pri-

a privatis hiſce odii affectibus alieni rem enarrant: jam vero ipſimet Proteſtantes Collectores univerſalis Geographici Vocabularii verbo Julius II. teſtantur, quod multa de hoc Papa ſpargantur, quæ tamen ægre fidem merentur: er ſoll, inquiunt ipſi, ſonderlich der . . . Rachgierde, auch nicht minder dem Ehrgeiz ergeben geweſen ſeyn, daß er . . . die Schlüſſel Petri in den Tieber-Fluß geworfen, und anſtatt deren das Schwerd Pauli genommen, iſt zwar eine alte Sage, aber die gleichwohl, ſo viel bekannt iſt, von keinen Scribenten, die eben zu ſelbiger Zeit gelebt, berührt wird, und die erſten, ſo davon melden, geben es allein für ein umgehendes Gericht aus, daher eben nicht ſo gar leicht zu glauben iſt. Num vero Scriptori licitum eſt, quemdam veluti vitioſum palam, ac certo traducere ex eo, quod unus, alterue Scriptor teſtetur: er ſoll gottloß, unruhig ꝛc. geweſen ſeyn. Attamen dicet nobis Cenſor, quod multi Hiſtorici de inquieto hujus Papæ animo mentionem fecerint: nec id diffiteor, quinam vero fuerint hi Scriptores, ex Andrea Victorello percipere non dedignetur: *NOVATORES* ait ille, *Julium communem quaſi ſcopum, in quem calumniarum ſpicula conjicerent, ſibi propoſuerunt: in horum acie Pleſſæum collocabis, contra quem Coquæus, & Gretſerus dimicarunt: non defuerunt putidi poetaſtri, a quibus ſcurrarum more, indigna*

epigrammata, mendaciis ſcatentia procuſa, quorum pars a Pleſſæo myſterio iniquitatis inſerta.

Objicitur huic Pontifici, quod geſſerit in pectore cor ferox, at inquit Olduinus: *ſi ingenio miti ornatus, mitius egiſſet, tot urbes, oppidaque, quot tyrannorum avaritia injuſte ademerat, Eccleſiæ non recuperaſſet, & ſi veluti Princeps proſanus tantum, & non Eccleſiaſticus populis profuiſſet, inter illorum primos merito numeraretur, ſed quia inter Sanctiſſimos, hoc eſt, inter Chriſti Vicarios, Petrique Succeſſores locum obtinebat, hujuſce nævuli pergrandes labes interpretantur.* Inſuper Julius arma non ſumpſit, niſi poſtquam prius toto, licet irrito conatu, pacem conciliare, bellumque avertere fategerat: nonne illum in ipſo Pontificatus exordio ad pacandas Italiæ, Galliæ, & Hiſpaniæ Provincias omnes animi nervos intendiſſe teſtantur ejus literæ ad Ferdinandum, & Eliſabetham Hiſpaniæ Reges die 21. Decembris anno 1503. datæ? Maximilianum etiam Imperatorem, & Ludovicum XII. ad pacem, & arma in turcas convertenda ſollicitabat, ut patet ex ejus literis ad Cardinalem Sanctæ Crucis Romæ 21. & 22. Decembris anno 1507. exaratis: pariter Ferrariæ Ducem, ut a Gallorum fœdere deſiſteret, prius admonuerat, antequam in eum arma converterat: præterea Venetos paterna ſuavitate ſæpius hortabatur (d) ut ablatas Eccle-

(d) Vide edict. Apoſt. l. 8. Brev. Romæ an. 1607.

Ecclesiæ Urbes restituerent, & quamprimum iidem tanquam obedientes filii sese denuo optimo Patri suo submiserunt, illos in gratiam mox recepit. (e) Nequidem in ipsum Franciæ Regem illico gladium stringebat, sed antea precibus, monitisque institit, ut idem rebelles Ecclesiæ filios ejus tutela tumidos, suo patrocinio non foveret, nec in pertinacia confirmaret: spretis autem hisce monitis primum Julius, quod lenitatis via non poterat, armis evincere nitebatur: summa insuper mansuetudine perfidos illos Cardinales, qui in nulla re a Julio læsi ab eo defecerant, ad officium revocare moliebatur, atque in eos tunc primum minas, pœnasque statuebat, postquam hi in sua pertinacia crescentes paterna monita spreverant, ipsamque Pontificis auctoritatem evertere nitebantur; non ergo Papa, sed hi ultronee pacem interturbabant. Profecto si Pontifex hosce ausus impune abire permisisset, a Censore nostro tanquam Papa vecors, ac jurium Ecclesiasticorum proditor audiret, dum vero libertatem Ecclesiasticam propugnat, ac ditionis Ecclesiasticæ conservandæ studio ardet, pessimis Ecclesiæ viris ab eo accensetur, ac veluti turbidæ mentis homo traducitur. Ita, quicquid Pontifices gerunt, semper a Protestantibus carpitur, non alia

(e) Contin. Hist. Fleur. tom. XXXII. Lib. CXXI. pag. 53.

ex ratione, nisi quia id a Romanis Pontificibus, quibus infensi sunt, gestum est. Attamen liberaliter agamus cum Critico nostro, eique demus, quod Julius II. animo suo magis ad arma, quam ad Sacra propensus fuerit, num propterea inter nequissimos Ecclesiæ Catholicæ viros, schlimmsten Theil der Catholischen Kirche, recenseri meretur? num ea ex caussa Galliarum Rex, ceterique Principes, qui adversus eum bella gesserunt, inter nequissimos Ecclesiæ Romano-Catholicæ Principes numerandi veniunt? longe mitius sentiunt Viri a partium studio alieni, quos inter Ægidius Viterbiensis in sua historia æquius de utroque tale fert judicium: *Galli victores fuga trans alpes saluti suæ consuluere, jactantes, adversus pietatem non pugnandum: si quis illam vinceret, vel in ipsa victoria pœnas daret: ita victoriæ suffragium temperavit Deus; ut uterque victus sit, uterque vicerit; ne plane, vel superbiret victor, vel victus interiret; uti uterque disceret, hic Sacris, non armis fidere; ille Sacra armis non oppugnare; alter bellis, alter templis parceret, uterque ab injuria abstineret.* An vero Pontifices pro tuendis suis juribus, ac ditionibus juste bella gerere valeant, Censor noster, si ei suæ Ecclesiæ Doctores desunt, consulere poterit Bellarminum *de potestate summorum Pontificum in rebus temporalibus adversus Barclajum cap.* 11. Ex his ergo concludat benevolus Lector, an nimis

copiosa

copiosa mensura Mediolanensibus (quos Censor Patres vocat, quia in Papam rebelles erant) remensus fuerim probrum, quo Julium II. nonnulli Novatores unacum meo Critico pacis turbatorem, & inquieti animi hominem convitiabantur. Denique Berolinensis Censor iniquo fert animo, quod Colonienses Theologos, (quos pro sua humanitate inflatos idiotas, hæreticorum figulos, obscuros viros, unwissende Ketzermacher, aufgeblasene Dumm-Köpf appellitat) defendendos susceperim: ast de hoc inferius redibit sermo.

§. X.

Censoris ineptiæ de unitate Theologica, & morali.

Tandem hanc suam næniam prudentissimo admodum epiphonemate claudit, inquiens: so muß freylich ein Mann sprechen, der den Grundsätzen des römischen Hofes so ergeben ist, als der P. Alexander, seu latine: *hæc utique loquela esse debuit illius viri, qui Romanæ Curiæ principiis tantopere addictus est.* Forte Censor iste me prævenire voluit, qui meliori jure perpensa ejus censura exclamare possem: ita sane loqui oportet ejusmodi virum, qui Lutheri sui principiis tantopere addictus est; juxta hæc enim cum Luthero primo fidei suæ figulo, atque Architecto summus Pontifex tanquam *scelestus nebulo*,

nebulo, *caput maledictæ Ecclesiæ* (f) spurcissimis convitiis est lacerandus. Eadem quoque Proto-parentis sui principia indefesso prorsus in Pontificibus infectandis studio sequebantur ejus Discipuli, ac præprimis anno 1582. Georgius Nigrinus (g) Sebastianus Franchus, anno 1565. (h) Joannes Gisenius anno 1618. (i) Joannes Gerardus anno 1634. (k) Jacob Heylbrunner (l) Joannes Wolffius anno 1671. (m) Centuriatores Magdeburgenses, Stephanus Zegedinus anno 1592. (n) Nicolaus Hönigerus anno 1586. novissime vero Eberardus Weismanus, Godefridus Ludwigen, innumerique alii, qui propudiosis, nefandisque convitiis, ac mendaciis summos Pontifices, Cardinales, Clericos, Monachos, omnesque Catholicæ fidei addictos proscindere non erubuerunt, ac propterea inter suos magnum nomen sibi acquisierunt,

Jam vero ex meo Critico scire optarem, an in hisce viris *Theologica unitas* viguerit, vel

(f) Oper. Luther. tom. 8. Altenb. wider das Pabstthum vom Teufel gestiftet pag. 454. 456. 455. 496. 497.

(g) Papistica inquisitio.

(h) Chronic. Rom. hæretic. p. 3.

(i) In suo Papismo disp. 8. q. 5.

(k) Confess. Cath. l. 1. p. 1. art. 3. cap. 6.

(l) Unkatholisches Pabstthum.

(m) Tom. 2. op. edit. Francof. anno 1671. pag. 191.

(n) Speculum Rom. Pontif.

vel an non potius, ne dicam, *moralis unitas*, ſed Spiritus diſſenſionis, invidiæ, ac maledicentiæ potiores partes habuerit: wobey alle feindſelige Geſinnungen genug Spielraum behalten haben. Haud ſatis tamen mirari poſſunt Viri ſaniori judicio præditi, quod Proteſtantes, quotiescunque Romanæ Sedis jura defendi conſpiciunt, illico in furias acti cuncta nonniſi ex *immodico* in Romanam Curiam ſtudio dicta, absque ulteriori veritatis diſcuſſione credant. Equidem jam primis naſcentis Lutheranismi annis, poſtquam juxta eorum preces Concilium liberum, Chriſtianum, & Germanicum Tridenti haberetur, ut etiam illud declinarent, nil aliud promptum, paratumque habebant, niſi ut dicerent, hujus Synodi Patres nimium Curiæ Romanæ eſſe addictos: eapropter nequaquam Cenſori meo iraſcor, quod (ſi tamen ſui aſſerti ſenſum percepiſſet) me Romanæ Curiæ (melius dixiſſet, fidei Catholicæ veritatibus) adeo addictum eſſe ſcripſerit; ſum etenim (& in hoc glorior, ac tripudio) obſequioſus Chriſti Eccleſiæ Romano-Catholicæ Filius; nec enim me Chriſtianum eſſe crederem, niſi in Eccleſia eo modo, quo a Chriſto fuit ſtabilita, eſſem: evidenter autem me edocent ſacri Evangelii verba, quod Chriſtus Eccleſiam ſuam ſicut ſibi, ita & ſe abſente cuilibet ejus vices gerenti in terris ſubjectam inſtituerit, quin tamen continuum

ſuum præſidium, ac ſupremum illius imperium in cœlis usque ad conſummationem ſeculi gerere deſinat. Hæc ſunt fundadamentalia Romanæ Curiæ principia, juxta quæ in meis annotationibus ea redarguebam, quæ labefactata fide Orthodoxa, læſaque veritate inconſulte, aut malitioſe conſcripta repereram, nullatenus tamen veras corruptelarum labes, quæ tamen non Eccleſiam, ſed nonnulla Eccleſiæ membra maculant, excuſare, minus vero approbare intendebam: proin Berolinenſi meo Cenſori compatior, quod duntaxat inter ſuos educatus, ac nil niſi antiquam næniam unacum lacte materno hauſtam cantare edoctus, improvido prorſus calamo Catholicorum oculis ſubjicere non dubitaverit, quod fundamentalia Romanæ Curiæ principia eo unice colliment, ut Theologica conſervetur unitas, nach dieſen (des Römiſchen Hofs) Grundſätzen dringt man auf nichts, als auf die theologiſche Einigkeit. Certe Cenſorem noſtrum falſitatis convincerent ex ipſis Proteſtantibus præcipue Anglis quamplurimi, qui Romanam Aulam luſtrantes longe aliud de ea judicium inde reduces tulerunt, quam a ſuis Paſtorculis a primis unguiculis hauſerant. Ego ipſemet per integros octodecim annos cum pluribus variarum Regionum Proteſtantibus, præcipue vero cum Illuſtriſſimo Berolinenſi Domino L. B. de M. Romæ converſatus, non ſemel ingemiſcen-

miſcentes percepi, quod tam turpiter deluſi de ſummo Pontifice, Cardinalibus, Eccleſiaſticis, Catholicis, ipſisque Eccleſiæ Catholicæ principiis, neſcio quæ abominanda a ſuis Præconibus ſuggeſta imbiberint, usque dum de ejusmodi calumniis, earumque falſitate proprio experimento certiores facti præjudicia a teneris hauſta deteſtari cœperint; optarem igitur, ut Cenſor noſter de fundamentalibus Catholicæ Religionis, ac Romanæ Aulæ principiis magis exactam haberet notitiam; tum enim ſciret, quod juxta SS. Hieronymum, Hilarium, & Chryſoſtomum, Origenem, & Auguſtinum, Cyprianum, aliosque Eccleſiæ primitivæ Patres, divina Pontificii Primatus inſtituendi ratio, & finis fuerit non tantum Theologica, ſed moralis quoque totius Eccleſiæ unitas: ſi autem horum auctoritatem revereri detrectat, ipſosmet conſulat Proteſtantes, ex quibus hujus rei veritatem percipere poterit. Et quidem ipſemet Calvinus (o) aſſerere non dubitabat ad conſervandam fidei unitatem in veteri teſtamento neceſſarium fuiſſe, ut Judæis *unus* Antiſtes præficeretur, *quem omnes reſpicerent, ut melius in unitate continerentur*, & alibi inquit: (p) quod Presbyterani ex ſuis unum elegerint, ne ex æqualitate diſſidia naſcerentur. Lutherus quoque ajebat: *volo*

(o) Lib. 4. Inſtit. c. 6. §. 2.
(p) c. 4. n. 2.

(q) *volo & ego Romanum Pontificem esse primum omnium.* Hugo etiam Grotius (r) hæc habet: *Ordo sive in partibus, sive in toto continetur in Principatu, seu Præpositi unitate, & hoc est, quod in Petro Christus nos docuit . . . . hic ordo semper in Ecclesia manere debet, quia semper manet caussa, id est periculum a schismate.* Præterea haud absimilia docet Cartuvrightus (s) *si necessarium est*, ait ille, *ad unitatem in Ecclesia tuendam unum Archiepiscopum aliis præesse, cur non pari ratione toti Ecclesiæ UNUS præerit Archiepiscopus?* Cowellus vero Calviniſta (t) fatetur, quod *unum ceteris præponi necesse sit ad evitanda schismata, & dissensiones tollendas . . . . imo ipsi duodecim Apostoli vix satis inter se convenissent, nisi unus (Petrus) ceteris præfectus fuisset.* Tandem Hospinianus (u) de Joanne Andrea Lutheranorum Principe ait: *demonstrare conatur statum tranquillum tueri difficile esse, nisi ad supremum Pontificem, & Administratorem rerum summa deferatur*, hinc Hookerus (x) scripsit: *hoc unum sat scimus tam natura, quam experientia,*

(q) Epist. ad Emserum.

(r) In Voto pro pace Eccles. art. 7. tom. 4. p. 658. edit. Basil. 1731.

(s) In defensione Wirgisti pag. 390. & in secunda Repl. part. 1. p. 582.

(t) Exam. Doctrinæ contra actionem caussæ Innocent. fol. 106. & 107.

(u) Hist. Sacram.

(x) Eccl. Polit. in Præf. Sect. 6. fol. 26. & 38.

tia; quam ipsa Scriptura edocti, contentionibus istis (circa fidem) *tandem finem imponendum esse, definitivæ alicujus judicis sententiæ nos submittendo, cui neutra litigantium pars sub quovis prætextu contradicat . . . . alioquin semper confusio erit, nec spes ulla pacis consequendæ.* Leibnitius quoque (y) ex jure Divino descendere ait supremum Ecclesiæ Magistratum spiritualem, huncque *directoria potestate omnique necessaria ad explendum munus pro salute Ecclesiæ agendi facultate instructum*, & alibi (z) fatetur, *profuisse interdum Pontificum Romanorum curam pro Canonibus & Christiana disciplina*, ne ex quorumdam rebellione dissidia oriantur. Etsi ergo Censor noster cum suis supremi Primatus institutionem ab ipsomet Christo derivare nolit, fateatur necesse suorum etiam testimonio convictus, quod saltem hic Primatus a Papa, Romana Aula, vel Ecclesia institutus ad conservandam moralem, ac fidei unitatem collimet: ignorans igitur peccavit bonus hic Vir, dum juxta Romanæ Aulæ fundamentalia principia unice Theologicam unitatem urgeri incautius scripserat; si enim per Theologicam unitatem communem Theologorum consensum etiam circa res nondum definitas, nec universalis Ecclesiæ judicio damnatas intelligit,

(y) Tom. 1. epist. edit. Lips. anno 1734. epist. 8. pag. 55.

(z) In præfat. Cod. Jur. Gent. diploma.

telligit, hanc unice procurari falso asseruit; quippe Romanæ Aulæ principia cuivis in rebus mere Theologicis sanam, ac prudentem relinquunt sentiendi libertatem, ita, ut quivis suam opinionem, dummodo nec fidei, nec bonis moribus adversetur, pro sui judicii ratione defendere queat: non equidem effrenata mentiendi, calumniandi, ac confingendi libertas, quæ nimium apud adversarios nostros invaluit, Catholicis impune conceditur, suum tamen judicium sanæ rationi, & fidei principiis innixum, licet id ab aliorum sententia discrepet, pandere nulli est prohibitum: non ergo ea est unitas, cui Romanæ Curiæ principia præcipue insistunt: sciscitetur criticus noster ex quolibet rudissimo Catholico, quænam unitas Ecclesiæ Romano-Catholicæ propria sit, proin quam Romanus Pontifex vel maxime urgeat, & me hercle! nullum audiet, qui suam Ecclesiam unitati Theologicæ insistere respondebit, omnes autem unanimi ore profitebuntur, quod Catholica Ecclesia sit una, sancta, Catholica, & Apostolica, seu quod idem est, quod Ecclesiæ unitas propria sit *unitas fidei*, qua omnes fideles in unius veræ fidei professione convenire debent, eamque sequatur & *unitas charitatis*, qua cuncta Ecclesiæ membra sub uno capite visibili inter se eodem pacis, & communionis vinculo copulari debent. En hæc est moralis unitas, quæ juxta Aulæ Roma-

Romanæ principia urgetur, & quam Criticus Berolinenſis noſtræ Eccleſiæ abjudicare nititur, quia forte illam nequaquam in ſua Eccleſia invenit; hujus enim principia ſunt ſpiritus privatus, quo cuilibet Principi, Paſtori, & Doctori æquali jure, ac cuivis ruſtico uti licitum eſt, proin quivis ipſos libros ſymbolicos, ſi ſuo ſpiritui diſſoni videntur, rejicere, corrigere, atque in aliam formam detorquere libere valet, quin ipſi ejusmodi Religionis Κριτικοὶ a ſuis Paſtoribus jure redargui poſſint: inde vero tot ferme Sectæ fuerunt exortæ, quot Provinciæ, quot capita, ac quivis perſpicacioris ingenii Theologus in ſuam ſectam primo tam abſonas ἀκυρολογίας inſperſit, ut exinde nova demum ferme Religio enaſceretur: revocet, quæſo, Cenſor noſter in mentem, acres diſſenſiones, quas Samuelis Huberi Bernatis errores ejusque confeſſio, quam Polycarpus Lyſerus hæreticam proclamabat, ſuſcitaverant: recolat pudenda in rebus fidei diſſidia inter Lutherum, & Carolſtadium, & Zwinglianos circa Euchariſtiam, totque confeſſiones contrarias variis in locis editas, totque colloquia in pluribus Regnis nonniſi cum majori diſſenſionum incremento habita, adeo, ut ipſimet Proteſtantes hujus controverſiæ ſeriem appellent *Hiſtoriæ ſuæ partem omnium triſtiſſimam, ſcandaloſiſſimam, intricatiſſimam, quæ ſine profundo animi dolore, & humiliatione coram Domino ſine nauſea,*

sea, & indignatione a nemine pio, & Christiano legi potest, cuicunque etiam parti sit addictus, & Communioni Ecclesiasticæ conjunctus. Nonne vivente adhuc Luthero Melanchton circa cænam, aliosque articulos a suo Magistro cum plurimis Discipulis dissensit, post obitum vero Lutheri novam Sectam procudit eorum, qui Crypto-Calviniſtæ nominabantur? Taceo dissidia Agricolæ Islebii, Osiandri, Matthiæ Flaccii, Huberi, Hobbesii, Carpzovii, Böhmeri, aliorumque quam plurium, qui omnes novam Sectam procudere nitebantur. Non dedignabitur Censor noster pervolvere Historiam Loescheri *de motibus Religionis*, ubi dissidia in Gallia, Anglia, Bohemia, Helvetia, Silesia, Genevæ, alibique suscitata edocebunt, quod Sectæ suæ principia nequidem unitati Theologicæ, ne dicam morali insistant. Si vero in Ecclesia etiam Catholica dissensiones, imo & hæreses emanasse dixerit, minime inficias ibo, nunquam autem demonstrare poterit, quod ejusmodi hæretici, ac schismatici ab Ecclesia Romano-Catholica intra purissima hujus Matris viscera fuerint retenti; hi enim *ex nobis quidem prodierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum, sed ut manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis* (a) hinc excommunicationis

(a) 1. Ioan. c. 2. v. 19.

tionis pœna ab Ecclesiæ corpore tanquam putrida membra fuere resecta.

Præterea non ipsius Religionis Catholicæ principia ad hasce dissensiones, credendi libertatem, novarumque Sectarum fabricam ex natura sua inducunt, sed potius unius, ac infallibilis judicis auctoritas, eidemque debita omnium fidelium subjectio novam fidem in eadem Ecclesia procudendi libertatem evertit. Ex adverso autem quæcunque alia Ecclesia intra sua viscera nutrit, & fovet variarum Sectarum Architectos, imo ipsamet hujus novæ Ecclesiæ principia, v. g. Spiritus privatus, Sacras Scripturas juxta cujuslibet spiritum interpretandi libertas, independentia a definitiva unius infallibilis judicis Sententia, ac demum cujuslibet Consistorii, Synodi, vel libri Symbolici definitioni sub conscientiæ libertatis prætextu contradicendi facultas, impunitasque, hæc, inquam, fundamentalia Protestanticæ Ecclesiæ principia primo circa fidei res pariunt contentiones, postea schismata, ac demum tot novas Sectas, quot capita: quippe sine infallibili, ac visibili judice, *sine tali Primatu exiri a controversiis non potest, sicut hodie apud Protestantes nulla est ratio, qua ortarum inter ipsos controversiarum reperiatur finis.* (b) Erudite Cen-

(b) Loc. cit. p. 695.

Cenſor, hæc non ſunt mea, ſed ſui Hugonis Grotii verba: adeo nempe ingenue loquuntur ipſimet Eccleſiæ noſtræ hoſtes, dum veritatis evidentia convicti dilaceratæ ſuæ Eccleſiæ ſtatum deplorant. Cum his ergo Criticus noſter potius ingemiſcat, ac profiteatur, quod in ſua Eccleſia, ne dicam, *moralis*, ſed nequidem *Theologica* reperiatur unitas, ubi Eccleſiæ membra viſibilia nulli Capiti viſibili ſubjecta ſunt, ac ſuæ Eccleſiæ duntaxat obediunt illi, qui vel ob ignorantiam, vel ob ſua præjudicia reſiſtere nolunt, vel nequeunt: interim vero membra etiam in fide diſcordantia intra Eccleſiæ ſuæ ſinum tolerare coguntur, cum hujus Eccleſiæ principia nec excommunicationis ſeveritatem, nec Eccleſiaſticam vim coactivam, utpote conſcientiæ libertati adverſam admittant, proin etſi ratio, & experientia moralem unitatem tanquam unicam, veram, & fundamentalem depoſcerent, hanc tamen unitatem ipſa hujus Eccleſiæ principia excludunt, nunquam ergo inter illos eſſe poterit unitas charitatis, ubi deeſt unitas fidei, illa vero haberi nequit, ubi ſentiendi ac credendi libertas conceditur; niſi enim *omnes idem ſapiant, eandem charitatem habentes unanimes, id ipſum ſentientes*, (c) & niſi *occurrant omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei . . .*, neceſſe

(c) Epheſ. 4. v. 13.

cesse est, *ut sint parvuli fluctuantes, & circumferantur omni vento doctrinæ*, (d) *superbæ vanitatis loquentes, qui pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conversantur, libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis.* Quod vero in Protestantium Ecclesia nulla, nec moralis, nec Theologica unitas reperiatur, sed mera confusio, ac in ipsis sectæ suæ articulis continua immutatio, varietas, dissensio, & dissidia vigeant, testem advoco hujus ipsius Ecclesiæ haud contemnendum, nimirum Joannem Leonardum Fröreisen Sacræ Scripturæ Doctorem, & Argentinensis Capituli ad S. Thomam Canonicum, & supremum Parochum (uti eum vocant) oberster Pfarrer, qui dum Argentinensis Universitatis Rector jam tertia vice nominabatur, anno 1743. die 9. Maji in Aula Academica orationem habuit, in qua miserum Ecclesiæ suæ statum pathetice descripsit: cum vero hæc oratio ad manus meas, jam ex latino in Germanicum idioma a quodam ipsius Auctoris amico translata pervenerit, hinc eam omni integritate in eadem hac lingua huc adduco: ita igitur hic Rector perorabat: Weil ich bey Antrettung dieses rectoralischen Amtes nach altem Gebrauch eine kurze Rede halten solle, bin ich gesinnet, was weniges

(d) 2. Petri 2. v. 18. & 19.

zu sagen von den in gar vielen Orten armseligen Zustand der sich zur Augspurgischen Confession bekennenden Kirche, bitte instandig, sie wollen es mit gütigen Ohren anhören.

Weil ich gesinnet bin zu sagen, wie armselig es in gar vielen Orten stehe mit der sich zur augspurgischen Confession bekennenden Kirche, muß ich vor allem Warnen, daß ich nicht rede von dero innerlichen Zustand, oder von der Lehre, welche unsere Kirche in denen sogenannten symbolischen Bücheren bekennet, als welche mit der göttlichen Offenbarung eintrifft. Ich meyne auch nicht, daß etwas abgehe bey der Darreichung deren Sacramenten, als welche der Einsetzung des Heilandes ähnlich ist: bilde mir also ein, unsere Kirche seye der Materie nach rein, und glücklich, halte sie aber vor armselig nur wegen der Form der Regierung und äusserlichen Zustandes, welcher wahrhaftig in vielen Orten nicht armseliger seyn könnte, dann man findet in derselben kaum einen Schatten jener Kirchen-Einigkeit, welche Paulus erfordert in der Epistel an die Ephesier am vierten, wo er also schreibet: Aus welchem der ganze Leib, der Kirche nemlich, zusammengefüget, und ein Glied am anderen hanget, durch alle Gelenke, dadurch eines dem andern Handreichung thut, nach den Werken eines jeglichen Gliedes in seiner Maße, und machet, daß der Leib wachset zu seiner selbst Besserung. In diesen Worten stellet uns Paulus

lus vor die Form, der alsdann noch frisch gegründeten christlichen Kirchen unter dem Sinnbild eines menschlichen Leibes, dessen Glieder solchermassen aneinander hangen, daß wo nur eines derselben verwundet wird, alle übrige den Schmerz empfinden, und dem Verwundeten allezeit zu Hülfe kommen. Das Paulus hier rede von einer sichtbaren Kirche, und folglich auch von der sichtbaren Einigkeit und Hülfe, welche die Kirchenglieder einander leisten sollen, ist nicht nöthig darzuthun: dann er redet von einer Kirche, in welcher sichtbare Lehrer, die sichtbarlich von einander zu unterscheiden waren, könnten gesehen, und gewiesen werden, unter welchen nemlich dazumahl die eine Apostoln, die andere Evangelisten, andere Hirten, andere Unterweiser oder Lehrer waren. Demnach ist es Augenscheinlich, das Paulus zur Form der sichtbaren Kirche als was nöthiges erfordere, eine sichtbare Hülffe, welche die Kirchenglieder einander zu leisten haben, gleichwie an dem menschlichen Leib die Zusammenfügung der Gebeiner, kraft welcher ein Glied dem anderen kann zu Hülffe kommen, eben so nothwendig erfordert wird als der Umlauf oder die Circulation des Geblütes, und eine gesund- und nahrhafte Speiße und Trank; dann die blosse Einigkeit in der Lehre, und in dem Gebrauch göttlichen Wortes, und der Sacramenten ist gegen der Kirche zu rechnen anders nichts, als was gegen dem

Leib zu rechnen ist, der Gebrauch der Speise und Trank, und der Umlauf des Geblütes. Wann nun in der sich zur augspurgischen Confession bekennten Kirche kaum ein Schatten solcher äußerlichen Einigkeit, und sichtbarer Hülfe, welche die sonderbare Kirchen als Glieder eines Leibes einander leisten sollten, mehr übrig ist, so ist ja augenscheinlich, daß auch in der gesammten Kirche kein Schatten der von Paulo erforderten sichtbaren Kirchenform mehr übrig seye; und ist dieser schier gar gänzliche Untergang einer sichtbaren Kirchenform der Ursprung aller Armseligkeiten, die in unserer Kirche so oft bemerket werden.

Diesen kläglichen Untergang müssen wir zuschreiben denen Reformierern der Kirche, weil sie nur sorgfältig waren die reine Lehre, und rechte Ausspendung der Sacramenten wieder herzustellen, anbey aber gar nicht gedachten eine kluge Verordnung der Kirchen-Regierung, absonderlich vor die kleine Particular-Kirchen einzuführen, ohne welches die äußerliche Einigkeit unmöglich kann erhalten werden, sie machten es wie Leib- und Wundärzte, die ihnen zwar ließen angelegen seyn, das Fleisch, das Geblüt, und dessen Circulation, den Magen, die Art, und Gattung der Speisen, und des Tranks, und deren mäßigen Gebrauch, und wie eine schädliche Wunde recht möge geheylet werden; dabey aber vernachläßigen wollten die Gebeine; welche nicht nur auseinander, sondern

auch

auch an dem ganzen Leib zerbrochen, und zertrümmert wären: ja nicht einmal gedenken wollten, wie solchen Kranken zu rathen, damit er seiner Glieder nach Bedürftigkeit gebrauchen, einen mit dem anderen zu Hülfe kommen, wieder Stehen, Gehen, und sich wehren könnte. Es waren die Reformierer zwar tüchtig ein so groſses Werk aufrichtig, und beherzt anzufangen, aber wegen ihrer gar zu groſsen, und vielfältigen Unfürsichtigkeit, welche aus dem, was ich noch zu sagen habe, augenscheinlich soll erwiesen werden, waren sie nicht im Stand diesem Werk einen klugen Fortgang zu verschaffen, und es zu einem glücklichen Ausgang zu bringen: wären sie aber fürsichtig genug gewesen, so hätten sie der augspurgischen Confession als einer Glaubensregel, und Bekanntnuß auch beygefüget eine Verfassung der Regierungs-Regeln, sowohl deren, die sie beybehalten, oder von neuem einführen, als auch deren, die sie ausmustern wollten, damit der Kaiser und das Reich hätten erkennen können nicht nur, was man glauben, und lehren, sondern auch nach welchen Regeln man die reformierte Kirchen regieren wollte, wie sie es von Rechtenswegen, und als kluge Leuthe hätten thun sollen. Wann solches von ihnen geschehen wäre, so hätten sie nicht nur ihrer Schuldigkeit ein Genügen, sondern auch einen gefälligen Dienst geleistet, denen Lehreren nachfolgender Zeiten, und Räthen der

Kirchenregierung, welche an solcher Verfassung der Regierungsregeln hätten haben können eine Art allgemeinen geistlichen Rechtens: aus Abgang dessen sie nun bey Verwaltung ihrer Diensten mit unglaublichen, und unaussprechlichen Verdrüßlichkeiten müssen gequälet werden. Wie armselig wäre nicht ein weltlicher Rechtsgelehrter, Exempelweiß, ein General-Advocat, wann er bey seinen Anbringungen, und Berathschlagungen sich nur allein halten müßte an gewisse besondere Verordnungen, und wo diese nicht zulänglich wären, ihme verbotten seyn sollte das allgemeine Recht auch anzuzeigen, wie es verbotten ist denen geistlichen Rechtsgelehrten nicht zwar durch einige Gesetze, sondern wegen Abgang eines allgemeinen geistlichen Rechts. Daher kommet, daß hier eine Particular-Kirche ihr nach denen Carpzovianischen, hier eine andere nach denen Hobesio-Thomasianischen, da eine dritte nach denen Titianischen, dort eine vierte nach denen Böhmerianischen, anderstwo ein anderer nach andern Grundsätzen ein besonderes geistliches Recht schmiedet zum großen Spott unserer Kirche. Es haben also die Reformierer närrisch, und unfürsichtig gehandelt, daß sie die alte Kirchengesetze abgestellet, und nichts gewisses, noch allgemeines, vielweniger was bessers davor verordnet haben, als hätten sie nicht gewußt jene bey dem geringsten Volk bekannte Regel, die da

mahnet,

mahnet, man solle ein altes, und folglich nicht mehr gar sauberes Kleid nicht wegwerfen, man habe dann zuvor ein neues, und besseres anzuziehen; dann es ist ja doch besser ein Kleid an dem Leib haben, daß nicht gar sauber ist, als bloß und nackend herum ziehen: so aber habens gemacht die Reformierer mit dem allgemeinen geistlichen Recht, wie jedermann bekannt, und wie die Particular-Kirchen, voraus die Kleinere, welche kein Consistorium, noch Kirchen-Convent haben, heutiges Tages zum öfftern mit ihrem unersetzlich- und unvermeydlichen Schaden erfahren; welches ich mit vielen höchst kläglichen Exempeln darthun könnte, wann es die Zeit erlaubte.

Darum, wann die Reformierer fürsichtig genug gewesen wären, so hätten sie die Bischöffliche Regierungsform beybehalten, wie in Schweden, und Dännemark geschehen, oder wenigstens ein höchstes, und allgemeines Consistorium absonderlich denen kleinen Particular-Kirchen zum besten aufgerichtet, vor welchem hätten können beygeleget werden alle Kirchen-Zänke, die nicht so sehr die Lehre, welche freylich Gott allein durch sein Wort schlichtet, als die Regierungsordnung, gebühre, Zucht, Beruffung, und Abdankung deren Kirchendienern, und andere geistliche Händel betreffen, und einen menschlichen Richterstuhl nicht nur dulten können, sondern nothwendiger Weise erfor-

dern. Weil aber beydes ist unterlassen worden, so ist die sich zur augspurgischen Confession bekennende Kirche in Deutschland, so viel die Verständnuß, welche die Particular-Kirchen miteinander pflegen sollten, und das geistliche Recht belanget, gleich worden einem Wurm, der in unterschiedliche nicht nur groß, und lange, sondern in winzig-kleine Stücklein zerschnitten wird, die zwar alle sich ein wenig noch regen, so lang ihnen noch einige Lebenskräfften überbleiben, aber auch alle nach und nach das Leben, und mit dem Leben die Bewegung verlieren. Sie ist gleich worden einem Heer, welchem weder Macht, weder Kriegswissenschaft, weder Proviant, weder Waffen, noch Muth, zum Streiten abgehet, daß aber stehet unter vielerley Generalspersonen, unterschiedlicher Würde, die auch unterschiedliche, oft einander zuwiderlauffende Befehle ertheilen, zuweilen auch sich gar zu nichts zu entschließen wissen, und keiner dem andern untergeben ist. Sie ist gleich worden einem Kriegsregiment, wo ein jeder sich kleidet, wie es ihme gefällt, und nicht nur ein jeder Hauptmann, sondern auch ein jeder Lieutenant, ein jeder Fändrich, Sergant, und Gefreyter selbst Herr, und keinem unterworfen seyn will. Sie ist gleich worden einer Stadt, deren Innwohner zwar mit Speiß, und Trank versehen, aber mit keinem burgerlichen Band untereinander vereiniget seynd, also, daß nicht nur ein jeder

Hauß-

Haußvatter, sondern auch eine jede Haußmutter ihr das Völkerrecht beylegen, und nach eigenem Gutdunken leben will.

Man wirft zuweilen der römischen Kirchen, wiewohl ohne genugsamen Grund vor, sie habe vor Zeiten ein Weib zum Pabst gehabt. Es hat aber das Ansehen, als könnte man solches unserer Kirche mit mehrerem Schein der Wahrheit vorwerfen; dann es kann in unserer Kirche auch ein Weib die päbstliche, und bischöfliche Rechte verwalten, wann es nur Geld genug hat ein unmittelbares Dorf zu erkauffen, dessen Inwohner sich zur augspurgischen Confession bekennen, und dessen Herrschaft zugleich das Recht des Kirchenplatzes habe. Was ich da sage, will ich mit einem Exempel erläutern.

Eine Wittwe hatte unter andern Gütern hier in Elsaß auch ein Dorf, dessen Pfarrherr gegen Ende des verflossenen Jahrhunderts zu einer Helfersstelle in hiesiger Stadt beruffen wurde, und ihme also ein Nachfolger in der Dorfspfarrey mußte gegeben werden. Weil nun diese Wittwe nicht nur die Herrschaft, sondern auch berechtiget ware die Pfrunde zu vergeben, wurde sie von denen Bauren dieses Dorfes inständig ersuchet, sie möchte ihnen doch nach denen gehaltenen, und sogenannten Probpredigen der vier Werbern die Wahl gütigst überlassen. Sie versprache es, und sagte ihnen ihr Begehren zu; nachdem aber die Stimmen der Bauren waren eingesammelt worden,

ernannte

ernannte sie nicht den, welcher die meiste Stimmen hatte, sondern den, welcher ihr am besten gefiele. Hat nicht dieses Weib die päbstliche und bischöffliche Obermacht im höchsten Grad geübet? vielleicht giebt es auch heut noch Weiber, die durch ihre Männer, über welche sie völlig herrschen, die päbstliche, bischöffliche, priesterliche, und Pfarrgewalt würklich üben, obschon ein so frevelhafter Eingriff, wo er vorgehet, so schändlich ist, daß er nicht verdienet in diesem ehrbaren Ort gemeldet, oder wiederleget zu werden. Wie vielfältig, und grosses Elend aber aus gedachter Trennung, und Eigenmacht der Particular-Kirchen schon entstanden seye, ist kaum mit Worten auszusprechen.

Das erst- und schlimmste ist, daß jedermann erlaubt ist in Sachen, die zum geistlichen Recht gehören, allerhand schädliche, und ärgerliche Sätze, und Meynungen zu verfechten; dann es seynd in unseren Kirchen gefunden worden Doctores nicht nur unter denen Juristen, sondern auch Theologi, welche sich erkühnet haben zu Lehren, eine jede Particular-Kirche habe mit Bewilligung des Landherrns völlige Gewalt nicht nur anstatt des ersten Tages der Woche, welchen die erste, und allgemeine Kirche aus erheblichen Ursachen zum Sabbath des neuen Testaments unter denen sieben Tägen erwählet hat, uneracht dieses allgemeinen, und stetes gehaltenen Gebrauche, den zweyten, dritten, vierten, fünften, oder sechsten Tag hierzu nach Belieben zu bestimmen, sondern auch anstatt

statt jedes siebenden, den achten, oder neunten Tag zur Ruhe, und Sonntag einzusetzen. Wann solches gelten soll, so folgt von selbsten, daß auch einer jeden Particular-Kirche mit Bewilligung des Landherrens, welcher päbstliche, und bischöffliche Gewalt haben soll, nicht weniger erlaubt seye die priesterliche Eheeinseegnung abzustellen, und alles aufzuheben, was zu alten Zeiten, und aller Orten gebräuchlich ware, und zu Erhaltung guter Ordnung, und der Ehrbarkeit in der Kirche unumgänglich nöthig ist. Wer siehet aber nicht, was Elend, und Jammer aus dergleichen Sätzen erfolgen müsse? Es würden daraus entstehen die gröste Strittigkeiten wegen des Erbrechtens der protestantischen Fürsten, die gar schwerlich würden zu schlichten seyn. Wie wahr solches seye, ist genugsam zu ersehen an den so weit bekannten Streit wegen der mümpelgardischen Erbschaft. Wer in denen aus Gelegenheit dieses Streits in Druck herausgegebenen factis und Memorialien lieset die so vielfältige, schnurgerad gegen einander lauffende, öffters auch recht läppische, und vermessene Sätze, Meynungen, Berathschlagungen, und Antworten unserer Theologen, und Rechtsgelehrten über die priesterliche Einseegnung, und was zu dero Gültigkeit erfordert wird, über die Dispensationen, absonderlich in selbst eigener Sache, über die Ehescheidung, und andere dergleichen Dinge, die zum geistlichen Recht gehören, der wird, so er sonst noch ein stücklein christlichen

Eifers

Eifers in ihme hat, nicht ohne verdrüßigen Unwille sehen, wie einige Doctores unserer Kirche gar kein Bedenken getragen, den von anderen in ihren ärgerlichen Lehrsätzen herausgewagten Probabilismum oder besser zu sagen, den gröbsten Scepticismum in der That, und in den Werken getrieben zu haben, welche solcher zaumlosen Ausgelassenheit hätten können überwiesen, und öffentlich darüber bestraffet werden, wann ein allgemeines geistliches Recht bey uns vorhanden wäre. Welcher fromm- und ehrliche Mann kann ohne Grausen sehen, daß viele zum ersten Grund des geistlichen Rechtens legen, es seye alles erlaubt, was man nur will? was Wunder, wann denen der römischen Kirche zugethanen Richtern ab solchen Dingen grauset, und eckelt, und unsere Kirche so gräußlich vorkommt, als auf welche sie wegen obenbemelten Ursachen, die Schuld endlich werfen, und der gänzlichen Meynung seynd, die Reformierer, welche sich nicht bemühet haben uns ein gewisses geistliches Recht zu hinterlassen, seyen nicht weniger die Ursachen aller daraus entstehenden Uebien, als jene Aeltern, welche ihren Kindern in der Jugend zu viel Freyheit lassen, die Urfach seynd aller Lastern, die von selben in höherem Alter begangen werden. Es wurde wahrhaftig vor solchen Dingen auch grausen, und eckeln dem heiligen Augustino, wie zu ersehen nur aus seiner sechs und achtzigsten Epistel an Casulanum, wo er also schreibet: würde nicht derjenige Gott den

HErrn

Herrn beleydigen, welcher mit Aergernuß der ganzen, und aller Orten ausgebreiteten Kirchen an dem Sonntag fasten wollte? Wann nun durch eine auf dem Sonntag verordnete Fasten Gott beleydiget wird, wie gräulich wird er eurer Meynung nach erst beleydiget werden durch die frevelhafte Abstellung des Sonntages, und durch die Vertheidigung, und Gutheißung anderer Eingriffen, die unendlich größere Aergernuß verursachen, und das ehrliche herkommen vieler Kindern, und die Erbschaft ganzer Land-Herrschafften ungewiß, und zweiffelhaft machen. Ich schreite aber zu einem anderen Elend unserer Kirche, welches darinn bestehet, daß einem jeden Betrüger, und Schwärmer erlaubt ist eine neue Kirche zu schmieden, und neue Ceremonien, und Kirchengesetze vorzuschreiben, welches hier und dar einige Particular-Kirchen nicht nur ungestraft lassen hingehen, sondern auch noch noch gut heissen, und loben dürfen. Es hat gelehret die immerwährende, und lehret noch die heutige recht betrübte Erfahrnuß mit neuen Proben, daß der Zustand unserer Particular-Kirchen öfters gleich seye dem Zustand, in welchem sich das jüdische gemeine Wesen zu Zeiten deren Richtern bisweilen hat befunden, wo ein jeder thate, was er vor gut, und recht hielte. Das aber ein solcher Zustand, welchen viele unter denen Unsrigen ihnen so sehr gefallen lassen, dem heiligen Geist, als dem Geist der Ordnung, der die Subordination liebet, und der hauptsächliche Urheber des Buchs der Richtern

tern ist, höchst Mißfallen habe, ist aus eben diesem Buch genug zu ersehen.

Ferner werden in unserer Kirche noch beobachtet andere große, und vielfältige Armseligkeiten sowohl bey dem Beruf, als auch bey der Absetzung unserer Kirchendienern, und müßte ich meine Zuhörer gar zu lang aufhalten, wann ich nur den hunderten Theil deren Mißbräuchen, welche bey Beruffung gemelter Kirchendienern öffter vorgehen, hier erzählen wollte, übergehe sie also mit Stillschweigen, weil sie doch von selbsten meistentheils bekannt seynd, und will mit betrübtem Herzen nur allein was weniges melden von der Abdankung deren Kirchendienern, worüber heutiges Tages manche Lehrer in Deutschland ohne Scheu behaupten, es seye dem Landherrn erlaubt einen unschuldigen Kirchendiener ohne Anziehung einiger Ursachen, und nur allein weil es ihnen also gefällig, abzusetzen. Was aber vor gewaltige Ungerechtigkeiten, und großes Elend ein so gottloses geistliches Recht verursachen könne nicht nur vielen gar frommen Männern, sondern auch ihren Weib, und Kindern, wird man leichtlich erachten.

Wie betrübt, und armselig stehet es nicht auch in denen meisten Orten mit der Besoldung der Kirchendienern, welche öffters so gering ist, daß die Prediger göttlichen Wortes öffters genöthiget werden, wie die Bettelmönchen um Barmherzigkeit bey ihren Zuhörern zu schreyen, wollen sie anderst nicht Hunger leyden: aus

welchem

welchem Elend nothwendig erfolget die grösste, und kläglichste Armuth der hinterlassenen Wittweiber unserer Kirchendienern. Entweder hätte man ihnen nicht sollen erlauben sich zu verheyrathen, oder wenigstens aus Vernunft für ihre Wittweiber sorgen. Stockblind muß derjenige seyn, welcher nicht siehet, was gefährliche Uebel bey Verwaltung deren Kirchendiensten heraus entstehen: da die eine wegen ihrer unzulänglichen Besoldung, andere, damit nach ihrem Tod ihre hinterlassene Wittwen nicht an dem Hungertuch nagen müssen, durch die geheime Ungestümmigkeit, oder flehentliches Anhalten ihrer Weiber genöthiget werden, sich dem spöttlichen Geitz zu ergeben: andere schmeichlen ihren Zuhörern recht schändlich, und zwar mit großer Aergernuß, absonderlich in ihren Leichpredigten, welche deßwegen von verständigen Leuthen schon lang gar wohl, und recht Lugenpredigen pflegen genannt zu werden; wann aber ein solcher Prediger noch darzu kein Ende mehr zu finden weiß, und mit seinem eiteln Wortgewäsch die Leuthe gern möchte weynend machen, so ist kaum auszusprechen, mit was für Verdruß, und Unrotllen man diesen Schreyer, der nur ihme selbst allein gefällt, absonderlich bey kalter Winterszeit pflege anzuhören. Wie sehr aber dergleichen Lugenpredigen von wahrer Frömmigkeit pflegen abzuhalten, ist aus folgender Geschicht zu ersehen.

In einem Dorf, welches nur einen Steinwurf von hiesiger Stadt entlegen ist, kame vor ungefehr dreyßig Jahren ein Baur zu seinem Pfarrherrn, und fragte ihn, was er doch thun sollte, damit er nach seinem Tod ewig verdammt würde, dann solches schiene ihm unmöglich zu seyn, weil er bishero allerhand lasterhaffte Böβwichte, als Ehebrecher, Vollsäuffer, gröste Betrüger, und Geitzhälse ꝛc. in denen Leichpredigen hätte hören seelig sprechen: diese frage, absonderlich weil sie auf Anstiftung eines adelichen geschehen ware, machte meinen guten Pfarrer sehr streng in Verwaltung seines Amtes, daß er forthin in seinen Leichpredigen die Todte nicht mehr so geschwind in Himmel zu setzen pflegte.

Eben so armselig siehet es in unserer Kirche auch drein, wegen deren nach langer Arbeit, alten, und unvermöglichen Kirchendienern, und ist jedermann genug bewußt, wie schädlich es unserer Kirche seye, daß selbe nichts zu leben haben. Ueber dieß alles werden in unserer Kirche die Diener göttlichen Worts so sehr verachtet, daß es mit solcher Verachtung weiter nicht kommen kann. Neben viel anderen unterschiedlichen Standes, bey welchen die Kirchendiener gar nichts gelten, hält auch das geringste, und liederlichste Gesindel so wenig auf die Prediger göttlichen Wortes, und redet von ihnen so gottloß, daß wann es absonderlich in denen Bier- und Würths-Häußern von nichts anders mehr zu schwätzen

weiß,

weiß, über die Laster, welche es an denen Kirchendienern zu merken vermeynet, herwüschet, ihre Untugenden herausstreichet, vergrößeret, und mit Hindansetzung aller Ehrforcht ihnen noch mehr böses sucht anzudichten; welche unverschämte Ausgelassenheit nicht nur die Römisch-Catholische, sondern auch die Reformierte billich an uns verabscheuen. Dieses Elend aber gehet leyder absonderlich hier in Straßburg in völligem Schwang, und scheinet hauptsächlich herzuführen von der dem Volk überlassenen Wahl, weil es absonderlich zur Zeit der Wahl am meisten vorgehet.

Ich schreite aber zu Deutschland, und finde, daß es auch daselbst mit unserer Kirche recht armselig stehe, wann ich betrachte den garstigen, und leeren Krieg, welchen unsere Theologi öffters ungestraft, und ohne Ursach wider einander führen. Ich könnte deren viele anziehen, wann ich ihnen die Zeit gern lang machen wollte. Absonderlich ist Weltbekannt, was verbitterte Gemütheshitze, wie viele, und was grobe Scheltworte, was Ketzermacherey, und Verdammungen mitunterlauffen seyen in dem Gezänke, welches unsere Theologi gegen End des letzt verflossenen Sæculi wider einander angefangen, und bey Anfang dieses, jenseits unter dem Schein die Frömmigkeit zu befördern, anderseits unter dem Vorwand die Wahrheit zu schützen, fortgesetzt, und noch vermehret haben. Wahrhaftig

wann die sich zur augspurgischen Confession bekennende Kirche, welche von einigen Evangelisch, von anderen Lutherisch genannt wird, die gebühre, die Ehrbarkeit, die Zucht, und Ordnung geliebet hätte, so hätte sie wenigstens eine solche Art, und Weise zu zanken niemal zugelassen.

Viele tadeln auch billich an unserer Kirche als einen groben Fehler, daß man gänzlich habe zu Grund gericht die Klöster, oder Häuser, welche bestimmet, und gestiftet waren vor diejenige, die wegen ihres hohen alters, und deren zu fernerer Verrichtung gewöhnlicher Geschäfften abnehmenden nöthigen Kräfften, gern alle irrdische Sorgen möchten ablegen, und die letzte Zeit ihres Lebens in einer frommen Gesellschaft anderer Leuthen ihres Geschlechtes mit Recht wünschen zuzubringen. Wahrhaftig, so wir die Wahrheit offenherzig reden wollen, müssen wir bekennen, daß man hierinn das Kind mit sammt dem Unflat habe ausgeschüttet.

Letztlich vollendet diesen armseligen Zustand, von dem ich rede, unsere zwar langsam, aber doch augenscheinlich gegen ihrem Untergang zunahende, und in vielen Orten schon baufällige Kirche; dann wie durch die Einigkeit, und gute Verständnuß auch die geringste Dinge aufkommen, und zunehmen, eben also zerfallen, und gehen auch die gröste zu Grund durch Zank, und Mißverständnuß. Viele der mächtigsten Fürsten, dero Vorältern die

fürnehm-

fürnehmste Uebergebere, und Verwaltere deren Kirchensachen gewesen waren, seynd wieder zu dem alten Glauben schon getretten: wie werden dann, voraus die winzig-kleine Stücklein des zerschnittenen Kirchenwurms sich noch lang bewegen können, wie wird das unter vielen Feldherrn, deren jeder was anderes befiehlt, stehende Heer sich ferner wehren, wie wird eine Stadt, in welcher die Bürger nicht zusammen halten, und bey einer Brunst der Nachbar nicht wöllen sorgen, und löschen helfen, länger stehen können. Es könnten noch viel andere, und zwar höchstbillige Proben beygebracht werden, das Elend unserer Kirchen darzuthun; allein was ich gesagt habe ist schon genug, dero klägliches Ansehen zu entwerfen.

Ex hoc authentico, ac meo censori nequaquam suspecto testimonio eruere poterit benevolus Lector, quod sane in Protestantium Ecclesia nulla omnino unitas, sed mera desolatio, regnumque in se divisum reperire sit.

§. XI.

Censoris indignatio ob defensam Theologorum Colonienſium famam.

Quoniam illos Viros, qui Luthero, ut in Ecclesiam irrumperet, viam sternebant, tanquam nobiliora illius ævi ingenia non deprædicabam, sed potius Colonienſium Doctorum, qui sese hisce Philologis, poetis ac Grammaticis opponebant,

Zelum, ac Religionis ſtudium commendabam, hinc a Cenſore meo his verbis redargui promeritus ſum: es iſt ungemein ſeltſam, was der Pater Alexander zum Lob ſeines vortreflichen Ortuin Gratius, Pfeffernkorn Jacob Hochſtratten &c. beybringet, er ſteckt ſich mit dieſen aufgeblaſenen Dumm-Köpfen hinter die Rechtglaubigkeit, und fällt auf die beſten Geiſter ihres Zeitalters, als auf die gottloſeſten Buben loß: ſeu latine: „Oppido ſingulare „eſt id, quod Pater Alexander in laudem „ſui egregii Ortuini Gratii, Pfeffernkornii, „Jacobi Hochſtratten profert; unacum „hiſce inflatis idiotis veram orthodoxiam „obtendit, ac nobiliſſima illius ævi ingenia „veluti maxime impios ſcurras inſequitur. Ad oſtendendam vero hujus ſuæ querelæ æquitatem pag. 457. adducit annotationem meam ad §. 72. Lib. CXXXI. tom. 35 fol. 299. ubi hæc addidi: „illo nimirum ævo „nonnulli, qui ſe *purioris literaturæ viros* „*jactitabant*, Lutheri erroribus clam præci„nebant, cum vero clandeſtina eorum con„ſilia, *a viris fidei Zelo accenſis*, -- detege„rentur, hinc illi eorum auctoritatem con„vitiis, calumniis, *famoſis libellis* in vul„gus ſparſis, nec non atrocibus *jocis*, & „ludibriis imminuere, famamque eorum „lædere toto ſtudio eo fine nitebantur, -- „ita illo ævo accidit; tum enim inſurge„bant nonnulli, qui *Grammatices, Eloquen„tiæ, græcæ & Hebraicæ linguæ, novasque*

„*Philo-*

„*Philoſophiæ ſcientias*, plenis buccis depræ-
„dicabant, *ceteros omnes tanquam rudes idio-*
„*tas contemnebant*, ſibique harum ſcientia-
„rum abuſu populi, ac incautorum famam
„conciliabant.

His verbis Cenſor meus ſubjunxit: wir können nicht alles abſchreiben. Profecto hujus Critici cenſuram perlegentibus oppido ſingulare accidit, quod is ea, quæ ab omnibus coævis Scriptoribus referuntur, eorumque teſtimoniis comprobata ſunt, a me annotata indignetur, ac Viros de Chriſtiana Republica optime meritos aufgeblaſſene Dumm-Köpf ſeu inflatos idiotas, hebetisque ingenii homines convitiari non erubeſcat. Non equidem quid ſingulare, minus vero quicquam veritati abſonum ex adulandi ſtudio in laudem Gratii, Hochſtrati, vel Pfeffernkornii ſcripſeram, de horum autem adverſariis (quos Cenſor die beſten Geiſter ihres Zeitalters nominat) retuli, quod *Lutheri erroribus clam præcinuerint:* verum id ante me illo ipſo ævo Albertus Pius Carporum Princeps, Stunica, Beda Pariſienſis, aliique plures demonſtrabant: quod vero nobiles hi ſpiritus ſuis ſcientiis abutentes indignum in modum Catholicos atrocibus jocis, famoſis libellis, convitiis, & ludibriis inſectati fuerint, certe cenſor meus negare non audebit; quis enim credere poterit, quod tantus, talisque Vir in pervolvendis libris adeo ſegnis, vel in eru-

ditione historica tantopere rudis sit, ut ignorare potuerit, quod tam scurrilia, tam acerba, & mere conficta scommata in Virorum obscurorum epistolis fuerint typis sparsa, ut hujus facti indignitas ipsi etiam Erasmo summopere displicuerit, ut ipsemet testatur in epistola ad Joannem Cæsarium 16. Aug. anno 1517. data, quam inferius adducam: minus vero ignorare debuisset Censor verba Alberti Pii, qui hanc in rem ita scripsit: *inde factum, quod & tu ingenue fateris, ut quotquot vestratium amabant literas, se Lutheri nascenti furori fautores exhibuerint. Hæc causa tantorum malorum fuit: hinc enim Luthero natura temerario audacia crevit, & arrogantia, tantis videlicet auxiliis confidenti. Quanto fuit optabilius, ut hi non tanto ardore bonis literis favissent, quanto salubrius, ut illas nunquam didicissent, quam ut earum occasione tam vastum incendium excitassent. . . Increpandi sunt illorum nonnulli, qui illis fuerunt abusi, quos scribis mox nato Luthero penitus adhæsisse . . , plurimi ab ipsis arrogantes & temerarii evadunt: nec mirum, cum doceant congrue, & commode proloqui, non autem res ipsas recte existimare . . , hinc ut furentes gladio, ita ipsi eloquentia abusi Germaniam cunctam in seditionem induxerunt.* Hoc fuit de hisce præstantissimis Viris judicium Carpensis Principis, Scriptoris coævi, ac Reuchlino (ut ipsemet testatur) ejusque fautoribus addicti, proin de veritate non

suspecti:

ſuſpecti: hujus igitur Scriptoris verba cum mea annotatione conferat eruditus Cenſor, & mea dicta illius teſtimonio confirmata reperiet; qua autem fronte de me ſcribere potuit, quod in hoſce viros ſua exiſtimatione adeo præclaros, velut in nequiſſimos ſcurras invehi non dubitarim? legat, & perlegat omnia annotationis meæ verba, & ne unicum quidem convitium in eos a me conjectum deprehendet: meliori autem jure contra ipſum, ſuosque conqueri poſſem, quod ipſe nimium proterve Viris ſcientia, & pietate inſignibus, quales erant Colonienſis Univerſitatis Doctores, tam pudenda nomina imponere, eosque **aufgeblaſene Dumm-Köpf, Ketzermacher**, Caveus autem *malitioſos*, *petulantes*, atque *ineptiſſimos tenebriones* appellitare non erubuerint, cum tamen ex illis nullum de ullo crimine redarguere poſſent; ſi vero illos latini idiomatis puritate minus excultos arbitrati ſunt, num propterea tanquam malitioſi, petulantes, ſtupidi atque ineptiſſimi tenebriones palam traducendi? Quis ſani judicii vir Hochſtratum velut inflatum, ſtupidumque caput explodere audebit, cum is tot doctiſſimarum elucubrationum Author, ac per plurimos annos celeberrimæ Colonienſis Univerſitatis Doctor præclara Eccleſiæ, ac Reipublicæ Literariæ obſequia præſtiterit. Verum ſi, quod res eſt, fateri vellent, non alterius criminis rei erant hi

Doctores, nisi quia novis opinionibus adversantes veræ Religionis honorem strenue contra Novatores tuebantur: & quidem Hochstratus ab ipsis indigne habetur, quia contra Lutherum, nec non adversus *speculum oculare* calamum severe strinxit, Pfefferkornius vero Judæorum libros retineri, ac divulgari prohibuit, quia atroces in Christum Dominum, & B. Virginem blasphemiæ in illis passim continebantur. En utriusque culpam, atque odii originem: utrumque vero facinus utrique huic viro in immortalem cedit gloriam, & quidem Hochstrati judicium ipsa etiam Facultas Parisiensis ratum habuit, ejusque caussa Romæ fuit vindicata, cujus rei evidens signum est, quod præfatum *speculum oculare* damnatis libris in Indice Romano fuerit adscriptum: quid plura? hujus caussæ æquitas sat luculenter ex eo demonstratur, quod nobilissima illius ævi ingenia die besten Geister ihres Zeitalters, cum ipsis ad eum oppugnandum validæ deessent rationes, in Hochstrati Roma reducis vitam insidias, quas, prout ipsimet fassi sunt, ægre evasit, desperabundi struxerint, ac demum pro vetularum more in sarcasmis, mendaciis, contumeliis, ac convitiis opem quærere coacti fuerint, hancque ob rem *virorum obscurorum epistolas* in lucem emiserint: quis vero pudendi hujus libri auctor sit, an ipse Reuchlinus, vel Huttenus, vel Georgius Beni-

Benignus, vel hi unaomnes, discutere haud operæ pretium est, hanc in rem consuli possunt Placcius, & Christophorus Heumannus *de libris Anonymis, & Pseudonymis*: quiscunque vero infamis hujus partus parens existit, certe potiore jure obscurus vir, ac tenebrionum nequissimus appellari meretur, suum nomen prodere haud ausus; filii enim tenebrarum fugiunt lucem, eamque, qui male agunt, odio habent; quid autem aliud magis impium excogitari potest, quam illud ipsum hoc opus, quo petulantius nequidem ab insolentissimo scurra expectari posset, in quo Author optimæ notæ Viris epistolas affingit, in quibus inscitia cum nequitia de palma certat, & non sine atrocis detractionis culpa, innoxiis turpissima quævis facta, & dicta imponit, perinde ac si eadem ab ipsis perpetrata, vel scripta fuissent? quid sceleratius excogitari potest, quam sub ementito Ecclesiasticorum nomine tam impudica, spurca, tamque obscœna typis edere, ut etiam honesti viri aures offendantur, & incauti juvenes facile ad quasvis libidines eorum lectione abduci possent? nonne potius rogi supplicio, quam publico prælo dignus est obscœnus ille tractatus *de fide meretricum*, & *de fide concubinarum;* sane digna harum epistolarum appendix? horreo ad blasphemias, quas fœtidum os hujus Authoris in Spiritum Sanctum, D. Petrum, ac Hieronymum in sua prima

prima epiſtola, nec non in decima tertia in Beatiſſimam Virginem, imo in epiſtola vigeſima ſecunda, & vigeſima octava in ipſum Chriſtum Dominum, pluraque alia prorſus iniqua; atque abominanda petulantiſſime evomit: jam vero ſive Reuchlinus, ſive Huttenus earum Auctor fuit, ſive demum omnes tum Colonienſibus Doctoribus infenſi ſuam operam contulerunt, ſi inquam, hoſce viros Berolinenſis Criticus celebrioribus illius ævi Scriptoribus accenſet, egregius ſane nequitiæ Patronus eſt, & apologeta; caveat autem ſibi, ne eandem infamiæ labem incurrat, qua fuerant notati illi, quos inique defendendos ſuſcipit: ipſemet Erasmus Roterodamus (e) quamvis Reuchlino, ejusque fautoribus amiciſſimus, ut memoravimus, ſcurrile hoc facinus improbavit, ſcripta ſequenti epiſtola: *Magnopere mihi diſplicebant epiſtolæ obſcurorum virorum: jam tum ab initio delectare potuiſſet facetia, niſi nimium offendiſſet exemplum, mihi placent luſus, ſed citra cujusquam contumeliam: ſed moleſtius fuit, quod in poſteriore editione mei quoque nominis mentionem admiſcuerint: quaſi parum fuiſſet ineptire, niſi nos quoque vocaſſent in invidiam, & magnam partem fructus tot ſtudiorum laboribus expetiti corrupiſſent. Ne id quidem ſatis eſt viſum. En alter libellus priori adſimilis, in quibus crebra mentio*

(e) Loc. cit. in tom. 2. epiſt. obſc. Vir. fol. mihi 51. Francof. 1757.

mentio fit eorum, quibus ſcio luſus hujusmodi nequaquam probari, quam male conſulunt iſti, non ſolum in ſeipſos, verum etiam in omnes, quibus bonæ literæ charæ ſunt? jam illud eſt omnium moleſtiſſimum mihi, ſi modo verum eſt, quod mihi iſthinc reverſus famulus meus Jacobus narravit, apud complures haberi Coloniæ libellum, neſcio quem, in Julium Pontificem, quomodo mortuus excluſus ſit e cælo per Petrum. Audieram jam pridem hujusmodi fabulam actam in Gallia, ubi talium nugarum immodica licentia ſemper fuit, eam opinor aliquis in latinum ſermonem tranſtulit. Demiror, quid iſtis in mentem veniat, cum ſic oleum, & operam perdunt, ceterum admiror eſſe, qui ſuſpicentur tam inſignem ineptiam a me profectam, opinor ob id, quod ſermo fortaſſe ſit paulo latinior. Luſi quidem in Moria, ſed incruente: nullius famam nominatim perſtrinxi, in mores hominum luſimus, non in famam hominum: quod ſi vera mihi nuntiavit famulus (nondum enim ſatis credo) quæſo te vir optime, ut iſtiusmodi nugas impias pro tua virili premendas cures, priusquam excudantur, non quod iſti digni ſint, quibus hoc præſtetur beneficium, ſed quod noſtrum eſt, publicæ ſtudiorum honeſtati conſulere, quam iſti talibus luſibus indigne contaminant: porro quod ad me pertinet, ſcio neminem fore, qui me norit, quin ſatis intelligat, iſtiusmodi nœnias mihi ſupra modum diſpli-

displicuisse, quippe indignas ERUDITIS, *AC PROBIS VIRIS.*

Apostolicum autem judicium de hisce scandalosis epistolis non dedignetur percipere Censor noster: *intelligimus*, inquit, Leo X., *nonnullos iniquitatis Filios damnabili, & temeraria loquacitate ductos quemdam libellum famosum, cui titulus est:* Epistolæ obscurorum virorum *ad diversas orbis Provincias, quo eorum temeritas notior fieret, & scandalorum materiam diffusius seminarent, mittere præsumpsisse, in quo libello inter cetera contra Sacræ Theologiæ, & præcipue Ordinis fratrum Prædicatorum Professores, & Colonienses, ac Parisienses Studiorum in eadem Theologia Magistros, quorum aliqui nominatim exprimuntur, tot jurgia, contumeliæ, & convitia proferuntur, & inter alia tam spurce, & petulanter invehitur, convertendo etiam ad scurrilia Sacra eloquia, ut expediat quantocius pro Christianæ Religionis honore illius lectionem tanquam labem pestiferam a rerum natura depelli: scandalosæ vero hujusmodi garrulitatis auctores debita animadversione puniri.* Profecto nullus hominum hucusque spurcissimum hoc opus approbavit, nisi quis omni verecundia abjecta de meretricia etiam glorietur infamia: si ergo Criticus Berolinensis (ut dubitare fas non est) vir honestatis amans est, non mihi irasci deberet, si in protervos hosce Scriptores (quod tamen non feci) invectus fuissem,

fuiſſem, tanquam in nequiſſimos ſcurras, quos tamen ipſe pro ſuo complacendi ſtudio inter nobiliora illius ævi ingenia numerare dignatur: de cetero, ſi fors meæ in Erasmum animadverſiones ipſum offenderint, memorem eſſe volo, quod ſemper meorum verborum rationes, & teſtimonia adduxerim; ſi autem & hoc eidem diſplicet, vices doleat illorum, quos ipſe a nemine provocatus, nec offenſus acrius ſuis cenſuris perſtringit, quin ullam ſuæ reprehenſionis rationem, vel teſtem alleget.

§. XII.

Cenſoris animadverſio in eandem Interpretis annotationem.

His nondum contentus Cenſor meus, quod de ſcientiarum & præprimis novæ Philoſophiæ abuſu queſtus fuerim, me redarguit his verbis: aber nun kommt noch eine ſchöne Wehklag, die wir nicht auslaſſen können, ſeu latine: *aſt nunc adhuc occurrit elegans lamentatio, quam prætermittere non poſſumus.* His præmiſſis ſequentia annotationis meæ verba recitat: „ita nempe „nulla ætas magis periculoſa, quam illa, „in qua ſcientiarum abuſus impune gras„ſantur, quot, quantosque *Viros jam a recta fidei ſemita abduxit nova Philoſophandi ratio, quæ propter ſentiendi libertatem ſenſim fidem eliminat:* unde hodierno ævo tam effrænis ſacros Eccleſiæ ritus contemnendi, *traditiones, & pia hiſtoriæ monumenta* (der Verſor

meynt

meynt die Mönchslegenden) rejiciendi liber„tas, quam ex ipso artis criticæ abusu?„ Hæc mea sunt verba, in quibus quid reprehensione dignum sit, haud video; non enim scientias, vel artem criticam, sed earum abusum deploro: hunc vero a meo Censore approbari, credere non possum: nec etiam novam, ut vocant, Philosophiam rejicio, sed eam philosophandi rationem, quæ propter sentiendi libertatem sensim fidem eliminat: si autem propterea Berolinensis critici censuram promeritus sum, veniam mihi dabit, si eundem in pervolvendis Sanctorum Patrum operibus parum versatum existimem; ex horum enim lectione circa hanc materiam (quin se ad Catholicam fidem perduci, timere debuisset) facile perspicere potuisset, quod effrænis hæc philosophandi ratio, de qua in mea annotatione questus sum, ad errores contra ipsam fidem liberum pandat aditum: præprimis enim Tertullianus ejusmodi Philosophos vocat *Hæreticorum Patriarchas* (f) & alibi (g) philosophicas hasce libertates vocat *doctrinas dæmoniorum, prurientibus auribus natas de ingenio sapientiæ sæculi, quam Dominus stultitiam vocans, stulta mundi in confusionem etiam Philosophos ipsius elegit*, ubi etiam idem Tertullianus ex philosophicis erroribus

(f) De Anima c. 3. 17. & adversus Hermogen. cap. 8.

(g) De præscript. hæret. c. 6. & 7.

bus Valentini, Marcionis, Stoicorum, Epicureorum, Zenonis, aliorumque hæreſes enatas eſſe teſtatur, concludens: *ipſæ denique hæreſes a Philoſophia ſubornantur:* perlegat Cenſor noſter Sanctum Irenæum, qui plurimos recenſet hæreticos, qui omnes ex philoſophicis erroribus & fabulis ſuas ſectas fabricarunt; Arius quoque, & Aetius ex præpoſtero Philoſophiæ ſtudio in hæreſes prolapſi ſunt, & teſte Tripartita (h) Julianus exinde ſuum venenum hauſit, nonne Joannes Pilopponus Philoſophico argumento abuſus Tritheitis præluſit? imo ipſe etiam Lutherus ſectam ſuam procudit ex corruptis Philoſophiæ principiis, ut teſtatum reddidit Georgius Saxoniæ Dux in ſua epiſtola ad Henricum VIII. Angliæ Regem. Undenam niſi ex Philoſophiæ abuſu promanabat Leibnitzii error de optimo mundo, Ahlwartii, (i) qui opus creationis Deo non fuiſſe liberum affirmabat, blasphemia Antonii Collinii (k) & Balthaſari Beckeri, & Eliæ Elleri deliria circa ſpirituum vim necnon Hermani Ruiſſvich errores contra Chriſtum, Angelos, humanam animam &c. (l) Taceo Brendeilii, Helmontii Leibnitii, Wol-

(h) l. 2. adverſus hæreſes c. 14. edit. Venet.
(i) l. 6. c. 1.
(k) In introduct. ad Theol. dogm. Novell. lit. Goetting. 49. pag. 453.
(l) Tract. de libert. ſentiendi.

Wolfii, Illirici, aliorumque Novatorum crassos circa animam errores, ad quos per noxiam Philosophandi rationem perducti fuere. Non equidem ea mihi mens, ac sententia est, acsi Philosophia Theologiam, fidemque dirigat ac moderetur, suoque judicio subjiciat; illam enim hujus nonnisi ancillam esse teneo, sperare autem valeo, quod eruditus meus Censor cum Petro Pomponatio & Spinosa (m) asserere non audeat, neque Theologiam rationi, neque rationem Theologiæ ancillari, proin quosdam etiam fidei articulos ex Philosophia esse negandos, ex fide vero affirmandos: quoniam vero inter Protestantes nulla datur Theologica unitas, hinc dubio locus est, an Censor meus vel illis accedit, qui Religionem a Philosophia adeo abhorrere autumant, ut cum Cartesianis teste Antonio Hulsio (n) publico excipiendos esse censeant *sibilo, qui dicerent Philosophiam esse Theologiæ ancillam*: vel an Philosophiæ tantam tribuat auctoritatem, ut cum Kechermano, Ludovico Majero, (o) & Wolzogenio etiam sublimissima fidei mysteria sola ratione, ac naturæ lumine demonstrari posse contendat. Ast qualitercunque demum erga Philosophiæ merita affectus sit Berolinensis Criticus, parum angor;

(m) Tract. Theologico-Politico.

(n) Argentre Collect. jud. tom. 1. p. 342. Specim. Theol. hypoth.

(o) System. Theol. c. 3.

angor; ſemper enim, ſi ſanam rationem atque ipſam experientiam conſulere voluerit, mecum fateri cogetur, quod effrænis ſentiendi libertas errores in Philoſophicis pariat, hi autem non raro etiam in Theologia defectus atque errores circa aliqua ſecum trahant; *ſicut enim ſacra doctrina etiam ratione humana utitur non quidem ad probandum ea, quæ fidei ſunt, ſed ad manifeſtandum aliqua alia, quæ traduntur hac doctrina; cum enim gratia non tollat naturam ſed perficiat, oportet, ut naturalis ratio ſubſerviat fidei*: (p) ita quotiescunque intellectus frænis nimiæ libertati laxatis præſumit de ſemetipſo, & neglectis veritatibus revelatis ruptisque legum repagulis nova principia in Philoſophicis ſibi confingit, vel quascunque pro luxuriantis ingenii ſui pruritu conſecutiones inde deducit, neceſſe eſt, ut error in Theologicis plerumque ſequatur: quapropter non modo Sancti Patres ac Doctores Catholici v. g. Tertullianus (q) Juſtinus (r) Clemens Alexandrinus (s) S. Gregorius Thaumat: (t) Athenagoras (u) Euſebius (x) Theodoretus (y) Arnobius

(p) Philoſ. Script. interpres.
(q) S. Th. 1. p. q. 1. art. 8. ad 2.
(r) In Apologetic.
(s) In Parænet.
(t) Lib. 1. Strom.
(u) Panegyr. de Orig.
(x) Apolog.
(y) Præpar. Evang.

(z) Lactantius (a) Hieronymus (b) Auguſtinus (c) aliique Philoſophiam Theologiæ perutilem ſtatuerunt, ſed ipſi etiam Proteſtantes ſaniora per rationem & experientiam edocti hanc inter & illam perutile conſortium agnovere, ac præprimis Joannes Muſæus Profeſſor Jenenſis anno 1645. tres libros edidit *de uſu principiorum rationis & Philoſophiæ in controverſiis Theologicis.* Leibnitzius quoque, quamvis a recto Philoſophiæ uſu non raro aberraſſet, nihilominus quamdam diſſertationem ſcripſit, *de conformitate fidei cum ratione*, atque anno 1737. Jacobus Wilhelmus Feuerlinus Profeſſor Gottinganus peroravit *de concordia fidei & rationis:* anno autem 1731. Joannes Gallingius Altorffii elucubravit *convenientiam fidei & rationis de Deo & Religione* item 1732. *Convenientiam fidei & rationis de neceſſitate revelationis*, ac denique Joannes Albertus Spiſius anno 1735. ibidem edidit *Diſcrimen & convenientiam Philoſophiæ ac Theologiæ.* Hi autem, pluresque alii probe cognoverunt, neceſſarium eſſe nexum Philoſophiam inter & Theologiam; ſicut enim verum vero, & natura gratiæ contraria eſſe non valet, ita nec idipſum, quod in natura verum eſt, in ordine gratiæ falſum eſſe poteſt; primum enim

(z) Demonſt. Evang.
(a) l. adverſus Gentes.
(b) Lib. de ira & de Opificio Dei.
(c) Epiſt. ad Magn. Orat.

enim fides tanquam fundamentum ſternatur, & deinde accurata cognitio rerum & vis argumentationum accedat: ſic cognita veritate per doctrinam fidei ſecurius rationes veritatis jam inde præcognitæ in Philoſophia inveſtigare licet: niſi enim ratio per revelatas veritates dirigatur, facile in illos inciditur errores, quos D. Thomas (d) recenſuit, inquiens: (e) *utentes Philoſophia in Scriptura, poſſunt dupliciter errare, uno modo utendo his, quæ ſunt contra fidem, ſicut fecit Origenes, alio modo, ut ea, quæ ſunt fidei, includantur ſub metis Philoſophiæ, cum econverſo Philoſophia ſit ad metas fidei redigenda juxta illud Apoſtoli* 1. *Cor.* 10. *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti:* qua autem ratione quis ſcire poterit, an non conſecutiones fidei adverſas ſectetur, ſi cuncta ſine regula & ſine lege in Philoſophicis concipit, & intellectus ſui deliria pro oraculis divendit; intellectus enim humanus per originale peccatum ſaucius multis obvolvitur ignorantiæ tenebris, aliunde vero nativam ſciendi vim, ac cupidinem in ſe habet: ſi ergo hæc cupiditas nullis reſtringitur repagulis, ac regulis, facile evenit, ut velut equus laſciviens ac indomitus divagetur per ſemitas a veritate omnino devias, ac nonniſi ea, quæ ipſi

(d) l. de vera Relig. c. 34. ep. 120. item de civit. Dei.

(e) Opuſc. 16. circa finem.

luxurians discurrendi ratio, & effrænis sentiendi libertas dictat, sectetur: cum vero intellectus in supernaturalibus absque fidei lumine vel maxime cæcutiat, inde enormiter errat, præsertim tunc, si eo cæcitatis ac demum præsumptionis prolabitur, ut etiam ea, quæ sunt fidei, ad opiniones in Philosophia præconceptas dimetiatur, ea vero, quæ suo intellectu assequi nescit, penitus rejiciat, dicens, *quæ sunt supra nos, non ad nos*, ac de rebus fidei disputare, easque pro arbitrio suo dijudicare præsumat, licet duntaxat aliqua Sacræ paginæ loca memoriæ suæ tradita in promptu habeat: „id in „Germania, inquit Canus (f) regnante „Luthero accidit, ut Sutores, qui novum „Testamentum memoriæ mandarunt, ma„gni & præclari Theologi haberentur, at„que adeo mulierculæ, quoniam Evange„lia, & Paulinas epistolas memoriter reci„tare poterant, omnium Academiarum „Theologos ad disputandum provocarent.„ Inde ortum suum traxerunt Libertini, indifferentistæ & Naturalistæ, quos merito Concilium Lateranense V. Generale XVII. Sessione VIII. repressit: inde etiam provenit *effrænis illa*, quam ego, omnesque, recte sentientes mecum deplorant, fidem, & *sacros ritus contemnendi, traditiones ac pia historiæ monumenta rejiciendi libertas*; nam hodierno

(f) l. 9. de loc. Theol. per 9. capita & l. 10. per 4. cap.

dierno ævo arte critica abutentes ad arbitrium ſuum articulos fidei revocare audent, imo ipſa etiam Sacra Scriptura eis non videtur ſatis emendata, & reputant, quod Patres & Eccleſiæ Doctores non ſatis exacte aſſecuti fuerint vim ac Sacri Codicis mentem, unde ipſi teſtimonia Chriſtianæ fidei maxime faventia, in ſuſpicionem trahunt, atque argumenta, quibus Religio demonſtratur, non niſi problemata eſſe exiſtimant: verbo, ejusmodi ſcioli, qui ſe vocant *Eſprits forts*, id omne, quod ad judicii ſui tribunal non eſt delatum, admittere renuunt: hunc criticæ artis abuſum Religioni tantopere nocivum ante me jam dudum deplorarunt Viri, qui ſua eruditione in Republica literaria ſibi etiam apud Proteſtantes celeberrimum, & a noſtro Cenſore nunquam aſſequendum nomen emeruerunt: pervolvat doctiſſimum tractatum Laubruſſeli *de malo uſu critices in negotio Religionis*, & cum eo deplorare poterit perverſum critices uſum circa Sacram Scripturam & traditiones. Legat Abbatis Trappenſis reſponſionem ad tractatum de ſtudiis Monaſticis, item Mabillonium p. 2. c. 13. pag. 291. & præcipue N. P. Honoratum a S. Maria doctiſſimum certe Criticum (g) qui cauſſam, propter quam Berolinenſis cenſor annotationi meæ iraſcitur, his ver-

(g) Animadverſ. in Regulas critices diſſert. 6. art. 1.

bis detexit: *Experimento ipso revera probatum est, primos, quos dicunt,* Reformatores, *itemque* Protestantes *postremi Sæculi audaci Critica protectos in eo vim omnem posuisse, ut radicitus Christianismum suffoderent, sive Scripturas dubitationibus & subtilibus jurgiis eo redigentes, ut certa argumenta, minimeque controversa de re Religionis inde comparare non possent, sive insurgentes in traditiones constantissimas, nulla alia ductos ratione, quam fastidio suo, sive curantes diruere sensim totum fidei exterius ædificium inter suppositia rejiciendo scripta & facta probatiora. Vidimus,* subjungit idem Auctor ex Laubrusselo, *rursus literas floruisse, statimque Criticem & hæresim socias fideles æquo gressu easdem remotas semitas prosequi, pari audacia eosdem fines prætergredi, easdemque leges Ecclesiæ proterere:* cum autem suis sat solemne sit, arte critica ad impugnandam Catholicam fidem abuti, hinc Censor mihi succensuit, quod hunc abusum paucis perstringere præsumpserim: verum iræ suæ modum ponat, scio quidem, quod criticum agat, nec tamen panis frustulum, quod inde lucratur, mea lamentatione contra critices abusum instituta imminuere intendo; nec etiam mihi indignetur, quod traditiones hujus abusus ope contemni deplorarim; sciat enim, quod ipsimet Romano-Catholici non omnes traditiones cæco obsequio sine delectu recipiant, sed potius sana crisi pias traditiones a vulgi rumoribus secernant:

id

id vero si hucusque ignoravit, consulat laudatum P. Honoratum, (l) a quo assiduum ab Ecclesia Romana studium in secernendis hisce traditionibus adhiberi reperiet: pervolvat præfationem Ruinartii (m) qui plurima ei exhibebit exempla, quibus discere poterit, quod Ecclesia semper spuria Martyrum acta a veris segregarit, nec quævis facta historica promiscue admittat, sed Scriptorum fidem, tempora, ceterasque circumstantias sedulo examinet:

Denique ex Censore meo sciscitari liceat, quisnam familiaris Spiritus eidem manifestarit, quod per pia Historiæ monumenta, *Monachorum legendas* subintellexerim, cum nimis fidenter asserat: der Verfor meynt die Mönchslegenden: errat bonus iste Vir; nam mea lamentatio illos petit, qui genuina acta Martyrum, Sanctorum gesta, sanctas institutiones, facta Historica &c. a coævis, incorruptis, probatisque Auctoribus, sive demum hi Monachi, sive cujuscunque alterius professionis homines fuerint, conscripta rejiciunt. Hæc pia monumenta a Scriptoribus Heterodoxis unice ex eo, quia illa Catholicæ veritati favent, & a Catholicis Authoribus conscripta sunt, contemni questus sum; ea enim ex ratione quamplurimi Protestantes certissima quævis monumenta vel omnino negarunt, vel

(l) l. c. p. 11. art. 5. l. 1. Diss. 1.
(m) Acta Martyrum.

in dubium vocarunt, ſicut propterea Ruinartius l: c. queſtus eſt contra Henricum Dodwellum, quem (ut ait ille) *ad hanc novitatem excogitandam nihil impellere potuit, quam ea, qua laborare ſolent heterodoxi, adverſus Eccleſiam Romanam aliquid conſcribendi prurigo:* Nonne autem potius Cenſor eruditionem ſacram, ſi qua tinctus eſt, doctiſſimorum Monachorum ſedulitati in acceptis referre deberet? pauca enim de veteris Eccleſiæ geſtis ſciret, niſi ea a Monachis conſcripta ad poſteros fuiſſent transmiſſa: ſcio equidem, quod Berolinenſis hic Novelliſta duntaxat per ironiam de Legendis Monachorum ſermonem immiſcuerit, interim ego ſincera mente eidem repono, quod ironicas ejusmodi locutiones potiori jure retorquere poſſem in Hiſtorias a Proteſtantibus conſcriptas, præcipue in illud Martyrologium, ſeu Martyrum ſuorum hiſtorias, quas typis editas Antverpiæ non ſine nauſea ac falſitatum horrore perlegi.

Attamen laudem meretur Berolinenſis hic Cenſor, dum meam apoſtrophen merito jure Reuchlino, Erasmo, & Luthero attribui poſſe, aſſerit: certe enim in ſuo judicio veritatis metam attigit: dieſes iſt eine apoſtrophe, womit Ortuin, Pfefferkorn, und die übrigen obſcuri Viri den Reuchlin, Erasmus, und noch mehr unſern Luther anreden könnten, und würklich angeredet haben (tu dicis) jetzt läßt ſie ſich auch in der proteſtantiſchen

tischen Kirche hören, und zwar von denen, die den Namen und das Ansehen Luthers am meisten im Mund führen, seu latine: *Hæc est apostrophe, qua Ortuinus, Pfefferkornius, & ceteri Obscuri Viri Reuchlinum, Erasmum, & potiori adhuc jure Lutherum alloqui possent, atque etiam allocuti sunt: nostro etiam ævo eadem apostrophe in Protestantica Ecclesia auditur, & quidem ab illis, qui nomen & merita Lutheri potissimum in ore circumferunt.* Enimvero Ortuinus aliique illius ævi Viri doctissimi, quos pro innata sua charitate, ac comitate aufgeblasene Dumm-Köpfe Censor meus appellare dignatur, Reuchlino, Erasmo, imo & ipsi Luthero absque omni injuria scientiarum abusum, effrænem sentiendi libertatem, & sacræ antiquitatis contemptum exprobare potuerunt; haud incognitæ enim erunt Censori meo propositiones ac Reuchlini errores, qui decerpti fuerunt ex ejus libro, qui ad prohibitorum librorum indicem condemnatus a Parisiensi Facultate 2. Aug. anno 1514. hac censura notatus fuit: *liber est propositionibus plurimis falsis, temerariis, piarum aurium offensivis, in SS. Patres injuriosis, in Christum & Ecclesiam blasphemis, hæreseos suspectis aut etiam hæreticis refertus, & rogo publico adjiciendus.* (n) Quem insuper latet, in quam abominandos

(n) Vid. Carol. du Plessis collect. judic. tom. 1. pag. 349.

nandos errores Erasmum dissoluta hæc ad rationis solius tribunal etiam fidei res vocandi licentia pertaxerit: dissimulo pudenda ejus convitia, quibus hic Vir res sacras ludibrio exposuit, Religiosos, eorumque pia exercitia & instituta publicis scriptis traduxit: certe effrænem illius sentiendi libertatem manifestius testantur ejus contumeliæ in SS. Trinitatem, Christi naturam, B. Virginem & Sanctos, Ecclesiæ ritus, Templorum ornatum, Episcoporum & Sacerdotum auctoritatem, vota Deo nuncupata, cælibatum &c. adeo, ut merito, teste Alberto Pio (o) prudentes Viri viam Luthero, ut Ecclesiam dilaceraret, ipsum struxisse putarint, eoquod omnia pro intellectus sui malesani modulo tum profana, tum sacra mensus esset, ac virulento suo atheismo incautam juventutem inficeret. Ceterum Censor veniam, si meam apostrophen etiam Luthero suo attribuam, eo facilius mihi dabit, quo majori cum ingenuitate ipsemet fatetur, quod illa etiam ab iis, qui Lutheri nomen & famam in suo ore potissimum circumferunt, eidem hodiedum passim adscribatur: nec enim hi præclaro huic novi Evangelii Architecto injuriam se facere existimant; probe enim perspectum habent, quod hic, quicquid ei inquietum ingenium, & in Papæ & Ecclesiæ odium excitata

(o) Apud Raynald. ann. ad anno 1516. n. 91. & seqq.

citata comminiſcendi rabies ac libido dictitabat, velut divinitus inſpirata divulgarit oracula; nonne ex ſolo cerebri ſui arbitrio diſcipulis ſuis, quos tamen promiſſa Divini Verbi puritate allicere nitebatur, ſacras literas ſubtraxit, dum eas non modo multis in locis depravavit, ſed & notabilem earum partem expunxit, non alia ductus ratione niſi ea: *ſic volo, ſic jubeo* &c. Undenam, niſi ex effræni ſentiendi libertate ortum traxit, quod Lutherus tot errores jam dudum in Eccleſia damnatos ex orco revocarit, ut teſtatur Auguſtiſſimus Cæſar Carolus V. in decreto Wormatienſi, necnon in Receſſu 19. Novembris anno 1530. omnium Imperii Ordinum ſubſcriptione firmato, item in Receſſu Spirenſi anno 1529. Quinimo ipſe Lutherus ſuam nova inveniendi licentiam fatetur, dum ait (p) *eo tempore* (ſcilicet anno 1520.) *doctrina hæc noſtra NOVA & ſupra modum ſcandaloſa erat per univerſum Orbem*, atque ab Apoſtolorum temporibus inaudita (q) nonne ejusmodi effrænem libertatem ſapiunt hæc verba: **daß ſoll dir eine gewiſſe Regel ſeyn, und Geſatz, wann dir die Schrifft gebietet, daß du ein gut Werk thun ſollſt, ſollt du es alſo verſtehen, daß ſie verbietet, ein gut Werk zu thun.**

(p) Brev. Confeſſ. de SS. Sacram. tom. 8. Germ. Jen. f. 181.

(q) Ad Rom. 3. v. 28.

thun (r) & alibi: *Papa tu concluſiſti cum Concilio, nunc habeo ego judicium, an acceptare queam, necne.* (s) Taceo, pene innumera alia licentioſæ hujus libertatis παράδειγματα, quæ paſſim in Lutheri libris occurrunt; unde haud immerito Badenſis Marchio Erneſtus Fridericus in ſuis Chriſtianis cogitationibus in præfatione fol. 36. deploravit, quod tam abſurdæ propoſitiones inveniantur in Lutheri ſcriptis, ut mox Papiſtarum (hoc nomine nos Catholicos indigitat) in maximum Lutheranæ ſectæ dedecus occurrunt: ceſſet igitur Cenſor noſter doloribus ſeſe abſumere, ingemiſcens, quod etiam in ipſismet Proteſtantium Eccleſiis haud paucos reperire ſit, qui licet Lutheri nomen & honorem quam maxime concelebrare, ſeſe jactitant, nihilominus abominanda ejus dogmata detegant, & ipſius effrænem ſentiendi ac ſcribendi libertatem damnent: enimvero inter ipſosmet Proteſtantes non rari dantur præclaris naturæ dotibus exornati, ac cultioris rationis ſuæ lumine illuſtrati, qui impia, obſcœna, blasphema, ſuperba dicteria & ſpurcitias, quibus Lutheri opera ſcatent, conſiderantes ea cum quodam anonymo, ſeu Chriſtiani nominis indigno (t) adeo non excuſare audent,

(r) Tom. 3. Witt. lat. fol. 171. Germ. fol. 143. Altorf. ſ. 606.

(s) Aſſert. articul. art. 29.

(t) In ſuo Κατ' ἄνδρωπον oder neuen Gedanken.

dent, ut potius illum inter *obscuros Viros*, quo magis obscurum reipsa tellus non tulit, numerare haud dubitent.

Tandem vero Censor meus pro solita sua benignitate me officii mei admonet, inquiens: anstatt dieser langen Paræneſe hätte der Uebersetzer dem Paul Jovius widerlegen sollen, den darinn fast alle nach geschrieben haben, als Majus, Cave &c. wenn er nemlich erzählt, das Hochstratten vor Verdruß über die Epistolas obscurorum Virorum gestorben seye, denn dieser Ketzermacher starb 1527. und die Ep. obsc. Vir: waren wenigstens zehen Jahr vorher erschienen, ferner, das Reichlin einem zweyten Theil geschrieben, der weit hefftiger als der erste, welches ganz falsch ist: quæ verba ita latine reddi possunt. *Prætermissa hac prolixa Paræneſi Interpres Paulum Jovium, cujus hallucinationem ferme omnes, veluti Majus, Caveus &c. secuti sunt, refellere debuisset, dum ille narrat, quod Hochstratus epistolis obscurorum Virorum perlectis mœrore tabescens obierit; cum tamen hic hæreticorum faber mortuus sit anno* 1527. *EPISTOLÆ autem OBSCURORUM VIRORUM jam ante annos decem & amplius in lucem prodierint. Insuper confutare debuisset, quod Reuchlinus alteram prima longe acerbiorem partem scripserit, quod omnino falsum est.* Attamen instituti mei ratio postulat, ut Fleurii Continuatorem, ejusque hallucinationes, non autem Pauli Jovii ejusque

sequa-

sequaciam errores refellam, ac detegam; quamvis haud incognita mihi fuerit hæc Pauli Jovii fabula, quam etiam jam anno 1721. a Patre Jacobo Quietif exsufflatam sciebam: saltem Censor noster hac sua animadversione in hoc Lectores suos sibi obstrictos reddidit, quod luculento argumento testatum fecerit, quam alacri calamo Protestantes v. g. Caveus, Majus, Wartonus in appendice ad Caveum, & multi alii sequaces fabulas ab aliis vel ex malitia vel inconsulta credulitate recensitas adoptent, & veluti totidem veritates minime dubias divulgent. An vero reipsa Reuchlinus secundum volumen priori longe aculeatius ediderit, necne? parum Reipublicæ literariæ interest, id certum tamen habetur, quod tomus secundus harum epistolarum, de quo Erasmus (u) sumptibus Joan. August. Raspe editus prostet quis autem hujus furfuris calumniator illius Author fuerit, indagare haud operæ pretium est, & licet præfixam referat Erasmi Roterodami effigiem, ab ejus tamen calamo hunc partum profluxisse haud autumo. Si vero Censor meus hoc responso nondum contentus sit, meas suppleat vices, & pace mea Caveum suum, ceterosque, qui Jovii errorem secuti sunt, refellere aggrediatur.

§. XIII.

(u) Epist. ad Cæsar.

§. XIII.

Falsitas a Censore Interpreti improvide afficta.

Postquam Censor noster varia, quibus mea sentiendi ratio ipso judice manifestaretur, specimina produxerat, veluti horum copia obrutus, aut laboris Critici pertæsus subjungit: *nunquam finem attingeremus, si cuncta hujus generis exempla adducere vellemus*, wir wurden nicht fertig werden, wann wir alle Exempel dieser Art anführen wollten. Absit a me, ut Virum longe magis serio, utili, ac laborioso studio distentum pene innumeris speciminibus in ingrato meæ sentiendi rationis detineam labore, quem nec rogatus, nec provocatus in se suscepit: properet, quæso, ad finem, & sane sibi suisque Lectoribus consulet. Verum *unum adhuc, alterumve specimen* adducere defatigato nostro Critico lubet, *ut demonstratum eat, qualiter interpres iste in Ecclesiæ suæ favorem historia abutatur*, Tom. 37. pag. 404. negat, quod *Franciscus I. in suo responso anno* 1537. *Principibus Protestantibus caverit, se nunquam Synodum approbaturum, nisi legitima sit, ac in loco tuto celebretur: propugnat, quod ipsemet Sleidanus, & Frecherus hoc responsum mere confictum fuisse testentur, nisi forte Interpres adulterata Sleidani editione usus est, nunc se præmeditatæ falsitatis reum fecit; quippe hæc epistola, nec non alle-*

gata verba in Richeliana Steidani editione in octavo pag. 320. *reperiuntur: ratio autem, quam D. Pater addit, in Politicis admodum valida est:* „quis enim credat, quod Rex „Christianissimus talia ad apertos, jura„tosque fidei, ac Ecclesiæ hostes perscri„bere voluerit?„ hæc autem verba Censor Germanice ita pag. 457. exposuit: Nur noch ein und das andere Beyspiel, um zu zeigen, wie der Uebersetzer mit der Histori zum besten seiner Kirchen umgeht. Tom. 37. fol. 404. laugnet er, daß Franz I. den protestantischen Fürsten in seinen Antwortsschreiben 1537. die Versicherung gegeben, daß er die Kirchenversammlung nicht anerkennen werde, wann sie nicht rechtmäßig wäre, und an einen sicheren Ort gehalten wurde, er behaupt, selbst Sleidan, und Frecher hätten dieses Schreiben für erdichtet gehalten: wann er nicht etwann eine verfälschte Ausgabe des Sleidanus gehabt, so hat er sich hier einer vorsetzlichen Unwahrheit schuldig gemacht, denn die Nachricht von diesem Schreiben, und die angeführte Wort finden sich in der Richelischen Ausgabe des Sleidans in 8vo. Bl. 230. die Ursach aber, die der Herr Pater hinzusetzt, ist in der politic sehr gültig. Ergo juxta meum Criticum usque adeo Ecclesiæ meæ addictus audio, ut etiam in ejus favorem historica relatione abutar, meque falsitatis studiose reum faciam; quia propugnavi, quod ipsemet Sleidanus & Frecherus Regis Franciæ re-

sponsum

sponsum pro confícto habeant. Attamen pace boni hujus viri dictum sit, quod vel mea verba non perpenderit, vel non intellexerit, aut (quod omnino credere nolim) præmeditato perverterit: scripsi enim ita: *hæc epistola a Sleidano, & Frechero mere confícta habetur*, seu quod idem est, habetur, vel videtur, *quod hæc epistola a Sleidano & Frechero mere confícta sit*, cujus rei rationem, si non in politica, saltem in Christianæ Charitatis Scientia validam addidi hanc: *quis enim credat, quod Rex Christianissimus talia ad apertos, juratosque fidei, ac Ecclesiæ hostes perscribere voluerit?* quod autem mea hæc verba obvie hunc sensum præseferant, atque ego nunquam affirmare voluerim, quod hanc epistolam mere confictam esse Sleidanus, & Frecherus testentur, Censor facile exinde eruere potuisset, quod ipsa hujus epistolæ verba, ut ajunt, formalia ex Sleidano descripserim, nec ad Gallica Continuatoris verba nimis anxie attenderim, qua ergo ratione, quod Sleidanus ea, quæ ex ipso descripsi, dixerit, ignorare, aut pro confictis ab eodem haberi, affirmare potuissem? insuper Censor haud obscure innuere videtur, quod ipsus serio non crediderit, id a me fuisse dictum; quippe ratio, qua me ementitæ hujus falsitatis convincere nititur, id sane non probat; inquit enim, me falso asseruisse, quod Sleidanus hanc epistolam fuisse confictam testetur, postea autem hanc rationem subjungit, quia hoc

reſponſum in editione Richeliana reperitur; ergone ex eo, quod hoc reſponſum Sleidanus recenſeat, ſequitur, quod hanc epiſtolam mere confictam eſſe hic aſſerere non potuerit? potius ergo Cenſor ex eodem probare debuiſſet, quod is hoc reſponſum pro legitimo habeat. Sane nodum in ſcirpo quærit, ac perperam mihi affingit hanc propoſitionem, ſelbſt Sleidan, und Frecher haben dieſes Schreiben für erdichtet gehalten, cum tamen ego aſſeruerim: es wird darvor gehalten, daß dieſes Schreiben von Sleidan, und Frecher iſt erdichtet worden: non autem dixi: hæc epiſtola mere conficta, a Sleidano & Frechero habetur: paucis: hanc epiſtolam a Sleidano, & Frechero mere confictam fuiſſe, tanquam ſat probabile aſſerere volui, ac propterea utrumque nomen Sleidani & Frecheri ſtudioſe ad verbum *conficta* appoſui. Ejusdem ferme conditionis eſt Critici mei cenſura ſequens, ubi ait: Er laugnet endlich, daß der Herzog von Mantua ſeine Hauptſtatt nur unter dem Beding der Kirchenverſammlung einraumen wollte, daß der Pabſt auf ſeine Köſten eine Garniſon darinn unterhalten müſſe, die aber unter dem Befehl des Herzogs ſtehen ſolle. Der Paolo Sarpi führt dieſe Bedingung ausdrücklich an Hiſt. de Conc. Trid. 1629. in Gen. 4. p. 84. era neceſſario una groſſa guarnigione, la qual egli non voleva dipendente da altri, & non haveva da mantenérla del ſuo:

dieſes

dieſes ausdrückliche Zeugniß iſt mit dem Stillſchweigen eines Pallavicini, und Pagi nicht widerleget. Hæc ejus verba ſic latine reddunter: *denique negat, quod Mantuæ Dux ſuam Metropolim Synodo duntaxat ſub ea conditione concedere voluerit, ut Pontifex ſuis ſumptibus præſidiarios milites, qui tamen Ducis imperio ſubeſſent, in ea alere teneretur. Hanc conditionem Paulus Sarpius diſertis verbis adducit . . . . . hoc adeo diſertum teſtimonium, ſilentio unius Pallavicini, & Pagii non refellitur.*

Minus vero Cenſor ſui Pauli Sarpii teſtimonio meam annotationem refellere poterit; non enim duntaxat Pallavicini & Pagii ſilentium adduxi, nonne diſertis verbis addidi: *nec Sleidanus, nec alii Scriptores* de hac conditione mentionem faciunt? cur ergo unius Sarpii, Scriptoris de innumeris falſitatibus convicti, auctoritas ceteris Scriptoribus prævaleat? quanti autem ponderis ſit argumentum ex communi Scriptorum ſilentio depromptum, certe Vir artem Criticam publico exercitio profitens, ignorare haud potuit, vel ſaltem deſuper conſulere potuiſſet Launoyum, Honoratum a S. Maria Carmelitam excalceatum, aliosque Criticæ artis Magiſtros, qui de argumentis, ut vocant, negativis regulas tradunt. Videtur igitur Criticus noſter hanc cenſuram unice ad implendam paginam addidiſſe; unde ſatis mirari haud va-

leo, quod tam grandis, ac perſpicax aquila adhuc muſcas capere delectetur.

§. XIV.

Turpis hallucinatio Berolinenſis Cenſoris.

Tandem Berolinenſis Criticus cenſoriam ſuam virgam retrahit, haud dubie ſibi blandiens, quod hucusque adductis exemplis ſatis ſuperque (prout promiſerat) demonſtraverit, quo Spiritu actus ego meas Fleurianæ Hiſtoriæ ſubjunxerim notas, uti in primo cenſuræ ſuæ limine altius intonabat: **wir wollen in einigen Beyſpielen den Geiſt ſeiner Anmerkungen zeigen:** liceat vero mihi nunc demum ab erudito meo Cenſore ſciſcitari, num reipſa Spiritum mearum annotationum demonſtratum reddiderit, necne? ſi id non fecit, ſane quod initio promiſit, in toto opere executus non eſt, ſi autem reipſa hunc ſpiritum meum Lectoribus ſuis demonſtravit, qua ratione nunc aſſerere poteſt: **wir wiſſen gar nicht, warum ſich der** Pater Alexander **die unſelige, und vergebliche Mühe giebt, alle auch die geringſten Schritte des Pabſts zu verfechten:** ſeu latine: *nullatenus penetrare poſſumus, quam ob cauſſam Pater Alexander ingentem, atque inanem in ſe ſuſcipiat laborem, quasvis etiam minimas Pontificum actiones defendendi.* Profecto ſi Cenſor ſpiritum annotationum mearum, ſeu finem, quo ad haſce meas notas impulſus fueram, non modo ipſus penetravit,

vit, sed etiam illum pluribus exemplis se demonstraturum gloriatus est, cur ad censuræ suæ calcem fatetur, quod annotationum mearum spiritum perscrutari nequeat? cur sane frustraneos in se suscepit labores, eundem spiritum meum, quem ipsus non penetrat, aliis manifestandi? imprudentis hominis est alios velle edocere id, quod ipsemet nescit: cum ergo præclarus hic cordium scrutator ignorare videatur, quonam spiritu incitatus meis annotationibus summos Pontifices contra *minimas* etiam culpas ipsis vel falso impactas, vel livido calamo exaggeratas defendere voluerim, hinc bona ipsius venia impigri hujus laboris in me suscepti caussam, proin spiritum mearum animadversionum eidem sincero animo pandam: præprimis igitur ad ejusmodi conatum impulit me orthodoxæ Religionis honor, veritatisque amor, ut prudentes Lectores ex adjectis notis dignoscere valeant, an Continuatoris relatio omnino certis innitatur Historicorum testimoniis, ac monumentis vel an ex adverso eorum, quæ refert, notitiam desumpserit ex dubiæ, vel nullius fidei Scriptoribus: mecum enim ex eruditis quamplurimi dudum observarunt, quod Continuator, ubi de rebus ad Ecclesiam attinentibus agitur, vel ubi dissidia Pontifices inter & Gallos occurrunt, nationis suæ studio nimium abreptus rem persæpe cum veritatis ac Re-

ligionis dispendio referat, & studiose Scriptores pari nævo notatos, vel Ecclesiæ Catholicæ infensos seligat, prætermissis Auctoribus fide longe majori dignis: ut ergo veritas Lectoribus nullo partium studio affectis patescceret, ea, quæ a Scriptoribus coævis, ac minime suspectis de ejusmodi factis relata comperi, adjicere volui: porro ad idipsum me impellebat charitatis præceptum, quo urgemur, ut publice ac injuste læsum proximi honorem omni, quo possumus, justo modo vindicemus: cum autem Continuator sæpius recenseat facta Pontificum, vel aliorum dignitatem inique proscindentia, quin vel ullo verbulo æquum eorumdem defensorem ageret, hinc mearum partium esse ducebam, ut illud obsequii genus salva veritate læsis præstarem: ad id autem me nec spe, nec promissis, nec metu adactum, certo credat Censor meus; nihil enim a Romana aula spero, aut expecto, nec exopto, in hoc solo glorior, quod Deo propitio obsequiosissimus Filius sim illius Ecclesiæ, cui Christus Dominus e terra migraturus summum Pontificem tanquam visibile caput, ac communem omnium Patrem præfecit, eumque, ut Ecclesiam Dei regeret, constituit: unde filialis pietas calamum meum dirigebat, ut omnes calumnias, & falsitates, quibus contra fas eundem etiam cum veritatis & charitatis jactura obrui deprehendebam, amoliri

liri fatagerem; nec id mihi vitio vertet Berolinensis Censor meus, qui certe non ignorabit, post Divum Petrum, cui Christus oves omnes pascendi munus demandabat, successisse, sicut primis quatuor Ecclesiæ Sæculis ita & usque ad hanc diem alios, qui ab universa vera Ecclesia, quæ tum non Lutherana nec Calvinistica dicebatur, sed Catholica velut summi Pontifices habiti fuerunt, quibus omnes obtemperare tenebantur, qui vero eis illud obsequium præstare renuebant, tanquam rebelles itidem ab universa Ecclesia agnoscebantur: si ergo in Protestantium Ecclesiis rustici, sutores ac sartores Pastoris sui honorem contra calumnias defendere permittuntur, etiamsi hi opifices, ex quibus saltem in pagis ipsorum Senatus & Magistratus conflatur, perbene sciant, quod hic ipse Pastor illorum suffragio in acceptis referre debeat eum, ad qualemcunque ascendit, dignitatis gradum, a quo rursus per plebejorum vota statim dejici valet, ut testatur prælaudatus D. Fröreisen: certe non miretur criticus noster, si Papæ auctoritatem divinitus institutam defendere coner adversus ea, quæ ex livido quodam animo in ejus depressionem, & contemptum nequiter proferuntur: si vero mihi crimini det, quod etiam *minimas* Papæ actiones auch die geringsten Schritt des Pabsts defendam, hujusque mei studii causam scire desideret, id a me ideo fieri

declaro, non quidem, quod *minima* Pontificis actio tanti momenti res esset, ut eam absque vindiciis abire, mihi Religioni ducerem, sed unice ea ex caussa, quia dum sedulo admodum studio in originem earum atrociſſimarum calumniarum, quas in summos Pontifices hodiedum ferme ab omnibus heterodoxis Scriptoribus effundi compereram, inveſtigarem, frequentius deprehendi, quod ex antiquioribus Hiſtoricis unus, alterve de quodam Pontifice *minimum* quid, ſeu levem aliquam culpam fors unico nonnihil acerbiori vel ambiguo vocabulo annotarit, poſtea autem alius Scriptor in ejusmodi Auctorem incidens aliunde Pontificiæ Sedi minus affectus hanc culpam magis adhuc exaggerarit, inde vero evenerit, ut ſicut mendax fama volando creſcit, ita etiam hic idem nævus etſi ab initio *minimus*, per plures tamen Scriptorum Pontificibus exoſorum calamos ad noſtra usque tempora percurrens, veluti in atrociſſimum crimen excreſceret, & ab hiſce malevolis depingeretur, ac ſenſim, utpote a plurimis ejusmodi Hiſtoricis relatum, veluti veritas tot teſtimoniis comprobata divenderetur: igitur propter hoſce veritatis corruptores etiam minimas actiones, quas a Continuatore, aut aliis in Pontificis odium ac invidiam vel confictas, vel in ſiniſtram partem verſas deprehendi, vindicare conatus ſum; eas vero labes, quibus

bus etiam ſummos Pontifices reipſa aſperſos novi, intactas reliqui; ſatis enim mihi perſpectum eſt, quod Chriſtus Dominus Capiti ſuo infallibilitatem in doctrina, non autem privatam morum ſanctitatem eidem aut ſingulis membris promiſerit, ſed hominem, non vero Angelum ſuæ Eccleſiæ præfecerit. Tandem vero ſuam Cenſuram Berolinenſis hic Criticus ita concludit: aus allen dieſen Beyſpielen ſieht man aber, wie wenig ein untrüglicher Richter in Glaubensſachen die Einförmigkeit in der Lehr erhält. Denn beyde Verfaßer des Textes, und der Anmerkungen, ſeynd Glieder der Römiſch-Catholiſchen Kirche, und doch kann man ſich nichts verſchiedeners denken, als ihre Grundſätze, und Lehrmeynungen in ſehr wichtigen Puncten. Quæ verba latino ſermone ita ſonant: „verum ex his omnibus exemplis „perſpicitur, quam parum Judex in rebus fi„dei infallibilis uniformitatem in doctrina „conſervet; quippe ambo Auctores, ille Hi„ſtoriæ, alter annotationum, ſunt membra „Romano-Catholicæ Eccleſiæ & tamen ni„hil magis diverſum excogitari valet, quam „eorum principia, ac opiniones circa maximi „momenti doctrinæ puncta.„ Enimvero a tali Viro expectari non poteſt, quod de primis Eccleſiæ Romano-Catholicæ principiis magis exactam habeat notitiam; nam uſum non habet, hinc in veræ fidei rebus incedere neſcit, proin benevolus Lector ei ignoſcat; neſcit enim, quid dicat; quippe ſpecimina,

quæ

quæ ad detegendum annotationum mearum Spiritum protulit, a pag. 456. usque ad censuræ suæ finem nonnisi circa res, vel mere historicas, vel adiaphoras, vel omnino frivolas cavillationes versantur: præter has autem unice tetigit punctum de Gallorum opinione circa auctoritatem Concilii supra Papam: vel ergo eruditus hic Censor hanc sententiam Romano-Catholicæ fidei articulis adnumerabat, vel non? si illam certis fidei dogmatibus accensuit, tum suam in Catholicæ Religionis principiis inscitiam manifeste prodidit, aut, ut æquius de eo sentiam, ejusmodi ignorantiam simulavit, ut apud suos, ceterosque rudiores Lectores suos, quorum gratia in linqua vulgari suas censuras edit, nomen sibi comparet, perinde acsi ex quadam duorum Authorum Catholicorum circa privatam opinionem diversitate Judicis fallibilitatem in rebus fidei, necnon dissensionem in fidei doctrina demonstrasset; si vero nomine doctrinæ, Lehr, verschiedene Grundsätze, und Lehrmeynungen, intelligit varias, controversas, ac discrepantes Theologorum opiniones, tunc ex eo, quod in nostra Ecclesia infallibilis sit Judex *in rebus fidei*, prorsus inepte infert, quod unitas quoque in opinionibus mere Theologicis necessario sequatur, cum potius ex hujus Judicis infallibilitate duntaxat unitatem in *rebus fidei* inferre debuisset; sicut ergo Pontifex sive solus, sive cum Ecclesia in Synodum congregata tantummodo

modo in rebus fidem concernentibus infallibilitatis dono gaudet, ita & duntaxat uniformitatem in iisdem rebus intra omnia Ecclesiæ membra conservare tenetur: jam vero Censor noster vel unicum punctum, a summo Pontifice uti infallibili Judice tanquam de fide definitum ostendat, circa quod non omnium Ecclesiæ membrorum uniformis sit consensus; quicunque enim aliter sentit, ac credit, jam non est de Ecclesia: quis autem Catholicorum vel unquam asserere ausus est, quod summus Pontifex vel solus, vel cum Ecclesia in legitima Synodo tanquam infallibilis Judex tanquam fidei dogma definierit, *pontificem esse in omni eventu Concilio superiorem*, vel econtra *Synodum esse supra Papam*; neutra enim harum sententiarum ullibi expresse, aut clare decisa, omnibusque fidelibus ad eam ex fide Catholica credendam proposita reperitur, uti ipsimet Galli fatentur; secus enim inter ipsos Gallos, cum ducentis abhinc annis sententia de superioritate Pontificis in Francia fuerit universalis, ac hodiedum plures priori, alii posteriori sententiæ adhæreant, fidei diversitas circa hoc punctum esset, quod tamen sine atrocissima Gallicanæ Ecclesiæ calumnia asserere fas non est: sciat Censor Berolinensis fidei nostræ articulum esse, quod *Ecclesia sit Judex infallibilis in definiendis rebus ad fidem, & mores ex ea pertinentibus*; sciat quoque in hoc puncto omnes omnino Ecclesias, etiam Gallicanam absque

absque ulla dubitatione conſpirare, atque circa hunc articulum nec unquam Continuator quicquam diverſum protulit, unde nec ego unquam ab eo in notis meis circa hoc punctum diſcrepabam; ambo igitur ſumus Romano-Catholicæ Eccleſiæ membra, ac nihil diverſum excogitari poteſt in hiſce principiis, & doctrinæ hujus articulo: diverſitas vero oriebatur ex dubio, an Eccleſia conſideranda ſit prout eſt in ſolo Pontifice Romano tanquam in ſupremo omnium Paſtore, & Capite univerſalem Eccleſiam repræſentante, vel prout eſt in Concilio Generali tam ex ipſo, quam ex ceteris Eccleſiæ Prælatis coaleſcente: hoc autem dubium, utpote nondum a Papa, vel Eccleſia tanquam Judice infallibili definitum, ac deciſum, inter Theologos, & Doctores adhucdum controverſum eſt, proin adhuc utraque hæc opinio diſputantium arbitrio relicta. Hæc ſi ſcivit Cenſor meus, tunc ob principiorum diverſitatem, quæ inter me, & Continuatorem verſatur, malitioſe Judicis infallibilis neceſſitatem ſua animadverſione exploſit: ſi autem ignoravit, inanem prorſus laborem in ſe ſuſcepit, dum me circa aliquod maximi momenti punctum redarguit, de quo tamen ipſe craſſam habet inſcitiam: ſi denique hanc controverſiam maximi quidem momenti punctum, non tamen fidei noſtræ articulum eſſe reputavit, quo ergo judicio ſcribere auſus eſt, ex allatis exemplis perſpici, quam

parum

parum infallibilis Judex in rebus fidei unitatem in doctrina foveat, cum tamen omnes Catholici unanimi ore fateantur, hunc Judicem in rebus doctrinæ, scilicet, opinionis Theologicæ nondum ad credendum de fide decretæ, infallibilem non esse: si vero nihilominus ipsum hæc quoque sententiarum, & sentientium diversitas offendit, potiori adhuc jure ipsum sua quoque Ecclesia offendet: nonne enim saltem Sacram Scripturam tanquam Judicem infallibilem in rebus fidei admittit? unde ergo in doctrina, Grundsätze, und Lehrmeynungen in sehr wichtigen Punkten tanta inter Protestantes varietas, ut etiam præfatus D. Fröreisen deploret so viele, und grobe Scheltwort, Ketzermachereyen, und Verdammungen in dem Gezänke, welches ihre Theologi wider einander angefangen, fortgesetzt, und recht vermehret haben, ... wo jedermann erlaubt ist in Sachen, die zum geistlichen Recht gehören, allerhand schändliche und ärgerliche Sätze, und Meynungen zu verfechten ... und in ihren ärgerlichen Lehrsätzen herausgewagten Probabilismum, oder besser zu sagen, den gröbsten Scepticismum in der That, und in dem Werk zu treiben. Aus allen diesen Beyspielen, addat Censor ex suo cerebro, sieht man, wie wenig ein untrüglicher Richter in Glaubenssachen die Einförmigkeit in der Lehre erhält: denn beyde Herren Theologi seynd Glieder der augspurgischen Confession, und doch kann man sich nichts verschiedeners denken, als ihre Grundsätze und Lehrmey-

nungen

nungen in sehr wichtigen Puncten: Nonne maximi momenti puncta sunt gradus ab ipso Deo Legislatore Levit. 18. prohibiti, nonne Sacra Scriptura tanquam Judex infallibilis eos ipsis etiam Protestantibus proposuit? & tamen nihil magis diversum excogitari potuit, quam principia, & sententiæ, quas Pastores, seu ut vocant Consistorium A. contra Consistorium R. in caussa cujusdam Mercatoris S. ante octodecim circiter annos pronuntiabat; cum illud ejusmodi matrimonium tanquam validum agnosceret, hoc vero illud a jure Divino irritum declararet, ipsumque Mercatorem, cum priori sententiæ a Consistorio S. latæ pertinaciter insisteret, nec sese a sua uxore separare vellet, etiam interdicto mercaturæ commercio, impositisque gravissimis pecuniarum mulctis ad parendum compelleret, litemque intentaret, quamvis postea Consistorium R. & præcipue supremum illius Magistratus Caput, prævalente Auctoritate Principis A., litis expensas solvere, & a sua sententia desistere cogeretur: prout Censor meus exactam de hoc dissidio notitiam habebit, & abs dubio acta ultro, citroque typis edita pervolverit: ceterum innumera pene specimina exhibere possem, ex quibus manifeste colligere valeret Berolinensis Censor, quam parum infallibilis Protestantium Judex apud eos unitatem in doctrina conservet: Pluribus autem, quoniam cum Viro rerum gnaro mihi agendum, ejusmodi varietatum exemplis huc recensendis supersedeo, id unice autem Censorem meum rogo, ut si imposterum denuo suam crisin in meas annotationes ferre aggreditur, præprimis id, quod prælo committit, ratione, atque argumento confirmet; indignum enim est Viri prudentis, multa adversus alterum congerere, & nihil probare; præterea ejusmodi sibi seligat materias, quæ Criticum suis numeris absolutum decent, non vero unice cavillandi studio quibusdam ineptiis, nulliusque momenti rebus, quibus Respublica literaria non ditatur, sed duntaxat charta maculatur, immoretur; secus enim non confutationem, sed silentium promeriti contemptus signum a me expectare poterit.

CON-



CONSPECTUS LIBRORUM.

LIBER CLVI.

§. 1. Nuntii in Germania pro convocando Concilio. Pag. 1.

§. 2. Papæ Nuntii ad Cæsaris alloquium admissi. 2

§. 3. Cæsar Nuntiorum postulata sibi scripto tradi postulans. 4

§. 4. Cæsaris responsum ad Nuntiorum postulata. 5

§. 5. Nuntii Vienna Naumburgum profecti. 8

§. 6. Nuntii a Protestantibus congregatis publice auditi. 10

§. 7. Delphini Nuntii oratio in hisce comitiis. 11

§. 8. Alia Commendoni oratio in eodem hoc conventu. 12

§. 9. Principum responsio ad utriusque Nuntii orationes. 16

§. 10. Contumeliosa Protestantium oratio ad utrumque Pontificis Nuntium. 18

§. 11. Commendoni responsum ad hanc orationem. 21

§. 12. Naumburgenſis Principum Proteſtantium Conventus. 26
§. 13. Diſſidia Proteſtantium in hoc Conventu circa Confeſſionem Auguſtanam. 28
§. 14. Varia hujus Confeſſionis exemplaria in hoc Conventu exhibita. 29
§. 15. Saxo-VinarienſisDux cum indignatione excedens. 30
§. 16. Congregatorum ſententia circa Concilium. 32
§. 17. Oratores a Congregatis ad Saxo-Vinarienſem Ducem ablegati. 33
§. 18. Conventus Naumburgenſis exitus. 35
§. 19. Utriusque Nuntii diſceſſus, & Commendoni iter in Germaniam inferiorem. Ibid.
§. 20. Commendonus Berolinum delatus, ibidemque Electori Brandeburgico collocutus. 37
§. 21. Synodi diploma a Commendono porrectum, Electorisque reſponſum. 38
§. 22. Commendoni reſponſio ad Electorem. 40
§. 23. Commendonus apud MarchionemBrandeburgicum, & Magdeburgenſem Archiepiſcopum. 42
§. 24. Marchionis Brandeburgici reſponſio ad Nuntium. 43
§. 25. Commendoni reſponſum ad Marchionis Cancellarium. 45
§. 26. Nuntius a Marchione in honore habitus. 47
§. 27. Commendonus Electore valere juſſo Berolino excedens. 50
§. 28. Henricus Brunsvicenſium Dux a Commendono ſalutatus. 52
§. 29. Commendonus Synodi celebrationem pro-

propositurus apud Germaniæ Episcopos. 52
§. 30. Concordia Episcopos inter, & Principes Catholicos a Commendono proposita. 54
§. 31. Commendonus Clivienſem Ducem in itinere invisens. 56
§. 32. Responsum Ducis ad Nuntium. 58
§. 33. Usus calicis, & Sacerdotum conjugia per Ducem a Nuntio petita. 59
§. 34. Nuntius in Daniam proficiſci a Papa jussus. 60
§. 35. Legati tanquam Concilii Præsides a Papa nominati. 62
§. 36. Octodecim Cardinales a Pio IV. Papa creati. 64
§. 37. Venetorum indignatio ob Amulium a Papa creatum. 68
§. 38. Grimanus ob perversæ doctrinæ suspicionem a purpura excluſus. 69
§. 39. Ad placandam Rempublicam duo Veneti a Papa ad purpuram nominati. 71
§. 40. Tres Legati pro Synodo a Papa designati. 73
§. 41. Synodi celebratio Galliarum Regi probata. ibid.
§. 42. Papæ Nuntii a quibusdam Principibus male recepti. 74
§. 43. Delphini colloquium cum Zanchio. 78
§. 44. Dubia Nuntio a Zanchio, & Sturmio proposita. 79
§. 45. Nuntii colloquium cum Paulo Vergerio. 82
§. 46. Pontificis diploma circa Concilium a Vergerio impugnatum. 85
§. 47. Canobius a Papa ad Cæsarem ablegatus. 86

§. 48. Cæsaris Responsum ad Papæ Nuntium. 88
§. 49. Canobius Poloniæ Regem invisens, atque in Moscoviam contendere ab eo deterritus. 89
§. 50. Nuntius ad Helvetios a Papa decretus. 99
§. 51. Commendonus Leodium, Aquisgranum, aliasque urbes delatus. 91
§. 52. Nuntius in Belgium redux Administratricem, & Granvellanum Cardinalem visurus. 93
§. 53. Pontificis diploma ad Granvellanum circa Baji causam datum. 94
§. 54. Bajus, & Hesselius ad Tridentinam Synodum nominati. 96
§. 55. Commendoni judicium de utroque hoc Doctore. 97
§. 56. Commendoni literæ ad Cardinalem Mantuanum de hisce Doctoribus. 99
§. 57. Erfordienfis Principum Protestantium Conventus. 101
§. 58. Commendonus Lubeca in Sueciam contendere jussus. 102
§. 59. Responsum a Suecorum Rege Commendono datum. 104
§. 60. Ampla Daniæ Regis consilia suo exitu frustrata. 106
§. 61. Commendonus in Belgium redux Romam reverti jussus. 107
§. 62. Valdenses in Delphinatus, & Sabaudiæ montibus. 108
§. 63. Bellum a Sabaudiæ Duce in eos motum. 109
§. 64. Libellus supplex Duci, Ducissæ, ac Senatui a Valdensibus porrectus. 111
§. 65. Publica cum eorum Ministris disputatio per Pontificem interdicta. 112

§. 66.

§. 66. Valdenſes ſumptis armis ſe ſe defendentes. 114
§. 67. Valdenſis belli initium a Sabaudiæ Ducis exercitu factum. 115
§. 68. Valdenſes ad libellum ſupplicem Duci porrigendum a Trinitenſi comite inducti. 116
§. 69. Comitis aſperitas in Valdenſes. 118
§. 70. Fœdus inter Valdenſes Galliarum Regi ſubjectos, & alios Sabaudiæ Duci obnoxios. 120
§. 71. Bellum ancipiti Marte a Trinitenſi Comite innovatum. 121
§. 72. Ducis Sabaudiæ copiæ a Valdenſibus profligatæ. 122
§. 73. Bellum redintegratum, & tandem de pace actum. 124
§. 74. Pacis conditiones Valdenſibus propoſitæ, eorumque reſponſum. 125
§. 75. Pax, ac conſcientiæ libertas Valdenſibus pacta. 126
§. 76. Calviniſtæ in Neapolis Regno caſtigati, ac diſperſi. 130
§. 77. Hiſpaniæ Rex per Bullam Synodi continuationem declarari poſtulans. 131
§. 78. Navarræ Rex a Papa in gratiam receptus. ibid.
§. 79. Variæ Pii IV. Pontificis conſtitutiones. 133
§. 80. De reſecandis expenſis coram Galliarum Rege actum, 134
§. 81. Condæi Principis innocentia a Rege & Senatu vindicata. 136
§. 82. Diſſidia inter Reginam Matrem, & Navarræ Regem. 137
§. 83. Navarræ Regis colloquium cum Poloniæ Rege. 140

§. 84. Reginæ ſtudium in Conneſtabili ad ſuas partes pertrahendo. 141
§. 85. Carolus IX. Galliarum Rex Rhemis unctus. 144
§. 86. Varii tumultus ob Religionem in diverſis Provinciis excitati. 146
§. 87. Edictum occaſione Bellovacenſis ſeditionis promulgatum. 147
§. 88. Rationes a Cardinale Lotharingio contra hoc edictum propoſitæ. 149
§. 89. Aliud edictum præſente Rege in Senatu promulgatum. 150
§. 90. Jurisdictio Eccleſiaſtica edicto Juliano firmata. 151
§. 91. Conventus in oppido S. Germani habitus. 153
§. 92. Hoſpitalii Cancellarii oratio in hiſce ordinum Comitiis. ibid.
§. 93. Alius ſermo Joannis Brittanni pro plebe perorantis. 154
§. 94. Alia pro Clero oratio. 156
§. 95. Reginæ epiſtola ad Papam circa Poſſiacenſe colloquium. 157
§. 96. Papa his literis commotus, Legatumque ad hoc colloquium decernens. 161
§. 97. Ferrarienſis Cardinalis Legati Pontificii diſceſſus in Franciam. 162

LIBER CLVII.

§. 1. Colloquium Poſſiacenſe. 164
§. 2. Quatuor Calviniſtarum poſtulata in hoc colloquio. 165
§. 3. Rex colloquii rationem exponens, illique initium datum. 167
§. 4. Oratio Hoſpitalii Cancellarii in Poſſiacenſi Conventu. 169

§. 5. Sermo Theodori Bezæ. 172
§. 6. Theodori Blaſphemiæ circa Euchariſtiam. 176
§. 7. Oratio Cardinalis Turnonii contra Bezæ Blaſphemias. ibid.
§. 8. Continuata Theodori Bezæ oratio. 178
§. 9. Epiſtola Bezæ ſuas Blaſphemias apud Reginam excuſantis. 179
§. 10. Lotharingii Cardinalis oratio. 180
§. 11. Communis Prælatorum applauſus ad Cardinalis orationem. 183
§. 12. Libellus ſupplex a Proteſtantibus Regi porrectus. 184
§. 13. Altera Bezæ declamatio in Poſſiacenſi colloquio. 185
§. 14. Eſpencæi Doctoris reſponſum ad Bezam. 187
§. 15. Bezæ reſponſum ad Eſpencæum, & Sanctium Doctores. 188
§. 16. Fidei confeſſio circa Cœnam Poſſiaci tradita. 189
§. 17. Mutuæ, variæque quæſtiones inter Epiſcopos, & Proteſtantes. 190
§. 18. Bezæ ſcriptum Epiſcopis injurioſum. 191
§. 19. Petrus Martyr Italo ſermone contra realem Præſentiam declamans. 193
§. 20. Layneſii Jeſuitarum Generalis oratio in hoc colloquio. ibid.
§. 21. Monitum Layneſii Reginæ datum. 196
§. 22. Hujus colloquii ratio in privatum Conventum Sangermani habitum mutata. 199
§. 23. Primum Sangermanenſe colloquium circa Euchariſtiam. ibid.
§. 24. Fidei confeſſio circa Euchariſtiam a Proteſtantibus procuſa. 201

§. 25. Hæc fidei Confeſſio tanquam captioſa, & hæretica a Theologica Facultate Pariſienſi rejecta. 203

§. 26. Alia fidei Confeſſio a Prælatis ad Reginam tranſmiſſa. 204

§. 27. Calviniſtarum Confeſſio ab iisdem Præſulibus reformata. 205

§. 28. Germaniæ Proteſtantes ſerius ad colloquium adventantes. 206

§. 29. Caſſiandri liber de conciliandis animis a Balduino in Franciam delatus. 207

§. 30. Trecenſis Epiſcopus a Petro Martyre reduce ſeductus. 208

§. 31. Pacta Regem inter, & Clerum eidem multa millia numerantem. 210

§. 32. Jeſuitæ Pariſiis ſtabiliti. 211

§. 33. Conditiones, ſub quibus Jeſuitæ recepti. 212

§. 34. Limitatus Pariſienſis Epiſcopi conſenſus. 213

§. 35. Diſciplinæ decreta in Conventu Poſſiacenſi condita. 215

§. 36. Fidei profeſſio ab eodem Conventu ſtabilita. 221

§. 37. Epiſcoporum libellus ſupplex circa uſum calicis Regi porrectus. 222

§. 38. Papa per Regis Oratorem hac de re ſollicitatus. 224

§. 39. Gallici Oratoris reſponſum ad Regem. 225

§. 40. Regis Franciæ petitio a Pontifice omnino rejecta. 226

§. 41. Quintus Synodi Legatus a Papa nominatus. 232

§. 42. Colloquium Papæ cum Inſulano circa Communionem ſub utraque ſpecie. 233

§. 43.

§. 43. Montberonius ad Philippum II. a Regina excusatum missus. 235
§. 44. Franciæ Legatus a Philippo remisse exceptus, atque ad Albæ Ducem missus. 236
§. 45. Navarræ restitutio incassum a Montberonio petita. 237
§. 46. Arturus Desiderius Cleri Gallicani nomine libello supplici ad Regem Hispaniæ instructus. 239
§. 47. Arturus veniam precari a Regio Senatu jussus. 240
§. 48. Joannis Tanquerelli Theses in Sorbonna propugnatæ. 241
§. 49. Propositio a Senatu damnata, ac satisfactio Sorbonnæ Doctoribus injuncta. 242
§. 50. Franciſci Grimodeti propositiones damnatæ. 244
§. 51. Facultatis epistola ad Regem circa necessaria fidem conservandi media. 245
§. 52. Facultatis articuli circa fidem ad Regem transmissi. 247
§. 53. Ejusdem Facultatis decreta circa Baccalaureos. 249
§. 54. Supplex Facultatis libellus ad Regem pro conservanda fide Catholica. 251
§. 55. Quidam Valentinensis Præsulis libri damnati. 253
§. 56. Caraffæ jussu Pontificis capitali sententia damnati. 259
§. 57. Mercurii Cardinalis obitus. 261
§. 58. Claudii de Givrii Cardinalis extrema. 262
§. 59. Cardinalis Gaddius mortuus. 264
§. 60. Melchioris Wolmari fata. 265
§. 61. Magistratuum conatus in reprimendis Calvinistarum crudelitatibus. 266
§. 62. Seditio Parisina in Sancti Marcelliani Sub-urbio inchoata. 268
§. 63. Aliæ Seditiones a Protestantibus in diversis locis concitatæ. 273

§. 64. Scotiæ Ordinum reſponſio ad Franciæ Oratoris propoſitiones data. 274
§. 65. Maria Regina in Scotiam profecta. 276
§. 66. Regina in ſuo adventu indigne habita. ibid.
§. 67. Vanus Catholicorum conatus pro Religione Orthodoxa in Scotiæ Regno reſtauranda. 277
§. 68. Scotiæ Regina ab Eliſabetha ad firmandum Edinenſe fœdus ſollicitata. 280
§. 69. Scotiæ Reginæ rationes pro hoc fœdere nullatenus confirmando. 281
§. 70. Seditio apud Livonios mota. 284
§. 71. Livones Polonis ſubjecti. ibid.
§. 72. Ordo Livonicus in Germania extinctus. 286
§. 73. Valachia, & Moldavia a Jacobo Pari Marchione occupata. 287
§. 74. Magni Socinianorum progreſſus in Polonia. 288
§. 75. Primum Antitrinitariorum conventiculum Pindezovenſe. 290
§. 76. Varſovienſia comitia, & Sceminienſis Synodus. 291
§. 77. Aliud Pindezovenſe Socinianorum conventiculum. 292
§. 78. Aliæ Synodi in eadem urbe celebratæ. 296
§. 79. Decima nona Pindezovienſis Synodus. 297
§. 80. Statorii blaſphemiæ contra Spiritus Sancti divinitatem. 299
§. 81. Vana Proteſtantium molimina in confutandis hiſce erroribus. 301
§. 82. Iidem errores non ſine adſtantium offenſione a Blandrato propugnati. 304
§. 83. Synodi, & Ratzevilli Palatini epiſtolæ ad Calvinum. 306
§. 84. Alia Conciliabula Cracoviæ, & Pindezovæ celebrata. 307
§. 85. Socinianiſmi initia in Tranſylvania. 310
§. 86. Sigismundi Tranſylvaniæ Principis epiſtola ad Wittenbergenſem, & Lipſienſem uniniverſitates. 312

§. 87.

§. 87. Cophti ad Tridentinam Synodum a Papa invitati. 314
§. 88. Duo Jesuitæ ad Cophtorum Patriarcham a Papa ablegati. 315
§. 89. Cophtorum errores. 316
§. 90. Cophtorum pertinacia in summo Pontifice non agnoscendo. 318
§. 91. Hispanorum Præsulum petitio de gestando habitu, vulgo Mozzetta dicto. 319
§. 92. Episcopi post varias Curiæ Romanæ oppositiones votis damnati. 321
§. 93. Primatus Bracarensis Archiepiscopi in dubium vocatus. 322
§. 94. Ejusdem Archiepiscopi epistola in eadem caussa. 325
§. 95. Pontificis diploma circa hanc controversiam. 326
§. 96. Hujus diplomatis dilucidatio ab Archiepiscopo petita. 328
§. 97. Sextus Legatus reliquis quinque jam nominatis a Papa adjunctus. 330
§. 98. Duo Poloniæ Episcopi Tridentum venientes. 331
§. 99. Ferrarienfis Cardinalis innocentia datis ad Papam literis vindicata. 334
§. 100. Ferrarienfis epistola hac de re ad Cardinalem Borromæum. 335
§. 101. Consilium de maturanda Synodo Cardinalibus a Papa propositum. 337
§. 102. Legatorum consultatio de argumentis in Concilio proponendis. 338
§. 103. Legatorum monita Episcopis data. 340
§. 104. Hispanorum contentio de Synodi continuatione. 342

LIBER CLVIII.

§. 1. Congregatio ante Tridentinæ Synodi initium habita. 346
§. 2. Argumenta in hoc conventu agitata. 347

§. 3. Hiſpanorum petitio circa Synodi continuationem a Legato conceſſa. 348
§. 4. Seſſio Tridentinæ Synodi decima ſeptima, ac prima ſub Pio IV. 349
§. 5. Decretum pro continuando, atque inchoando Concilio. 351
§. 6. Hiſpanorum Præſulum oppoſitio contra hæc decreti verba: Proponentibus Legatis. 352
§. 7. Conventus in oppido S. Germani in Laja ob Calvini hæreſin celebratus. 353
§. 8. Edictum in Menſe Januario pro Proteſtantibus conditum. 355
§. 9. Pariſienſis Regius Senatus nonniſi trino mandato compulſus hoc edictum ad acta refert. 358
§. 10. Regina per Lanſacum Romam ablegatum coram Pontifice ſe ſe excuſans. 360
§. 11. Papæ reſponſum ad Reginæ Matris Legatum. 362
§. 12. Synodi Patrum Congregatio in Legati Palatio. 364
§. 13. Conſultatio Patrum circa Indicem librorum prohibitorum. 365
§. 14. Patrum ſententiæ circa Authorum citationem. 368
§. 15. Patrum conſultatio circa fidei publicæ literas hæreticis concedendas. 370
§. 16. Patres ad concinnandum Catalogum, ſeu Indicem ſelecti. 373
§. 17. Legati ad Synodum delati, atque a Patribus excepti. 374
§. 18. Ferdinandi Cæſaris tanquam Hungariæ Regis Oratores in Synodo excepti. 377
§. 19. Luſitaniæ Orator in Synodo receptus 378
§. 20. Alius quidam Cæſaris Orator exceptus. 381
§. 21. Oratorum propoſitiones. 382
§. 22. Legatorum reſponſum ad haſce Oratorum propoſitiones. 384
§. 23. Epiſtola Franciſci Vargas ad Granatenſem Archiepiſcopum. 386

§. 24. Congregatio Seſſioni præmiſſa. 389
§. 25. Primi Legati monitum ad Synodi Patres de ſervando ſilentio. 390
§. 26. Synodi Seſſio decima octava, atque ſecunda ſub Pio IV. 393
§. 27. Diſſidium inter Luſitaniæ, & Hungariæ Regum Oratores. 395
§. 28. Decretum de librorum delectu, & omnibus ad Concilium fide publica invitandis. 397
§. 29. Difficultates a Granatenſi Archiepiſcopo contra hoc decretum propoſitæ. 400
§. 30. Publicæ ſecuritatis literæ Galliarum Reginæ juſſu immutatæ. 402
§. 31. Præſules pro concinnandis ſecuritatis literis nominati. 403
§. 32. Fidei publicæ decretum promulgatum. 406
§. 33. Cæſareorum Oratorum poſtulata ad Legatos. ibid.
§. 34. Reformationis articuli ad examinandum propoſiti. 408
§. 35. Bracarrenſis Archiepiſcopi oratio circa Reformationem. 410
§. 36. Duodecim Reformationis articuli a Patribus examinati. 415
§. 37. Plures Oratores ad Synodum delati, ac recepti. 419
§. 38. Contentio de Sedis prærogativa inte Helvetiorum Oratorem, & Florentiæ Legatum. 423
§. 39. Dudithi, ſeu Dudizii Titinenſis Epiſcopi Hiſtoria. 424
§. 40. Dudithius Hungarici Cleri nomine ad Tridentinam Synodum ablegatus. 429
§. 41. Synodi obſtacula a Cæſare ſublata. 431
§. 42. Papæ epiſtolæ ad Legatum ſuum in Francia. 433
§. 43. Navarræ Rex ſpe lucri Catholicis favens. 434
§. 44. Sabrinenſe colloquium inter Guiſium Ducem

Ducem, Cardinalem Lortharingium, & Wirtembergæ Ducem. 436
§. 45. Lotharingii Cardinalis oratio pro Confessione Augustana. 437
§. 46. Wirtembergici Ducis promissa utrique Principi facta. 440
§. 47. Vassiacensium, & Guisianorum dissidia. 441
§. 48. Guisius Dux Lutetiam Parisiorum delatus. 445
§. 49. Regina unacum Filio suo Rege Melodunum profuga. 446
§. 50. Rex in Triumvirorum potestatem redactus, ac Parisios abductus. 448
§. 51. Aurelia a Condæo Principe capta. 450
§. 52. Condæus Princeps bellum a se motum vindicare conatus. 451
§. 53. Condæi literæ ad Protestantes Germaniæ Principes. 453
§. 54. Mendax rumor de fœdere inter Triumviros, Hispaniæ Regem, Papam & Helvetios a Calvinistis sparsus. 454
§. 55. Regia libertas comprobata, ac Januarii edictum publico scripto confirmatum. 455
§. 56. Rothomagum, aliæque urbes a Calvinistis occupatæ. 457
§. 57. Hæretici apud Senones, aliisque in urbibus trucidati. 458
§. 58. Reginæ Matris Epistola ad Rhedonensem Archiepiscopum Cæsaris Oratorem circa Concilium scripta. 460
§. 59. Franciæ Oratores ad Tridentinam Synodum nominati. 461
§. 60. Franciæ Regis mandata suis ad Synodum Oratoribus data. 463
§. 61. Duodecim articulorum examen in Synodo inchoatum. 484
§. 62. Hierosolymitani Patriarchæ sententia 485
§. 63. Archiepiscopi Granatensis opinio circa eundem. 487

§. 64.

§. 64. Quorumdam Patrum ſententiæ contra reſidentiam. 489
§. 65. Adiacenſis Epiſcopi ſententia. 491
§. 66. Nucerienſis Epiſcopi oratio circa reſidentiam. 493
§. 67. Variæ Patrum opiniones circa hunc articulum. 497
§. 68. Quidam a Legatis Romam miſſus ad explorandam Pontificis mentem. 499
§. 69. Mandata huic Deputato data. 500
§. 70. Quædam propoſitiones Synodi Patribus a Legatis factæ. 502
§. 71. Plurium ſententiæ de reſidentia ex jure divino neceſſaria. 503
§. 72. Pontificis ſententia de hoc articulo tanquam juris divini non decidendo. 505
§. 73. Legatorum difficultas in decidenda hac quæſtione. 507
§. 74. Mala ex Patrum diſſidiis exorta. 509
§. 75. Patrum ſententia circa Ordinationes ad titulum Patrimonii. 510
§. 76. Articulus de nihil ſolvendo pro Ordinum collatione. 513
§. 77. Diſtributiones quotidianæ proCanonicis. 519
§. 78. Venetæ Reipublicæ Oratores Tridentum delati. 523
§. 79. Grimanus Patriarcha Synodum accedere paratus, ſuam innocentiam vindicaturus. 524
§. 80. De Parochis in plures titulos dividendis actum. 525
§. 81. Articulus ſextus, & octavus de Parochiarum, & Sacellorum unione. 528
§. 82. Articulus de Parochis illiteratis, ac ſceleratis. 529
§. 83. Articulus de Eccleſiis in commendam datis. 530
§. 84. Articulus ultimus de Quæſtoribus. 531
§. 85. Franciæ Orator datis ad primum Legatum literis Seſſionem prorogari petens. 532

§. 86.

§. 86. Franciæ Regis epiſtola ad Lanſacum ſuum Tridenti Oratorem. 534
§. 87. Alia Reginæ Matris epiſtola ad Lanſacum. 535
§. 88. Patrum ſententia de audiendis Franciæ Oratoribus. 537
§. 89. Bavariæ Ducis Oratores ad Synodum delati. 538
§. 90. Altercatio inter Bavariæ Ducis, ac Venetorum Legatos circa Sedis prærogativam. 539
§. 91. Legati hac ſuper re Pontificis conſilium exquirentes. 540
§. 92. Contentio inter Cæſareos, & Hiſpanos circa vocem: *continuatio.* 542
§. 93. Hiſpaniæ Regis querelæ ad Papam contra ejns Legatos. 543
§. 94. Legati ſuam innocentiam coram Hiſpaniæ Rege vindicantes. 545
§. 95. Continuatio reſponſi Legatorum ad Hiſpaniæ Regem 549
§. 96. Papa Hiſpaniæ Regis voto cedere ab illius Oratore compulſus. 551
§. 97. Piſcarius Marchio Hiſpaniæ Orator Tridentum veniens. 553
§. 98. Orator Epiſcopis Hiſpanis adverſatur circa articulum de Reſidentia. 554
§. 99. Orator Synodi continuationem declarari poſtulans. 555
§. 100. Sententia de reticenda continuatione in Seſſione proxima. 556



Pisciacense Colloquium.

Lauber Sc. A. V.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER CLVI.

PIUS IV. PONTIF. MAXIMUS, FERD. I. OCC. IMP.

§. I.

Nuntii in Germania pro convocando Concilio.

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

Interea negotium, quod Synodum paulopost Tridenti restaurandam concernebat, haud parum Pontificis animum distentum reddebat; jamjam enim

Pallav. hist. Conc. Trid. l. 15 c. 2. n. 1.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

illa edito diplomate Pontificio ad proximam Paſchatis hebdomadam currentis anni quingenteſimi ſexageſimi primi ſupra milleſimum erat indicta, atque ipſemet Pontifex hanc in rem ſuos nominabat Nuntios, qui ejus Bullam ad cunctos Principes tam Catholicos, quam Proteſtantes deferrent, quos inter in Germaniam deſtinati jam Menſe Decembri diſceſſerant, eorumque erant duo Zacharias Delphinus Pharæ in Dalmatia Epiſcopus, necnon Joannes Franciſcus Commendonus Zacyntinus Antiſtes; porro dudum jam Stanislaus Hoſius natione Polonus, ac Varmiæ Epiſcopus ad idem regnum profectus in Cæſaris aulam venerat, ibidem ſubſiſtere juſſus: donec vero hi ambo pariter adventarent, illi, qui jam aderant, de opportunis remediis inter ſe conferebant.

§. II.

Papæ Nuntii ad Cæſaris alloquium admiſſi.

Pallav. l. 8. num. 3. Anton. Mar. Gratiani in vita Commend. l. 2. cap. 1.

Altera die Pontificis Nuntii ad Cæſaris palatium deducebantur, atque præ reliquis præcipue Commendonus perbenigne exceptus erat a Ferdinando, cui literas ſibi a Papa commiſſas tradidit, paucisque Pii IV. mentem exponens hæc effatus eſt: „Tandem ſummus

Sæcul. XVI. A C 1561.

„mus Pontifex, ut tumultibus propter „hæreſes magis, magisque indies in„valeſcentibus obicem poneret, Gene„rale Concilium Tridenti celebrare con„ſtituit, ut errores, qui Europam in „tot ſectas ſcindunt, diſſipentur, firma„taque pace fides, & diſciplina ad pri„ſtinam puritatem revocentur, atque „illi, qui damnatis ſuis opinionibus per„tinaciter adhærent, a veris fidelibus „dignoſcantur. Hanc in rem promul„gatis literis Apoſtolicis omnes Chri„ſtiani Orbis Principes generatim invi„tabat Pontifex, nunc vero ſpeciali „favore, ac ſingulari in Germaniam af„fectu eo inſuper me, ac Pharenſem „Epiſcopum ablegare voluit, ut cunctos „Principes, omnes liberas urbes, totum„que Imperium ad celebrandam Syno„dum, ac componenda Chriſtianæ Rei„publicæ negotia hortaremur: porro „ut majori cum facilitate res peraga„tur, ac quilibet absque ullo timore „procedere valeat, in futuro Concilio „integram ſecuritatem dominari, omni„busque ſuas querelas, vel dubia expo„nendi libertatem concedi, enixe ex„optat Pontifex, Cæſaremque rogat, „ut protinus ſuos ableget Oratores, qui „hujus Synodi initio interſint, ſuaque „auctoritate, ac conſiliis piam Pontifi„cis voluntatem ſuffulciant.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

§. III.

Cæsar Nuntiorum postulata sibi scripto tradi postulans.

Pallav. l. c. n. 3. & 4.

Postea Cæsar perceptis Nuntiorum sermonibus eosdem rogabat, ut sua postulata ei scriptotenus traderent: verum Nuntii id concedere difertis prohibebantur verbis; quippe summus Pontifex, ne variis responsis ultro, citroque datis sibi molestiam accerseret, Legatis suis speciatim injungebat, ne præter ipsius Bullam, literasque quicquam aliud scripto producerent: cum autem Cæsar insuperhabitis Nuntiorum rationibus, quas ad vindicandam suam repulsam proferebant, suæ petitioni pressius insisteret, hi, quid consilii caperent, mutuo deliberabant, ac serio perpendentes, quod longior pertinacia Cæsaris animum reddere alienum, totumque negotium prospero successu frustrari posset, tandem breve admodum scriptum proferebant, in quo Pontificis studium, ac paternum in omnes Christianos etiam ab Ecclesia segregatos, ac divulsos affectum testabantur, exponentes, quod Papa jam sæpius suos ablegasset Nuntios, ut dispersas oves eo promptius ad ovile revocaret. His addebant, quod cetera satis ample in summi Pontificis diplomate, necnon in Cæsa-

Cæsaris literis, atque in alia epistola eidem tradita forent expolita. Sæcul. XVI. A.C 1561.

§. IV.

Cæsaris responsum ad Nuntiorum postulata.

Attamen ad hoc scriptum Cæsar hunc in modum respondit: „Pontificis „consilium, de quo uterque Nuntius me „certiorem reddidit, summopere gratum, „ratumque habeo, palamque testor, quod „semper obedientiam, ac submissionem „Sacræ Sedi debitam reddere, atque „in eadem hac occasione omne obse- „quium expectatione majus præstare „paratus sim: insuper mihi persuasum „habeo, quod Principibus Catholicis „ad Synodum alliciendis nova horta- „tione calcar addere supervacaneum sit: „Protestantes vero Principes jam facti „sunt certiores, quod Pontifex Syno- „dum convocare statuisset, quinimo „ipsimet jamjam conventum agere de- „creverunt, ut ibidem mutuo hac super „re deliberarent, hinc Naumburgum „Misniæ oppidum ad decimam quartam „Januarii diem venire statuerunt: cum „vero eos abs dubio Synodo nonnisi „propositis conditionibus durissimis, „quas vos minime ignoratis, consensu- „ros prævideam, meum hac in re con- „silium foret, ut vos ipsimet hosce Prin- *Pallav. n. 4.* *Gentiani l. c.*

Sæcul. XVI. A.C.1561.

„cipes ibidem congregatos accedatis, „cunctosque generatim adhortantes, „quid de singulis sperandum, explore- „tis, ac præcipue cum omni mansue- „tudine, raraque dexteritate rem per- „agatis, ne intempestiva severitate animi „jam aliunde nimium ad seditionem „propensi magis exacerbentur: de ce- „tero fidem vobis facio, quod Viros ad „tanti moliminis negotium omni data „occasione idoneos transmissurus sim, „suadeo tamen, ut iter vestrum acce- „lerare velitis; proxime enim Naum- „burgensis colloquii paucis post diebus „solvendi tempus instat: rogo insuper; „ut illuc pertranseuntes Ferdinandum „Filium meum Pragæ agentem invi- „sere velitis; hic enim vobis quædam „communicabit, juxta quæ vestram „agendi rationem instituere poteritis: „denique me de Principum responsis „prompte edoceatis velim, ut negotia „ad felicem successum dirigendi, ac Re- „ligionis commodum promovendi me- „dia magis opportuna arripere valeam.

Verum hoc iter aggrediendi consilium minus probabatur Commendono; præviderat enim, haud adeo expeditum esse, ut cum hisce Principibus una congregatis seorsim agere, eosque accedere valeret: aliunde haud ignorabat, unicum eos ad officium redigendi medium

Sæcul. XVI. A.C.1561.

medium supereſſe, ſi unio inter eos conflata diſſolveretur, id vero prævidebat haud obtinendum in quodam conventu, ubi omnes pro communi utilitate colligati ad unum, eundemque finem collimare videntur: nihilominus Nuntii conſilio Cæſaris, ac pia Bohemiæ Regis Filii ejus voluntate expugnati iter aggredi ſtatuebant, eo potiſſimum nomine, quod temporis anguſtiæ Papam deſuper conſultandi ſpatium præriperent, atque aliunde ſatis ſibi perſpectum haberent, quod ex articulis in Naumburgenſi conventu agitandis præcipuus eſſet, an, & ſub quibus denique conditionibus ad Synodum accedere expediret.

Inſuper Imperator præter ea, quæ in ſcripto ejus reſponſo continebantur, ſpeciatim Pontificiis Nuntiis quatuor inſinuabat capita, & quidem I. eis ſuadebat, ut omnem Proteſtantium Principibus ſuſpicionem adimerent, perinde ac ſi Pontifex præteritam Synodum continuare velit: II. illis injungebat, ut declararent, quod illud tempus pro convocando Concilio valde ambiguum, atque a Papa in favorem Galliarum Regis abbreviatum eſſet. III. Iisdem conſulebat, ut Proteſtantes certos facerent de amplioribus ſecuritatis tabulis iisdem concedendis IV. denique Cæſar Legatos

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

admonuit, quod negotia per ſcripturas agendi conſuetudo eſſet, ac proin oporteret eundem quoque morem in comitiis ſervare. Ad hæc Commendonus ita reſpondit: de continuanda Synodo mentionem haud ſum facturus, nec in Germaniam veni cum Proteſtantibus diſputandi, ſed eos ad Synodum invitandi animo: quod vero ad tempus attinet, ſtudet Pontifex feſtinationi, ut eo citius malo remedium adhibeatur: porro ſecuritatis literæ Proteſtantibus, quales ipſimet deſiderabunt, ampliſſimæ exhibebuntur: ceterum quartum articulum exequi haud poſſum, eoquod negotia per libellos pertractare diſertis verbis a Papa prohibiti fuerimus.

§. V.

Nuntii Vienna Naumburgum profecti.

Thuan. l. 28. num. 8. Pallav. n. 9. Gratiani l. c

Itaque Papæ Nuntii die decima quarta Januarii Vienna proficiſcuntur, comitantibus eos ex Cæſaris mandato Ottone Comite de Eberſtein, Felice Bogilaſio Barone de Aſſenſtein, & Guilielmo Meela Bohemiæ Pro-Cancellario, qui ſeptimo itineris ſui die Pragam delati a Ferdinando Archiduce ſecundo-genito Cæſaris Filio perbenigne excipiebantur, tandem vero nivium, ac glaciei inclementiam ſuperantes per Bohe-

Bohemiæ Sylvas die vigesima octava ejusdem Mensis Januarii iniquissimo prorsus tempore Naumburgum pervenerunt. Aderant ibidem cuncti Principes una congregati, excepto Joanne Friderico Saxone Vinariensi Duce, qui jam inde discesserat: verum ceteri Principes nullum omnino, qui adventantes exciperet, obviam mittebant, quinimo nullo obsequii genere, vel hospitii honore illos dignabantur: nihilominus Nuntii exacto biduo rerum conditionem explorantes ad Palatinum Rheni Comitem, & Saxoniæ Ducem ambos S. R. Imperii Electores quemdam ablegabant, ad privatum colloquium admitti postulantes: ast eisdem in responsis datum: „pro communi caussa congregati sumus, „proin seorsim nihil decidere possumus; „rem tamen in ceterorum consessu pro„ponemus, & de iis, quæ ibidem con„cludentur, Nuntios reddemus certio„res. Interim res usque ad quartam Februarii diem protrahebatur, tandem vero eisdem nuntiatum, quod altera die ad publicum alloquium in conventu admittendi, atque audiendi sint. Equidem Nuntii, an publici hujus alloquii copiam acceptarent, aliquamdiu deliberabant, veriti tamen, ne cum congregatis conferendi opportunitate neglecta, nequidem a ceteris Germaniæ Principibus

Sæcul. XIV. A.C. 1561.

Sæc. XVI
A.C. 56

bus exciperentur, hinc occasionem ipsis oblatam respuere haud consultum censebant.

§. VI.

Nuntii a Protestantibus congregatis publice auditi.

Pallav. c. 2. num. 10. Gratian. l. c.

Quapropter die quinta Februarii matutino tempore Palatinus æque, ac Saxoniæ Elector, quatuor ex illis, quos a consiliis habebant, unacum armatorum Satellitum cohorte mittunt, ut Papæ Nuntios ad Conventus locum deducerent: igitur hi paratum conscendunt currum, quo tamen vehi Consiliarii renuebant, sed pedestri potius comitatu eos præcedebant: porro quamprimum advenerant, ad quamdam aulam minime amplam, in qua pro more illius Regionis parva fornax erat, deducebantur, ubi Principes, eorum liberos, necnon Cancellarios, aliosque spectabiles viros præter eos, qui Principibus a secretis erant, congregatos invenerunt: ingressi itaque Nuntii nullo amicitiæ, aut urbanitatis signo honorabantur, ac nequidem ipsis dextera officiose pro more porrigebatur, quinimo stantes, ac detecto capite aliquamdiu permanere fuerunt coacti: ceterum hic ordo ab illis servabatur: præprimis duo Electores in parvo quodam subsellio consi-

sidebant, eosque aliquantulo remotior sequebatur Brandeburgici Electoris Orator, tum vero reliqui in diversis Sedibus suo quisque ordine, ac dignitate sedebant Legati. His igitur Nuntii Papæ literas, necnon diplomatis, quo Synodus indicebatur, apographum tradebant. Sæcul. XVI. A. C. 1561.

§. VII.

Delphini Nuntii oratio in hisce comitiis.

Porrectis hisce literis, cunctisque considentibus Delphinus ceteris prior hunc in modum perorare cœperat, ac præprimis breviter iis, quæ in Diplomate continentur, recensitis causas Pontificem ad celebrandam Synodum impellentes enarrabat, tandemque hæc subjungebat: „Pius IV. summus Ponti„fex intra charitatis suæ viscera incly„tam Nationem Germanicam semper „complectens vehementi desiderio illius „concordiam, ac tranquillitatem exoptat; „eapropter nos duos ablegavit Nun„tios, qui Principes hortaremur, roga„remus, stimularemusque, ut & ipsi „huic negotio adlaborare velint, cum „certum sit, cuncta in Concilio cum „summa pace, mansuetudine, ac cha„ritate peractum iri: insuper id in hac „Synodo tantummodo curandum, ut iis *Pallav. l. 15. c. 3. n. 1.*

Sæcul. XVI. A.C. 1561. „iis comprobatis, quæ approbari fas „est, damnatisque, quæ damnari opor„tet, ſchisma tanto jam tempore Ec„cleſiam ſcindens tandem tollatur, at„que unitas reſtituatur. Studeant proin „Sacri Romani Imperii Principes tam „pium hoc opus promovere, miſſis ad „Synodum Procuratoribus ſuis, cum „paratus ſit Pontifex publicas illis ſe„curitatis literas, quam maxime amplæ „unquam dari poſſunt, impertiri, ut „diſſidia, quæ Principes tamdiu jam „collidebant, ſedentur, una perſiſtat „fides, ſuusque Eccleſiæ ſplendor red„datur.

§. VIII.

Alia Commendoni oratio in eodem hoc Conventu.

Pallav. cap. 7. num. 2. Flechier vie de Commend. p. 127.

Abſoluta Delphini oratione Commendonus verba faciens hæc Principibus expoſuit: „nullum tempus cele„brando Concilio magis opportunum „videtur, quam illud, quo pax inter „Hiſpaniam, & Franciam reſtituta vi„get: inſuper Deus Eccleſiæ ſuæ talem „conceſſit ſummum Pontificem, cui uni„cum ſtudium, ac ſollicitudo in eo ſita „eſt, ut Dei cultus reparetur, ac Re„ligio ſuæ integritati reſtituatur: ſi vero „nonnullæ corruptelæ fidei Chriſtianæ „dignitati adverſantes in publicos ritus irrepſe-

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

„irrepserint, illas abolere paratum sese „exhibet Pontifex: porro quod laben„tem disciplinam, morumque corruptio„nem attinet, illos abusus emendare, at„que ad veteris disciplinæ normam redu„cere studebit: unde hujus Concilii, quo „præteritæ ætatis fides, pietasque re„vocabitur, celebratio ab omnibus Christi „fidelibus non sine ingenti lætitia est „excipienda, atque illi etiam, qui vel „propriis suis erroribus, vel quorum„dam Doctorum in suo sensu abundan„tium persuasionibus seducti, atque Sa„cri Codicis auctoritate abutentes no„vis opinionibus infecti sunt, de pro„xima Synodo lætandi argumentum „nanciscentur: præcipue cum hominum „salus a fide, & doctrinis, quæ ex di„vino oraculo profluunt, dependeat. „porro ea fides nullatenus vera esse va„let, nisi sit una, nec juxta privato„rum quorundam affectum, vel insanam, „quam aliqui habent, sentiendi liberta„tem dimetienda venit, sed potius ex „universalis Ecclesiæ consensu Sacris „literis comprobato hauriehda, ac veri„tas nullo pacto securius inquiri, ac „certius explicari potest, nisi in Gene„rali Concilio, ad quod doctissimi juxta, „ac sanctissimi totius Europæ Viri con„fluunt, nihilque aggrediuntur, nisi „prius per assiduas preces, ac Sacrificia

Sæc. XVI. A.C. 1561.

„cia Dei opem imploraverint, cuncta„que juxta conſcientiæ ſuæ præcepta, „atque interiorem Spiritus Sancti affla„tum agere ſtudebunt.„

His addebat: „urgente malo reme„dium haud eſt differendum: res enim „indies in pejora ruunt, maximum„que imminet periculum, eoquod No„vitatum Authores Evangelii præcepta, „& dogmata ad ſuum ſenſum detor„quendi, ac depravandi auctoritatem „ſibi arrogent, ac rudioris populi ap„plauſum captantes multitudinis fa„vore, ac potentia errores ſuos ſtabi„liant: his vero armis inſtructi ipſa Re„ligionis fundamenta labefactant, atque „hoc pacto enervata legum, ac Eccle„ſiæ conſuetudinum auctoritate tumul„tibus, quorum ſat funeſta habetur „experientia, anſam præbent: cum „autem Religio nequaquam hominum „commento, ſed ipſius Dei inſtitutioni „innitatur, ea nullo pacto immutari, „mutilari, aut ad privatum quorundam „ſenſum detorqueri valet, quin tales „criminis omnium maximi reatum co„ram Deo incurrant, atque ſeſe in cœ„citatem, impietatem, & ſeditionem „præcipites agant; ſi enim cuivis ſacros „libros pro ſuo genio interpretari, ac „privatas ſuas opiniones tanquam veras „venditare liberum foret, tot denique

in

„in fidei rebus ſententiæ, quot capita „eſſent.„ Sæc. XVI. A.C. 1561.

His ita prolatis Commendonus quædam primorum ſæculorum exempla proferens Principibus hæc expoſuit. „Edocti „ſumus veritates, quas Sancti Viri ab „ipſo Deo hauſerunt, easque effuſo ſanguine ſuo confirmarunt; hi vero tantopere ab auſibus tam ſuperbis erant „alieni, ut exortis inter Alexandriæ „Chriſtianos quibusdam dubiis circa legem Moſaicam Paulus, & Barnabas „nihil decidere auderent, ſed Jeroſolymam pergentes controverſiam in Apoſtolorum Synodo proponerent, atque „ejus deciſioni ſtarent: inde autem ad „nos promanabat firma fides, ac Chriſtianæ Religionis unitas, cum aliorum Religio ſemper vacillaret, aſſiduisque mutationibus eſſet obnoxia; „Dei enim cultus immotis ejusmodi „principiis innixus longa ſæculorum ſerie ſolidatur: ex adverſo autem hominum commenta, quæ nonniſi ex ſentiendi libertate pululant, temporis „progreſſu evaneſcunt: eapropter cum „invaleſceret effrœnis hæc licentia, temeritati, atque humani ingenii arrogantiæ limites ſtatui haud poterant: „luxuriantes enim ejusmodi homines „ſeſe in profundam impietatis abyſſum „immergere haud ultra verebantur, unde

Sæcul. XVI. A.C.1561.

„unde nil magis certum videtur, nisi „quod illi, qui de errore in errorem im„pune proruunt, & obvias quasque no„vitates amplectuntur, tandem mutata „sæpius fide paulo post omnem abji„ciant Religionem: hisce ergo dissen„sionibus remedium est opponendum, „ac sollicite cavendum, ne hæc pestis „sese latius diffundat, omnesque Chri„stiani orbis partes inficiat, præcipue „cum Deus nobis iratus, atque Europa „in plures sectas, quarum una alteri „adversatur, sciissa sit, atque interea „Turca juratus Christiani Nominis „hostis sua potentia inflatus, atque „infaustis nostris dissidiis suffultus no„bilioribus nostris Provinciis ruinam, „excidiumque minitetur: rogo itaque „vos omues, ut ad Synodum vestros „ablegetis Oratores, qui sua dubia, „rationesque proponant, ob quas schis„ma hoc conflare, vosque a nobis se„gregare volueritis.„

§. IX.

Principum responsio ad utriusque Nuntii orationes.

Pallav. c. 3. num. 3. l. 4.

Ambobus hisce Nuntiis ita perorantibus, multi Principes ab eis prolata summatim in suis libellis annotabant; absolutis autem hisce sermonibus iidem Prin-

Principes inter se aliquamdiu submissa voce collocuti, Electoris Palatini Cancellario injunxerunt, ut hoc responsum daret. *Illustrissimi Principes audierunt, quæ a vobis nomine Romani Pontificis exposita sunt, & quoniam negotium arduum est, nolunt in præsentia decernere: convenient tamen inter se, ac postea respondebunt: gratum interim ipsis foret, si, quæ locuti estis, scripto illis exhibere velletis.* Sæcul. XVI. A.C.1561.

Ad hæc responderunt Nuntii: satis Pontificis mens patefacta fuit in Concilii diplomate, necnon in literis ad Cæsarem missis: aliunde vero jussi sumus, ne scriptum aliud tradamus. Perceptis his verbis, post breve pariter colloquium inter se habitum submissa voce Principes acquievere, & Nuntii honorifice dimissi, eodemque deducti comitatu, suas in ædes abiere. Ast vix horæ quadrans præterierat, cum illico nomine Principum advenerant Consiliarii, qui literas a Papa eorum Domino perscriptas Nuntiis tradiderunt, hæc addentes: „Magnifici Domini, Princi„pes nostri exiguo illo tempore, quo vo„biscum versabantur, conspicati non „sunt ea verba in literis Pontificiis, „*Dilecto Filio*, quoniam ea involucro ob„tecta erant, sed postquam animadver„terunt, se a Romano Pontifice filios

Sæc. XVI. A. C. 1561.

„vocari, rebus a vobis propositis nihil „esse respondendum censuerunt.„

His autem reponebat Commendonus: „Sanctitas sua erga vos ita sese „gerit, prout omnes Christiani Orbis „Principes habere, consuetudo fert; „sequitur enim morem semper ab ejus „Prædecessoribus servatum.„ Verum Legati insuperhabita hac responsione relictis in mensa literis Pontificiis, necnon diplomate pro convocanda Synodo edito recesserunt.

§. X.

Contumeliosa Protestantium oratio ad utrumque Pontificis Nuntium.

Pallav. c. 3. num. 5. Gratian. in vita Commend. l. 2. cap. 3.

Ex indigna hac agendi ratione Nuntii haud obscure colligebant, eorum operam incassum impendi, eoquod Principes Papæ literas, quibus auctoritatis ipsis concessæ diploma erat inclusum, perlegere renuissent: nihilominus biduo post, seu septima Februarii die Nuntios convenere decem Consiliarii Principum, quos Protestantium quamplurimi comitabantur, atque inter eos quidam nomine Gregorius Cracovius vir doctus, ac Saxoniæ Electori valde familiaris prolixum habuit sermonem, in quo summatim hæc proferebat: „Principes minime dubitant, quin cun„ctis in nationibus reperiantur viri pii, qui

„qui expeterent, Evangelii lucem, can- Sæcul. XVI.
„doremque doctrinæ restitui, aufferri- A.C.1561.
„que pravas consuetudines, quas opor-
„tuisset a Pontifice Romano penitus nunc
„fuisse detersas, præcipue in regionibus
„sibi subjectis: attamen aperte cogno-
„scitur, quænam fuerint hujusmodi
„Pontificum consilia, ad dominatus,
„utilitatesque proprias conversa, &
„quantis superstitionum, errorumque
„tenebris Evangelium illi obduxissent:
„idcirco coacti fuere Principes ab or-
„dinaria potestate secedere, lucem ex-
„quirere, puramque doctrinam haurire
„ab ipso Dei verbo, cui sine dubio in-
„hærent secundum primam Augusta-
„nam confessionem: quod vero spectat
„ad præsentem Nuntiorum legationem,
„& ad ea, quæ nomine Romani Pon-
„tificis a vobis exponuntur, visum Prin-
„cipibus fuit, hanc esse responsionem
„reddendam: scilicet mirantur, quo pacto
„ausus ille fuisset legationem ad ipsos
„mittere; non enim hi approbant illius
„auctoritatem, nec in ulla alia re, mi-
„nus vero in Concilio indicendo: cum
„unicum Dominum in terris agnoscant,
„nimirum Cæsarem, cui soli tanquam
„supremo suo Principi parere volunt.„

„Immerito, prosequebatur Craco-
„vius, nobis objectatis, quod nimia
„levitate novas indies opiniones sequa-

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

„mur, ac cæco impetu in plures sectas „sibi invicem pugnantes scindamur, om„nes enim Confessionem Augustanam, „eandemque doctrinam sequimur, at„que omnes etiam illi fidei normæ Au„gustæ Caroli V. Cæsaris jussu confectæ „subscribimus: vobis autem nostri Prin„cipes declarant, quod ab ea doctrina „nunquam recessuri, mimus vero un„quam permissuri sint, ut Pontifex eis „legem præscribat: noster enim Prin„ceps, & caput est Imperator, qui si„mul omnium controversiarum, quæ „in Christiana Republica oriuntur, ar„biter est, & judex, & ad illum so„lum spectat, legitima convocare Con„cilia: hinc quamprimum illius Ora„tores advenerint, nostri Principes cum „illis hac super re agent, interea nul„lum cum Papa commercium habere „decreverunt. Vos autem, cum ex „illustrissimis Venetorum familiis satos, „necnon propriis virtutum, ac sapien„tiæ meritis insignes noscunt, Princi„pes nostri magno in pretio, ac vene„ratione habent, vobisque publicas „honorum testificationes exhiberent, si „duntaxat tanquam privati Nobiles, „non autem Papæ Ministri adveniffe„tis ad Synodum, cui nullam præstare „obedientiam decreverunt Principes, „cum ipsis persuasum sit, quod nullum

quoque

„quoque illam convocandi jus Pontifici „competat, nec ſeſe tanquam contro- „verſiarum, atque Eccleſiæ diſſenſio- „num arbitrum conſtituere valeat, eo- „quod omnium horum ſchiſmatum o- „rigo ſit: minus vero ſemetipſum cre- „dat veritatis judicem, qui eandem im- „pugnat, ac præ cæteris atrocius con- „temnit. „ Sæc. XVI. A.C.1561.

§. XI.

Commendoni reſponſum ad hanc orationem.

Injurioſa hæc Cracovii oratio haud parum commovebat Nuntios, qui aliquamdiu deliberabant, an haſce calumnias reſponſo confutare, operæ pretium foret, tandem vero Commendonus verba faciens hæc reſpondit: „Mi- „ſit nos Pontifex Romanus tanquam „ſuos Nuncios ad Germaniæ Principes „pro eo, quo fungitur paſtoris univer- „ſalis Eccleſiæ munere, vi cujus ſingu- „lorum ſalutem ex animo complectitur; „id vero peractum ab illo eſt ea men- „te, atque illud ipſum bonum aſſequen- „di gratia, quod ipſi Principes in ſuis „Conventibus procurare decreverant: „hinc nihil in hoc opere videtur, quod „poſſet admirationem excitare: Conci- „lium enim fuit a Pontifice indictum ea „forma, quam perpetuo ſervavit Eccle- *Pallav. & Gratian. l. c.*

Sæcul. XVI A.C. 1561.

„ſia Sancto Spiritu afflata; cum nec „vulnera Eccleſiæ inflicta ſanari, neque „ubi neceſſe foret, reſtitui vetus noſtro„rum Patrum diſciplina poſſet, niſi per „rationem ab ipſis exhibitam: de ce„tero horum conventuum Sanctitas, ac „Majeſtas omni tempore magni fuit ha„bita: imo & ipſimet, qui aut errore, „aut credulitate decepti ſeſe ab unita„te ſegregarunt, ſemper tamen eorum „deciſiones velut oracula, ac mandata „de cœlo data venerati ſunt: cum au„tem Principes veſtri dicunt, quod non „alium niſi Cæſarem agnoſcant Domi„num; incompertum non eſt, qualis ſit „proportio inter Principes laicos, & Ro„manum Pontificem, & cujusmodi ob„ſervantia Ferdinandus Cæſar Pontifi„cem proſequatur: hinc injuſte que„runtur de Romanis Pontificibus, cum „palam ſit, qualem ſemper charitatem „hi præſetulerint, & exercuerint erga „inclytam Germanorum nationem, præ„cipue vero erga res Imperii: porro „quod ſpectat ad morum emendationem, „ac diſciplinæ reſtaurationem, hæc qui„dem omnino procuranda: aſt a Pio „IV. ea naviter ſub primis Pontificatus „ſui auſpiciis incæpta eſt, ac etiamnum „continuatur, eoque libentius ab eo Sy„nodus convocata fuit, quo ipſe oppor„tunius cenſuerat in ea communem il-

„lam

Sæc. XVI. A.C. 1561.

„lam morum reparationem confectum „iri:„ Ceterum cum Cracovius Romanæ Eccleſiæ affinxiſſet, dicens, quod illa ſuperſtitionibus, ac morum diſſolutionibus ſcateat, intentaque ſit, ut Evangelii veritates tenebris obfuſcaret, hinc ad hæc Commendonus ita repoſuit: „Ex his profecto facile dignoſci poteſt, quod veritatis odium, ac convitiandi libido Proteſtantes excæcaverit: aſſeveranter enim ad perpetuam Romanæ Eccleſiæ gloriam affirmare poſſum, quod ipſa præ ceteris omnibus ſeſe illuſtriſſimam reddiderit, aſſiduo ſuo Chriſti nomen, atque Evangelii cognitionem latius diffundendi ſtudio: attamen veri Catholici neſciunt gloriari, niſi in eo, qui juſtificat peccatores, & remuneratur juſtos: de cetero autem Germani ex omnibus antiquorum Hiſtoriis diſcere poterunt, quod maximi illi Præſules, quos ab ipſa Apoſtolorum ætate univerſus orbis ob pietatem, & doctrinam tantopere commendat, ſemper in Religionis dubiis ad Romanam Eccleſiam recurrerint, ejusque deciſionibus ſeſe ſubjecerint: inſuper allegari poſſent Reges, qui ex omnibus mundi partibus, ac remotiſſimis etiam regionibus ſuos Romam ablegarunt, ut de noſtræ fidei myſteriis edocerentur: recenſeri quo-

Sæc. XVI. A.C. 1561.

„que possent pene innumeræ gentes, „quas hæc eadem Ecclesia ab impieta„te, ac propudiosis erroribus, quibus „immersæ erant, revocavit, atque ad pu„rissimas leges, sanctissimumque Dei cul„tum reduxit: præterea nulla ferme „reperitur Provincia, quæ non aut re„ceptæ, aut conservatæ Religionis Ca„tholicæ felicitatem eidem Ecclesiæ in „acceptis referre tenetur. Denique „vosmetipsi a Romana Ecclesia fidei „Christianæ cognitionem accepistis, „postquam vero ab hac veritatis regula „defeciistis, jam nil nisi errores, confu„siones, ac deliria inter omnes Nationis „vestræ populos dominantur.„

Cum autem Cracovius quæstus esset, Nuntios Germanis objeciisse, quod hæc Natio ingenti Sectarum diversitate sit agitata, ad hæc Commendonus Cracovium, an id negare audeat, provocans dixit „nil certius, nilque magis evidens „constat, quam hæc ipsa perturbatio, ac „diversarum opinionum confusio, qua „circa fidem, & ritus Germani misere „scinduntur, nec unquam inter se con„spirant, nisi contra Catholicos, & Ec„clesiam, a qua defecerunt; nonne Ger„mania est plena libris, quorum doctri„næ inter se pugnant: Lutherus ipse„met, vir ille, qui a vobis tanquam al„ter D. Paulus deprædicatur, quique e„

„ gregiam

„gregiam hanc fidei normam Auguſtæ „conſarcinavit, non ſemper ſibi in ſuis „opinionibus conſtat; ſingulis enim fer- „me annis novas fidei confeſſiones „conſuebat, atque illi, qui ejus doctri- „nam ſequebantur, haſce confeſſiones „immutarunt, vel illius ſententias pro „ſuo arbitrio, ac genio interpretati ſunt, „Unde ortæ ſunt aſſiduæ illæ alterca- „tiones circa ea, quæ Lutherus reapſe „credidit: nemo tamen ſingulis ejus „opinionibus adhæret; nam habuit ſuos „aſſeclas Melanchton, ſuos Oecolam- „padius, Zwinglius quoque diverſam fa- „bricabat ſectam, & quot, quantique „Calvini errores amplectuntur? Infini- „tæ ſunt aliæ adhuc ſectæ, quæ tamen „nec cum Luthero, nec inter ſe conſpi- „rant, nec ulla datur Germaniæ civitas, „aut oppidum, imo nulla familia, in qua „non reperitur quædam in Religione „diverſitas: uxores diſputant cum Ma- „ritis, filii cum eorum parentibus, & „quivis ſe veram fidem, ſacrique Codi- „cis cognitionem tenere contendit, & „quod magis adhuc deplorandum, ru- „diſſimi quique in ſuis colloquiis inter „pocula definiunt Religionis capita, „atque ebrietatibus, & commeſſationibus „intenti ſeſe tanquam Reformatores e- „rigunt. Porro Summus Pontifex, pro- „ſequebatur Commendonus, poſtquam

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

„Patris officio erga vos defunctus omne „ſtudium, ut errantes filios ſuos ad ſa„lutis ſemitam revocaret, impendit, i„dem aliquando vobis, totique Germa„niæ objiciet, quod olim Chriſtus Do„minus urbi Jeruſalem in Evangelio ex„probrabat: „ *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum Gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti.* „ In„terim de comitatis officio, quod veſtro„rum Principum nomine nobis, tan„quam privatis hominibus exhibuiſtis, „rogamus vos, ut noſtro nomine veſtris „Principibus grates rependatis, decla„ramus tamen vobis, quod nullius ho„noris niſi propter illum, a quo miſſi ſu„mus, nos dignos exiſtimemus.„ Hæc oratio non ab omnibus æquali judicio excipiebatur, quibusdam eandem approbantibus, aliis indignantibus audaciam, qua a Legatis hæc proponebantur; exinde vero ortum, quod Proteſtantes unioni in ſua doctrina ſtabiliendæ in hoc Namburgenſi Conventu magis intenti eſſént.

§. XII.

Naumburgenſis Principum Proteſtantium Conventus.

Thuan. hiſt. l. 28. n. 7. Pallav. l. 13. c. 3. n. 8.

Hic ipſe conventus ex omnibus ferme Proteſtantibus Principibus conſtabat; aderant enim Fridericus Elector Pala-

Sæc. XVI. A. C. 1561.

Palatinus, Auguſtus Saxoniæ Elector, Joannes Fridericus Saxo, Wolfgangus Palatinus, Erneſtus, & Philippus Brunſvicenſes Duces, Ulricus Megalopolitanus Dux, Chriſtophorus Dux Wirtembergenſis, Carolus Badenſis Marchio, & Erneſtus Hennebergæ Princeps: Inſuper intererant Joachimi Brandeburgici Electoris, Joannis, & Georgii Friderici Brandeburgici, Philippi Landgravii, Barnimi, & Joannis Friderici Pomeraniæ Ducum Legati, pluresque alii: porro Daniæ Rex, & Luneburgici Principes duntaxat literas benevolentiæ, ac conjunctionis ſuæ in ea cauſſa teſtes miſerant: cum autem Concilii Generalis celebrandi fama percrebuiſſet, atque Confeſſioni Auguſtanæ addicti accuſarentur, quod in ſuis opinionibus inter ſe diſcordes ea, quæ alii pertinaciter amplectuntur, alii aperte impugnarent: eapropter omnes una congregati Principes duo capita in deliberationem vocarunt, & quidem primo ſanxerunt, ut omnes illi, qui ſeſe ab Eccleſia Romana ſegregarunt, in eadem fidei profeſſione convenirent, eoquod alias Catholici jure merito illos condemnare poſſent, quin illos falſitatis redarguere valerent, cum proprii ipſorum Doctores ſe invicem tanquam hæreticos traducerent, prout in nupero Wormatienſi colloquio factum

Spond. hoc anno n. 1.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

factum esset. Alterum erat, an a Protestantibus Concilium adiri, aut omnino recusari expediret.

§. XIII.

Dissidia Protestantium in hoc conventu circa Confessionem Augustanam.

Acta Naumb. Conv. apud Hospin. 1561 p. 280. & seq.

Circa primum articulum statim ingens erat verborum contentio; quippe nonnulli, cum hanc Ecclesiarum dissensionem nullatenus fidei summæ adversam crederent, contendebant, quod omnino tanquam doctrinæ fundamento standum esset Confessioni Augustanæ, præcipue illi, quæ Anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo Caroli V. Cæsari porrecta, & rursus eo fine fuit confirmata, ut postea per Electores, aliosque Principes ad Ferdinandum Imperatorem, quem Catholici Protestantibus valde infensum reddebant, transmitteretur: igitur hanc solam postea Ecclesiarum suarum nomine in Synodo proponi, eique ab omnibus subscribi petebant, ne tunc, si singuli suam seorsim fidei professionem exhiberent, majori ludibrio, ac contemptui hujus confessionis socii exponerentur; Tum vero prolatis confessionis præfatæ exemplaribus, diversisque editionibus illam præprimis,

mis, quæ in Augustano conventu, ubi pax Imperii sancita est, Georgii Spalatini manu conscripta fuerat, Joannes Fridericus Saxo-Vinariensis, & Wirtembergæ Dux plane cum aliis, ac præcipue cum prima editione Wirtembergensi paucis exceptis convenire contendebant. Verum Palatinus, & Saxonicus Electores recentiorem quamdam editionem recipi urgebant, eoquod illa non rebus ipsis, sed verborum duntaxat copia, atque interpretationis perspicuitate circa plures articulos a priori differret, manibusque complurium tereretur. Sæc. XVI. A.C.1561.

§. XIV.

Varia hujus Confessionis exemplaria in hoc Conventu exhibita.

Denique cum omnes ceteri Principes, necnon absentium Legati eosdem articulos, qui Carolo V. Cæsari olim exhibiti fuissent, subscribendos censerent, Sacri Romani Imperii Electores huic opinioni ea lege adstipulati sunt, ut præfatio nova adderetur, in qua posterior quoque illa editio Confessionis, necnon apologia tanquam cum priori consentiens approbaretur, simulque quædam loca ad transsubstantiationem alludentia amplius explicarentur, ac denique controversiæ circa Sanctissimum Sacramentum *Thuan. l. c. Acta Naumb. l. c.*

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

mentum exponendi, ac circumferendi ritum clarius exhiberentur, eoquod duarum ſpecierum diviſio, quæ ibidem fieret, cum inſtitutione Chriſti non conveniret: inſuper etiam quæſtiones de Miſſa, aliisque ejusmodi inſtitutionibus dilucidarentur.

Præterea Electores etiam confeſſionis Saxonicarum Eccleſiarum, ac Francofordienſis Conventus mentionem in proemio fieri volebant, ſed cum rurſus Joannes Fridericus Saxo, & alii Smalcaldicos potius articulos repetendos cenſerent, nihil ex iis præfationi inſertum eſt: porro præfationem a Cracovio, & Ehemio Septemvirorum conſiliariis ſcriptis mandatam, & coram Principibus lectam plerique probarunt; alii econtra ei ſubſcribere recuſarunt.

Horum pertinacia ſuffulciebatur ab illis, qui errores, ſectasque cum Dei Verbo, & Auguſtana Confeſſione pugnantes fovebant, hinc tacite Palatinum Electorem fugillabant, eoquod Tilemanum Hashuſium, qui Lutheri ſententiam circa Cœnam propugnabat, nuper Heidelberga dimiſiſſet.

§. XV.

Saxo-Vinarienſis Dux cum indignatione excedens.

Fri-

Fridericus Saxo-Vinarienſis, qui ad Patris ſui exemplum ſemper Lutheri ſectam in ſua integritate profitebatur, iniquo ferebat animo, in præfatione falſo jactari, quod nullæ ſint in Germaniæ Eccleſiis diſcordiæ: quapropter palam profitebatur, quod ejusmodi mendacio turpiter hominibus imponatur, cum omnium auribus, & oculis pateat, quod illorum Miniſtri tam in ſuis libris, quam ſermonibus inter ſe ſingulis ferme diebus, tam acriter digladientur, ut vel ſurdos, vel cæcos eſſe oporteret illos, qui in eorum opinionibus, necnon in præcipuis doctrinæ, ac fidei ſuæ articulis diverſitatem non animadverterent, inde vero Pontificiis non modo eos calumniandi, ſed etiam de manifeſto mendacio convincendi anſa præbeatur: Itaque non illam confeſſionem, quæ ante triginta annos fuit edita, atque in pluribus locis immutata, retineri petiit, ſed potius illam, quæ ante novem, aut decem annos fuit typis vulgata: inſuper Smalcaldicos articulos declarationis loco præfationi inſeri poſtulabat: cum vero nihil impetrare poſſet, tam impotenti exinde ira in eos, qui ei reſiſtebant, excanduit, ut idem, quamvis Palatini Filiam ſibi deſponſaſſet, poſthabita omni erga Generum ſuum reverentia illum publice Sacramentarium, Calviniſtam, &

Sæcul XVI. A.C.1561.

Sæcul. XVI A.C. 1561.

& Confessionis Augustanæ desertorem appellitaret, qua tamen injuria majorum Lutheri assecli irrogari haud poterat: porro postea Dux Naumburgo discedens ad suas ditiones profectus est.

§. XVI.

Congregatorum sententia circa Concilium.

Thuan. l. 28. Pallav. l. c. Spond. n. 3.

Cum Congregati de Synodo inter se deliberarent, rursus ingens erat opinionum varietas; quippe alii illam omnino recusandam censebant, aliis vero placebat, Legatos a singulis Ordinibus eo decernendos, per quos ad fidei suæ rationem in libero, ac Christiano Concilio reddendam sese offerrent, simulque gravem contra Papam, Curiamque Romanam accusationem instituerent, atque pro more suo contra Judices suspectos reclamarent, ac insuper adversus illos exciperent, necnon de inverso juris ordine, ac loci incommoditate suas proponerent querelas; cum id non parum conferret ad dissipandam invidiam contra Protestantes vel ideo conceptam, quod Synodi legitimæ auctoritatem eludere machinarentur, exinde enim, inquiebant ipsi, perspicient omnes, quod non penes nos, sed penes hostium nostrorum ambitionem steterit, quo minus

nus reſtaurandæ unionis ratio iniretur, ac proin impoſterum minus odium contra Germaniæ Eccleſias timendum foret. Denique omnium ſententiæ eo abibant, acceptandum eſſe Concilium, dummodo non ſit Pontificium, atque eidem Papa nec per ſe, nec per Legatos ſuos præſit. Hæc quoque reſpondebant Ferdinandi Cæſaris Oratoribus, qui unacum Papæ Nuntiis die vigeſima octava Januarii Naumburgum venerant, atque altera die ad comitia acceſſerant, ubi his ipſismet congregati adhuc ſequentem addebant conditionem, ut ſcriptum Dei Verbum ſit unicus controverſiarum Judex, nullo autem pacto Pontifex, ſimulque Epiſcopi a fidei ſacramento, quo eidem ſunt obſtricti, ſolvantur, ac Theologi, quos eo decreturi ſunt, ſuffragii jure fruantur: de cetero autem congregati Principes inquiebant, quod re collata cum illis, qui huic conventui non interſunt, reſponſum magis amplum Cæſareæ Majeſtati ſuæ daturi eſſent. Sæcul. XVI. A.C. 1561.

§. XVII.

Oratores a congregatis ad Saxo-Vinarienſem Ducem ablegati.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Thuan. l. c.

Post hæc iidem Principes statuerunt, ad Joannem Fridericum Saxo-Vinarienſem, qui nuper ſeceſſerat, Legatos eſſe deputandos, qui eidem hæc ſignificarent: „nihil ardentius exoptavimus „niſi ut & tu uſque ad Conventus exi„tum Naumburgi ſubſtitiſſes: cum vero „tuam de diſceſſu excuſationem acce„ptemus, hinc tibi ſignificamus, quod „ſubſcriptio Auguſtanæ Confeſſionis, „propter quam convenimus, a nobis de„creta ſit, ut tamen deſiderio tuo ſatis„fieret, additus eſt in præfatione arti„culus de Cœna Domini: proin peti„mus, ut tu quoque eidem ſubſcribas: „ſi vero id renueres, ſaltem a te poſtu„lamus, ut tuis Theologis ſilentium im„ponas, remque eo deducas, ne Naum„burgenſis Conventus, ut olim Franco„fordienſis, *Samariticum Interim* publice „nominetur. Denique effice, ne noſtra „agendi ratio publicis libellis conde„mnetur, alioquin nos viciſſim & inno„centiam noſtram, necnon conventus „illius originem, ac progreſſum fuſius „explicando publice vindicare cogemur, „ac omnia denique faciemus, quæ cauſ„ſæ hujus magnitudo, ac neceſſitas de„poſcere videbuntur.„

§. XVIII.

§. XVIII.

Sæcul XVI. A.C. 1561.

Conventus Naumburgenſis exitus.

His actis Conventus die vigeſima ſeptima Februarii ſolutus eſt, edito ibidem decreto, quo ſancitum, ut omnes Confeſſionem Auguſtanam amplectantur juxta explicationes, quæ magis ſervire videbuntur ad hoc, ut illa communis reddatur omnibus iis, qui ab illa deviarunt: quam in rem rurſus Erfordiæ proxima die vigeſima ſecunda Aprilis Conventum celebrare ſtatuerunt. Attamen hæc doctrinæ unio, quam affectabant, ſuo caruit ſucceſſu.

Pallav. l. 15. c. 4. n. 1.

§. XIX.

Utriusque Nuntii diſceſſus, & Commendoni iter in Germaniam inferiorem.

Itaque ambo Nuntii Delphinus, & Commendonus Naumburgo profecti ad Provincias, quas peragrare juſſi erant, contendebant, prius vero Pontificem certiorem reddebant de agendi ratione, qua in præfata urbe a Proteſtantibus habebantur: eapropter illorum conſtantia plurimum Romæ fuit deprædicata, ac Commendonus præprimis ex eo laudatus, quod Germanorum, qui Eccleſiæ Romanæ cum tanta arrogantia inſultabant, petulantiam repreſſerit. E-

Pallav. l. c. Gratian. l. 2. c. 4.

Sæc. XVI. A C. 1561.

quidem hic idem Præsul inferiorem Germaniam lustrare jussus a Vinariensi urbe, ad quam Joannes Fridericus Saxo secesserat, initium sumere, huncque Ducem officiosa salutatione honorare decreverat, verum a quodam hujus Principis Consiliario edoctus, quod ipsius Dominus, cum nullum cum Papa commercium habere vellet, eum audire recusaturus esset, hinc recta ad Brandeburgensem Ducatum pergere statuit, Joachimum S. R. I. Electorem visurus: porro cum Commendonus Saxoniam pertransire cogeretur, ab Electore Augusto publicæ securitatis literas omnino honorificas impetrabat, ac insuper hic idem Princeps multis excusabat responsum, quod Papæ Nuntiis contra suam voluntatem, ac sententiam Naumburgi fuisset datum: postea vero eidem Commendono tradit literas, quibus urbium, quas peragraturus esset, Magistratus illum perhonorifice excipere, eumque usque ad Brandeburgici Electoratus fines valido præsidio comitari jubebantur: itaque Nuntius Lipsiam, & Hallam pertransiit, spe concepta, quod Magdeburgensem Archiepiscopum Joachimi Electoris Filium in itinere visurus esset: cum vero hic Præsul domo sua absens esset, promoto Berolinum versus itinere ibidem omni honorum genere

genere ab Electore Brandeburgico excipiebatur. Sæc. XVI. A.C. 1561.

§. XX.

Commendonus Berolinum delatus, ibidemque Electori Brandeburgico collocutus.

Hic idem Princeps, quamvis Anno Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo nono Proteſtantium ſectam in ſuas ditiones invexiſſet, præ ceteris tamen omnibus magis propenſum ad Eccleſiæ ſinum revertendi animum exhibebat; ſemper enim multos ritus, ac Eccleſiæ Romanæ conſuetudines ſartas adhuc conſervabat: itaque Joachimus vix comperto Nuntii adventu quantocius ex ſuis præcipuis Conſiliariis duos eidem obvios miſit, qui Nuntium Electoris nomine ſalutarent, eumque altera die ad prandium invitarent: cum vero Nuntio eſſet relatum, quod Elector eidem ante convivii horam colloqui, ac præſentibus quibusdam ſuis Theologis unioni adverſantibus ſua reſponſa dare percuperet, hinc Commendonus ſtudioſe tempus, quod prandio deſtinatum erat, non præveniebat, animo tamen ſuo conſtituens, quod durante convivio quædam verba de Religione inſpergere vellet, exinde melius Electoris animum explo-

Gratian. l. c. Pallav. c. 4. n. 2. Epiſt. Commend. ad Borom. Card. 15. Febr.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

exploraturus, illumque ad consilia Religioni proficua inducturus. Nec Commendoni consilio prosper defuit eventus; quippe Joachimus omni obsequiorum genere, quo a Principe Sacræ Sedi addictissimo, ac studiosissimo honorari potuisset, illum exceperat, necnon cuncta, quæ ipse de Concilio proferebat, cum summa tranquillitate auscultans, adeo non continuandæ Synodi propositum vel minimo signo reprobabat, ut etiam illam celebrari, non sine maxima animi sui lætitia excepisse, ac plurimum ad pacem propensus videretur: quinimo nunquam de Pontifice absque singulari veneratione, ac decentia verba faciebat: absoluto autem prandio, hospiti suo quietem procurandi obtentu usus, ipsum ad cubile deducebat, quin per integrum diem de cujuscunque negotii summa cum illo colloqui vellet. Altera die rursus cum eo mensæ accumbens, de variis rebus nil ad rem attinentibus cum illo sermocinabatur, cumque illum saltem per quindecim dies detinere intenderet, hinc sedulo omnem de legationis suæ causa agendi occasionem removebat.

§. XXI.

Synodi diploma a Commendono porrectum, Electorisque responsum.

Cete-

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Ceterum Commendonus temporis opportunitate usurus, alloquii copiam summis precibus efflagitabat, qua obtenta Electori Pontificis literas unacum convocati Concilii diplomate tradidit, quibus perlectis Elector desuper deliberandi spatium sibi indulgeri petiit, ac tandem is exeunte Mense Februario quinto post Nuntii adventum die responsum dedit, cujus summa hæc est: „Pontifi„cis salutationem debita reverentia ex„cipio, multasque illi grates rependo; „jam tunc, dum in Hungaria fuerat, o„ptimus summi Pontificis animus, ac „singularis benevolentia mihi innotuit: „Ego quidem semper paci studebam, „cui adhuc impræsentiarum operam na„vo, quamvis meus conatus non o„mnibus probetur: ast placere homini„bus inter postremas mihi curas est, „dummodo animum meum ad conscien„tiæ tranquillitatem componere, ac Dei „Verbum exequi valeam. Ex hujus „rei studio, non autem ex mentis levi„vitate Confessioni Augustanæ nomen „dedi, ac unice exopto, ut singuli, & „præcipue summi Pontifices veram fi„dem agnoscerent. „ Postmodum ad Synodum sermonem convertens hæc subjunxit „ cum hoc negotium nec ad „me solum, nec ad solos Principes Naum„burgi congregatos, sed ad omnes Au-

Epistol. Commend. ad Borom. 5. Febr. Pallav. c. 4. n. 3. Raynald. n. 32.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

„gustanæ Confessioni addictos spectet, „respondere mihi haud licet, nisi quod „communi suffragio decretum fuerit: „interim me quod attinet, omnem na„vabo operam, ut concordia, atque u„nio revocetur, quamvis plurimas præ„videam difficultates, sicut ipsemet tibi „in familiaribus colloquiis sæpius signi„ficabam ea usus sinceritate, quæ meo „inest animo: porro cum eundem quo„que animi candorem tibi insitum agno„scam, exinde permoveor, ut meum „obsequium recusare haud valeam, ac „tecum amicitiam meam continuare „percupiam. „

§. XXII.

Commendoni responsio ad Electorem.

Pallav. c. 4. n. 4. & 5.

Ad officiosa hæc Electoris verba Nuntius cum tanta eloquentia, tamque rara ingenii amplitudine respondit, ut hunc Principem ab errore, in quem nimia sua credulitate prolapsus erat, nullo ferme negotio revocasset, nisi Elector hujus Viri consortio, ac consilio opportune uti a suis Consiliariis fuisset prohibitus: Ceterum Commendonus hæc Electori reposuit: „ Asseris, te con„scientiæ tuæ stimulis agitatum Augu„stanæ Confessioni nomen dedisse: ast „eadem quoque Religione obstringeris „Christum Dominum vere agnoscere, id „ tamen

„tamen haud melius fieri poterit, quam „ope cujusdam Oecumenicæ Synodi „ſuffultæ auctoritate ſummi Pontificis, „cui injunctum eſt, ut confirmet Fratres „ſuos, cujus fides nunquam deficiet, „juxta promiſſionem eidem a Dei Filio „factam: quapropter nullum tutius eſt „conſilium, quam certiſſimo Dei judicio „ſeſe ſubmittere, ac lumen haurire, „quod ex continuata Sedis Apoſtolicæ „ſucceſſione, necnon in perpetua, conſtan-„tique Patrum doctrina contentum e-„lucet.„ His dictis Commendonus Electori ob ſibi conceſſam cum eo privatim colloquendi libertatem grates perſolvit, rogavitque, ut memori recoleret animo, conditiones pro convocanda Synodo a Proteſtantibus propoſitas ejusmodi eſſe, quæ ſi concederentur, ad extremum fidei, & Eccleſiæ exitium tenderent: cum autem inter difficultates ab Electore propoſitas præcipua eſſet, utrum Proteſtantibus ſuffragii jus eſſet concedendum, hinc Nuntius repoſuit, quod tunc, ſi hoc jus Confeſſionis Auguſtanæ fautoribus concederetur, reliquis aliarumſectarum aſſeclis pene innumeris id denegari haud poſſet, inde vero confuſio Babylonica innovaretur.

Sæcul. XVI. A C 1561.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

§. XXIII.

Commendonus apud Marchionem Brandeburgicum, & Magdeburgenſem Archiepiſcopum.

Pallav. c. 4. n. 6. Hæc colloquia Electorem inter, & Nuntium diutius protracta præcipue verſabantur circa quædam capita, quæ hic Princeps aut hucusque nunquam audiviſſe, aut non intellexiſſe fatebatur, ſolidis tamen reſponſis, quibus Nuntius omnes ejus difficultates diſſolvebat, adeo convictus videbatur, ut haud ultra continere ſe poſſet, quin ingemiſcens hæc in verba prorumperet: *Profecto Reverendiſſime Domine multas, ingentesque cogitationes meum in animum induxiſti.* Verum humanæ, quibus Elector movebatur, rationes, necnon promiſſa, quibus fidem ſuam ſociis ſuis adſtrinxerat, ac præcipue Eccleſiæ bona, quæ ad ceterorum Principum Proteſtantium exemplum jamjam ſuo ærario adjudicaverat, prævalebant veritatis cognitioni, ac propenſæ voluntati ſuæ, quocirca haud mutata animi ſententia Nuntium dimiſit: Commendonus itaque Berolino excedens Joannem Brandeburgicum Marchionem Electoris, qui tum Breſcæ agebat, fratrem adiit, interea reſponſum ſibi a Joachimo reduce dandum præſtolaturus, prius tamen

men in itinere constitutus Magdeburgensem Archiepiscopum hujus Electoris Filium invisere statuit, a quo etiam perbenigne exceptus, ibidem aliquot dierum moram trahebat, ac Papæ literas, & diploma eidem tradebat, quod etiam Archiepiscopus reverenter acceptabat; postquam vero temporis spatium, ut interea Patris sui consilium expeteret, postulasset, Commendonus ei reposuit: „haud alio tibi consilio opus „est, sed unice attendas ad propriam „muneris tui rationem, qua non modo „Suffraganeos tuos ad Synodum decer„nere, sed ipsus etiam utpote ætate ju„venis, & viribus pollens eos prævenire obstringeris.„ Hoc Nuntii responso Archiepiscopus intime tactus non solum Tridentum, sed Romam adeundi ac cum Papa conferendi animum præfetulit. Sæcul. XVI. A.C. 1561.

§. XXIV.

Marchionis Brandeburgici responsio ad Nuntium.

Interea Commendonus Brescam urbem Berolino vicinam veniens Papæ literas unacum diplomate Joanni Brandeburgico Marchioni tradidit, hic vero ad ceterorum exemplum quoddam deliberandi spatium petiit, ac post duarum horarum moram per suum Cancellarium *Pallav. n. 7. lit. Commend. ad Borrom. 4. Martii 1561*

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

rium Commendono responsum dedit omnino alienum ab ea animi propensione, quam prius exhibuerat: exinde vero Nuntius confestim colligebat, quod hæc responsio dictata fuisset ab hujus Principis Consiliariis, qui grave odium in Pontificis auctoritatem, Romanamque Ecclesiam ostentare studebant (*). Ceterum responsum Cancellarii erat sequens. „Marchio proxime cum cete„ris Principibus conventum aget, ibi„que opportuna arripiet consilia, nec „meus hic Princeps dubitat reddere re„sponsum veritati innixum adversus o„mnes cavillationes, ac fallacias: por„ro Protestantes ad Synodum invitare „idem est, ac lepores cum leonibus con„ciliare. „ Postea Cancellarius fusius excurrebat contra utramque Synodi convocandæ rationem in diplomate assignatam, quarum una erat hæresum extirpatio, altera vero morum emendatio: hac igitur super re cum tanta verborum vehementia declamabat, ut proferre non erubesceret, quod ea, quæ Papa, vel ejus nomine ipsius Ministri circa hoc caput

(*) Pallavicinus, ex quo Continuator hæc deprompsit, ita inquit. *Hi Consiliarii fidem in Principes affectabant, & apud ipsos sibi auctoritatem tuebantur ostentata in Pontificiam potestatem inimicitia.*

caput protulerant, nil nisi calumniæ forent, quas acriter retundere oporteret. His quoque subjunxit, quod bonitas, ac Pontificis mansuetudo a Commendono tantopere deprædicata nunc nonnisi commentitia foret, eoquod temporis, rerumque vicissitudines hodiedum emergentes ejusmodi externam simulationem depoſcerent, brevi tamen speciosæ hæ pollicitationes in Italia, & alibi in crudelitatem degenerarent, ubi pii homines eo solum nomine trucidantur, quod puram Evangelii doctrinam profitentes idololatrias, quas tyrannica Papæ auctoritas invehere voluit, adoptare renuerent. Sæcul. XVI. A. C. 1561.

§. XXV.

Commendoni responsum ad Marchionis Cancellarium.

Hisce Cancellarii convitiis Commendonus nonnihil animo commotus, indignationi suæ imperabat, vultuque ad Marchionem converso dicebat: „Cancellarius tuus piam Pontificis vo„luntatem siniſtre interpretatur: ea vero „agendi ratio, tamque injuriosa verba „minime decent Principis Miniſtrum „nullo pacto laceſſitum, sed potius „honoribus cumulatum„ His præmiſſis Nuntius ad singula accusationum capita a Cancellario propoſita respondens *Pallav. c. 4. num. 9.*

Sæcul. XVI
A.C.1561.

dens ita perorabat: „Ea est mens Pon-
„tificis, ut præter amplissimam securi-
„tatis fidem unusquisque humaniter
„audiretur in Synodo, adeoque adessent
„non tanquam lepores inter leones, sed
„tanquam Agni apud Pastores, hinc
„ex prudentia Principis sperare licet,
„quod is non ad hoc, ut existimatis,
„ac injuste summo Pontifici imputatis
„cavillationibus respondeatur, Auctor
„existat, sed potius præcipiat, ut id
„consilii susciperetur, quod pacem, &
„in sacris, & in profanis rebus afferret
„Ecclesiæ, nam id unice Pontifex cu-
„piebat, cum omnibus in comperto sit,
„in Germania eam pacem nonnisi ob
„recentiores defeciisse sectas, concor-
„diam vero permanere, ubi hæ radi-
„ces non egerunt: certe Germani ne-
„gare haud possunt, corruptelas ex
„æquo expurgandas esse, nec valent
„affirmare, se corruptelis vacare, cum
„de iis tot in Comitiis ipsi Principes
„conquesti sint, & Concilium ad eas
„curandas semper efflagitarint. Cete-
„rum supplicia paucis obstinatis hære-
„ticis auctoritate Pontificis inflicta in
„Italia, & alibi, nihil adversantur be-
„nignitati, qua idem pœnitentibus ter-
„roremque objicientibus veniam offe-
„rebat: quin potius ea supplicia præ-
„cipiuntur legibus etiam Cæsareis, &

con-

„congruunt vetuſtiſſimæ Eccleſiæ di- Sæcul. XVI.
„ſciplinæ, optimorumque Regum, & A.C. 1561.
„Imperatorum conſuetudini eademque
„conferunt non modo ad conſervandam
„Religionem intaminatam, ſed etiam
„ad ſubducendas eas provincias ab e-
„normi ſanguinis effuſione, atque hor-
„rendis calamitatibus, quibus populi
„obruuntur in illis locis, ubi ea ſancta
„ſeveritas non uſurpatur: porro Idolo-
„latria, quam Eccleſiæ Romanæ ex-
„probratis, eſt cultus ille erga res
„ſacras, quem a primis usque ſæculis
„Eccleſia obſervaverat, & integra Ger-
„mania exercuerat, ex quo Chriſti cul-
„tum ſuſcepit: denique Pontificis po-
„teſtas nequaquam tyrannica eſt, cum
„ea poteſtas non vi nixa ſit, ſed verbo
„Dei, & reverentiæ fidelium, ſimul-
„que cum tanta ſubditorum quiete,
„ac felicitate conjungatur, quanta erat
„perturbatio, & calamitas populorum,
„qui ab illa ſeceſſerant.

§. XXVI.

Nuntius a Marchione in honore habitus.

His dictis Commendonus exſurgens *Pallav. n. 10.*
abeundi copiam petiit: verum Mar-
chio Brandeburgicus illum detinens,
ad prandium invitabat, eumque cum
ſumma clementia, ac humanitate ex-
cipiens,

Sæcul. XVI A C. 1561.

cipiens, honoratiorem locum in mensa eidem tribuit, semperque detecto capite eum venerans tam verbis, & gestibus, quam omnibus aliis rebus ipsi oblatis singularem maximæ reverentiæ testificationem præseferebat: quinimo suis præcipiebat Consiliariis, ut illum ad ædes suas comitarentur. Aderat etiam cum ceteris Cancellarius, qui responsi sui vehementiam pluribus excusabat, cui tamen repositi Nuntius: „ut contra ea, quæ dixisti, questus sim, „nonnisi salutis vestræ studio, quo flagro, „incitatus sum: si vero vobis id cordi „non est, vos rogo, & obsecro, ut, quan„do vestris factionibus, ac dissidiis fi„nem imponere pertinaciter recusaveri„tis, saltem ea agendi ratione utamini, „ut æqua Pontificis voluntas patefiat, „ejusque charitatem, ac benignitatem „paternam agnoscatis.„ Verum Cancellarius reposuit: *Cœnobitæ horum omnium potissima exstitere caussa.* (*) Colloquio ita soluto Commendonus Bresca profectus die ultima Februarii Berolinum contendit, ubi altera adventus sui die Magdeburgensis Archiepiscopus Nuntium invisit, eique per unum ex Con-

(*) Verum sane effatus est Cancellarius, si id intellexit de Luthero, & aliis perversis, atque Apostatis Monachis.

Consiliariis responsum suum tradi jussit, in quo amplissimas erga Pontificem gratiarum actiones, laudesque effundens pollicebatur, quod ipsus Synodum accedere, multosque Episcopos secum conducere velit. Postea Nuntio epistolam consignabat a se exarratam, qua ad literas, quibus eum Papa honorabat, respondit, significans, quod ob accepti diplomatis, ac Bullæ beneficium deinceps eo liberius totam suam fiduciam in sua Sanctitate esset repositurus, eamque rogaturus, ut ad Ecclesiæ suæ rem utiliter promovendam illum sua ope, sanoque consilio honorare velit. Hæc Archiepiscopi benevolentia, agendique ratio tanto gratior accidebat Commendono, quo minus eam speraverat a viginti duorum annorum juvene, qui & frequenti hæreticorum Ministrorum hæresi faventium numero obsessus, insuper ab hæretico Patre regebatur. Posthæc Commendonus Papæ literas Brandeburgicæ Electrici adhuc Catholicæ porrexit, quæ Nuntium rogabat, ut ejus nomine summi Pontificis pedes demisso osculo veneraretur, eumque certum redderet, quod in veteri fide, & vivere, ac mori parata esset. Porro Elector Nuntii colloquio captus illum tamdiu, quam poterat, in aula sua detinere studuit, eique Magdebur-

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Sæcul. XVI A.C. 1561.

genſis Eccleſiæ Theſaurum, ac pretioſa quævis oſtendi præcepit, ſimulque Commendonum rogavit, ut ſibi a Pontifice quamdam e ſacratiſſimæ Crucis ligno particulam procuraret, quæ in magnifica theca ad id ſpeciatim jam parata recondi poſſet. Interea Elector identidem repetebat Synodi negotium, poſtulans, ut Proteſtantibus ſuffragii jus concederetur, eoquod plures articulos, iis minime auditis jam deciſos fuiſſe quererentur: verum Commendonus ſuperius relata repetens Principem hortabatur, ut Legatos pacis ſtudioſos, non vero Theologos ſuos ad Synodum decerneret. Ad hæc repoſuit Elector: *Theologi mei pacem non quærunt, ſed contentionibus gaudent*, nec tamen Commendono declarabat, an Viros magis pacis amantes, ac ſanæ rationis capaces mittere velit.

§. XXVII.

Commendonus Electore valere juſſo Berolino excedens.

Pallav. c. 4. num. 15. Ant. Grat. in vita Commend. l. 2. c. 4.

Cum Nuntius diſceſſum ſuum haud amplius retardare poſſet, Electorem valere juſſit, a quo etiam ſuum ad Papam reſponſum accipiens, pretioſa ad eundem munera deferre juſſus eſt: verum Nuntius ea omnino recuſans, illo-

illorum loco duas duntaxat Electori propoſuit petitiones, quarum prima erat, ut librum ad Electricem conjugem ſuam nomine Hoſſii Nuntii traditum perlegere haud gravaretur: altera vero tendebat ad hoc, ut Carthuſianis quædam loca prope Francofordiam ad Oderam eis ablata reſtitui juberet. Utrumque ipſi ab Electore fuit promiſſum, unde Nuntius die decima tertia Menſis Martii Berolino diſceſſit: cum vero per plurimas hæreticorum urbes iter faceret, lacrymis temperare haud potuit, cum videret tot celebres Abbatias, tot Eccleſias olim cum ſumma religione, ac immenſis ferme ſumptibus erectas, totque priſcæ pietatis monumenta, quorum tamen nonnulla fuere aut exſpoliata, aut omnino derelicta, alia autem penitus everſa, atque in ſuis ruinis ſepulta, alia demum ſacrilege profanata, necnon ad canum, equorumque uſum deſtinata, adeo, ut hæ beſtiæ nunc fœnum comederent ſuper iisdem altaribus, in quibus paulo ante Deo tot incruenta offerebantur Sacrificia: præcipue vero ingemiſcebat Commendonus, dum tot cernebat populos, quos hæreſis, atque ſuperſtitio a ſalutis ſemita longe devios reddebat.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

§. XXVIII.

Henricus Brunsvicenſium Dux *a Commendono ſalutatus.*

Pall. l. 15. *c.* 5. *n.* 1. *Gratian. l. c.*

Tandem Commendonus ad Henricum Brunvicenſem Ducem Catholicum delatus eidem Papæ literas, ejusque diploma obtulit, quod Princeps non ſine magna ſubmiſſione recipiens absque omni cunctatione Synodi continuationem non modo ratam habebat, ſed etiam proſperum illius ſucceſſum ex animo peroptare videbatur, aſſerens, ſe a Saxoniæ Electore comperiſſe, quod Lutheri aſſeclæ, cum Calvini factio Naumburgi prævaleret, alium in Saxonia Conventum habere moliantur. His adjecit, quod ex illo, qui eidem Septemviro a ſecretis eſſet, intellexerit, ipſius Dominum ad Catholicæ Eccleſiæ ſinum haud ægre reverſurum, dummodo illius ſubditis communio ſub utraque ſpecie concederetur.

§. XXIX.

Commendonus Synodi celebrationem propoſiturus apud Germaniæ Epiſcopos.

Poſt hæc Commendonus ad omnes viciniores Epiſcopos, cunctosque Principes Papæ diploma, literasque delaturus,

turus, iter ſuum convertit, & quidem Paderbornenſis, & Naumburgenſis Antiſtites, etſi podagra laborarent, ſe Synodum acceſſuros aſſerebant, niſi per adverſam valetudinem prohiberentur: Monaſterienſis vero ſe excuſabat, eoquod ſua diœceſis undique hæreticis cincta eſſet, ſuosque ſubditos ſibi parum obſequentes haberet: alios quoque noverat Epiſcopos, ad quos venire, Nuntius haud operæ pretium cenſebat, (*) quocirca eorum Conſiliariis diploma Pontificis, illiusque literas relinquebat: poſtea vero continuato itinere ineunte Menſe Aprili Coloniam pervenit, ubi Archiepiſcopus Elector, habita cum ſuis Conſiliariis deliberatione reſpondit, quod paratus eſſet ad morem Pontifici gerendum, ſed de ſuo ad Synodum acceſſu dubius hæreret, niſi prius a Cæſare conſilium expeteret; cum ad id ab Imperii Ordinibus adſtringeretur. Attamen Commendonus majus ſtudium, ac propenſionem expertus eſt in Trevirenſi Electore, a quo edoctus fuerat, quod ſcripſerit Ferdinandus ad tres S. R. J. Electores Eccleſiaſticos, eosdemque hortatus fuerit ad operam Concilio navandam, ſimulqne etiam

Sæcul. XVI. A.C.1561.

(*) Pallavicinus teſtatur, quod hi Epiſcopi a ſuis Diæceſibus fuerint abſentes.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

illos consuluerit, utrum magis expediret nova convocare comitia, priusquam circa Synodum res decideretur: verum ab illis responsum, comitia haud opportuna videri, eoquod tum Protestantes in illis unaomnes in eandem sententiam conspirantes minus flecti possent, cum tamen econtra faciliores forent, si cum singulis ageretur. His quoque addidit Elector, quod Commendonus ea de re in suo itinere certum experimentum haurire potuisset.

§. XXX.

Concordia Episcopos inter, & Principes Catholicos a Commendono proposita.

Pallav. l. 15. c. 5. n. 4.

Inde Commendonus arrepta occasione Electori proponebat, quantæ utilitatis foret fœdus inter Catholicos Principes eo fine initum, ut sese Protestantium potentiæ opponerent, cum hi, quamvis viribus inferiores, semper tamen Catholicis magis formidandos sese reddidissent, eoquod semper, quotiescunque de opprimenda Religione Catholica, & de suffurandis Ecclesiarum bonis ageretur, sese conjungerent, eaque armorum societate, quamvis minus perfecta foret, adeo prævalerent, ut ipsi a suæ sectæ asseclis nullo ferme negotio

tio ingentes pecuniarum ſummas colligant, dum interea Catholici Principes ægre admodum a ſuis ſubditis obedientiam, & vectigalia exigere poſſunt: hinc Commendonus nihil magis Religioni proficuum cenſebat, quam fœdus inter Principes, & Epiſcopos. Ceterum hoc conſilium Nuntius juxta privatam ſuam opinionem proponebat, eoquod hac ſuper re nullum adhuc Pontificis mandatum recepiſſet: interim idipſum Elector approbare videbatur, dicebatque Nuntio, quod ejusmodi ſocietas inter Electores Eccleſiaſticos, Epiſcopos, Principes vicinos, Clivienſem Ducem Cæſaris Generum, & inter Belgicas Hiſpaniæ Regis ad id aliunde paratiſſimi ditiones jam anno priori Auguſtæ Imperatori propoſita, illaque ab eodem Cæſare verbis comprobata, poſtea tamen minime in opus deducta fuerit, & quidem abs dubio ea ex cauſſa, quod Rex Catholicus hujus fœderis caput eſſe, ac tribus illis Electoribus Eccleſiaſticis imperare percuperet. Inſuper Trevirenſis Elector Tridentum accedere, ac Synodo intereſſe parum propenſus videbatur, cauſſatus, quod ſua præſentia pro ipſius Religionis commodo in ſuis ditionibus oppido neceſſaria eſſet, fidesque ſe abſente in diſcrimen adduceretur, profitebatur tamen,

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

tamen, quod paratissimus foret, se Pontificis judicio subjicere. Itaque Commendonus Confluentia, ubi cum Trevirensi Archiepiscopo se conferebat, redux Colonienſem Magistratum accessit, traditisque Papæ literis eundem hortatus est, ut ipso opere ita se gereret, sicut indicant elogia Colonienſi urbi a Pontifice attributa, atque præfatis literis inscripta, ubi hæc legebantur: *Colonia Agrippina, devota, & obsequens filia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.* Ad hæc responderunt Senatores, maximo sibi ducere honori, quod summus Pontifex in Synodi negotio Sedis Apostolicæ Nuntium ad eos ablegare voluerit, hunc-que favorem se memori semper animo repensuros spondebant: de cetero autem pollicebantur, quod sanctiones hucusque neglectas ad opus deducere, nec ullo pacto quemdam de fide, ac Religione suspectum in urbe sua tolerare velint. Postea Nuntius sua studia impendit in illis, quæ circa librorum impressionem Theologicam facultatem concernere, atque ad conservandam fidei puritatem potissimum conferre putabat.

§. XXXI.

Commendonus Clivienſem Ducem in itinere invisens.

Inde

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Inde Commendonus Rheno vectus in itinere ad Clivienſem Ducem perrexit, cujus agendi ratio majorem, quam pro ceteris, curam depoſcebat; quippe tres ſuo imperio obnoxios habebat Ducatus, & multas tùm citra, tum ultra Rhenum Provincias, quæ erant finitimæ ditionibus Colonienſi, Trevirenſi, Leodienſi, & Belgico Philippi Regis patrimonio, cunctis quidem Catholicis Provinciis, ſed hæreticorum frequentia infectis, adeoque in ejusmodi ſtatu, ut plurimum boni, malive in eas derivare poſſet Ducis conditio: is quidem retinebat Religionem, ſuſpectus tamen habebatur de erroribus, in quos facile induci poſſet per impietatem illorum, qui apud illum majori pollebant auctoritate; quippe degebat in ejus ditione prope Coloniam quidam Miniſter, qui quingentos ſibi diſcipulos accerſens, eos ſuæ hæreſis veneno infecerat. Equidem Dux illum ſæpius ſuæ impietatis admonebat, quin tamen ad acerbiora procederet, unde ex ipſa hac impunitate hujus hæretici petulantia augebatur: attamen major adhuc dolor inceſſerat Nuntium, ubi intellexerat, quod in magna eſſet apud Ducem exiſtimatione quidam Verbi Divini Præco, qui noxia dogmata diſſeminabat, atque audacter Euchariſtiam

Pallav. c. 5. num. 7. lit. Commend. ad Borom. Antverp. 25. Maij. 1561.

Sæcul. XVI A. C. 1561.

sub utraque specie in Patrum Franciscanorum Ecclesia populo administraverat. His igitur rationibus permovebatur Nuntius, ut Ducem adiret, atque alloquii copiam peteret, qua impetrata summis honoribus, ac amicitiæ signis exceptus præter diploma Duci Pontificiam tradidit epistolam, in qua illum Pius IV. blande hortabatur, ut in Majorum suorum pietate persisteret, ac Religionem tueretur.

§. XXXII.

Responsum Ducis ad Nuntium.

Pallav. c. 3. num. 8.

Quamquam Dux erga Curiam Romanam averso esset animo ob revocationem cujusdam diplomatis antea impetrati, necnon propter captivitatem sui Procuratoris, qui ejus nomine rem componere satagebat, nihilominus idem Nuntio hæc in responsis dari præcepit: *Dux summa Reverentia benedictionem, ac diploma Sanctissimi Domini nostri Pii quarti, Pontificis maximi Ecclesiæ Romanæ, & Oecumenicæ, & Domini sui clementissimi excipit, nec minus suscipit, tanquam filius obsequiosissimus paterna monita, nec a suorum Majorum semita se unquam declinaturum spondet: sperat autem, quod ne latum quidem unquem ab eorum Religione deflexurus sit: insuper Concilii convocatio eidem est percara, eoque suos oratores mittet,*

tet, cunctaque præterea præstabit, quæ Christianos, & Catholicos Principes decent: verum ut fructus inde copiosior decerpatur: hinc summopere desiderat, ut nonnisi ex communi Principum Imperii consensu illud celebretur, quem in finem suam quoque operam pollicetur, ut habendæ hujus Synodi propositum omnibus acceptum esset. Itaque Commendonus collaudata Ducis pietate, quod ad postremam partem spectabat, respondit: „Idipsum Zelo haud „remissiori summus Pontifex exoptat, „quemadmodum tot ab ipso adhibita stu„dia palam faciunt, si vero ea remedia ex „impiorum culpa in irritum caderent, „permittendum non est, ut ob improbo„rum pervicaciam probi non confirmen„tur in vera Religione, detegantur erro„res, veritasque stabiliatur.„

§. XXXIII.

Usus Calicis, & Sacerdotum conjugia per Ducem a Nuntio petita.

Cum autem duo illa, quæ supra memoravimus, capita magno animi sensu proposuisset Clivensis Dux, atque petiisset, ut concederetur laicis usus calicis, & conjugium Sacerdotibus, hinc utrumque Nuntio exposuit, & de priori quidem ajebat, quod suis subditis *Pallav. c. 5. num. 9.*

Sæcul. XVI A.C. 1561.

tis calicem interdicere haud valeret, cum illius usum viginti quinque jam annos inductum reperiret, & plures ad hæresin valde propensi hoc articulo contenti essent, nec plura sibi concedi peterent: circa Sacerdotum connubia vero affirmabat, quod ea permittendi necessitas ex Sacerdotum intemperantia oriretur, cum ex illis ægre quidam numerari potuerint, qui concubinas publicas non alerent. Verum hasce rationes Nuntius facili prorsus negotio confutare potuisset, duntaxat tamen subjunxit, ea de re in Concilio deliberatum iri. Postea Ducem hortabatur, ut e suis ditionibus Doctorem illum hæreticum, cujus supra meminimus, ejiceret, ab aula vero sua perversum illum Concionatorem exulare juberet. Promiserat Dux prioris expulsionem, alterum tamen retinere volebat, eoquod illum in fide minime reprehendendum censeret: demum Dux Nuntium valere jussum impense rogabat, ut eum Sanctitati suæ plurimum commendaret, atque non in alio, quam Ducis Palatio, quamdiu in ejus urbe moraretur, divertere vellet.

§. XXXIV.

Nuntius in Daniam proficisci a Papa jussus.

Post

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Post hæc Commendonus Papæ Nuntius maritimo itinere Antverpiam contendit, ubi ex Romana urbe epistolas accepit, in quarum prima Naumburgo ad Daniæ Regem, quem nondum adierat, sese transferre jubebatur, ut eundem de Synodi convocatione certiorem faceret. Hæc mandata Romæ die quarto Martii fuere data, ad ea tamen Commendonus nonnisi quinta Maij die responsum dederat, eoquod hisce jussis morem gerere haud posset, nisi prius Cæsaris opera publicæ fidei literas accepisset. Ceterum negotium Nuntio demandatum tribus, iisque maximis difficultatibus erat obnoxium; quippe Fridericus II. Daniæ Rex, ad quem Nuntius pergeret, Princeps erat ætate juvenis, ac potentia præcipue maritima admodum conspicuus, necnon ingenii acie excellens, & denique potissimis Germaniæ Principibus fœdere junctus, Generque Saxoniæ Electoris, atque ex Electoris Brandeburgici Sorore Nepos, qui alta quidem animo volutabat consilia, nequaquam tamen ad Imperii dignitates adspirabat: de cetero autem Rex is erat pessime educatus, moribus incultus, atque ebrietati, & incontinentiæ summopere addictus. Insuper Commendoni iter difficillimum reddebant viarum molestiæ, frigidissimi aeris

Pallav. c. 6. num. 1. lit. Commend. ad Borom. Antver. 3. Maij & ejusdem ad Mantuan. Card. Antver. 5. Maij 1661.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

aeris intemperies, ac glaciei aſperitas, nec magis expedita erat Regem alloquendi copia; erat enim primævo naturæ vitio ferox, atque illorum, quos libidinum ſuarum ſocios habebat, adulationibus, perverſisque conſiliis ſeductus, necnon juratus Papæ, & Sacræ Sedis inimicus: nihilominus Nuntius inſuperhabitis hiſce obſtaculis, quibus abſterreri potuiſſet, hoc iter aggreſſus eſt, unice Religionis augmento intentus.

§. XXXV.

Legati tanquam Concilii Præſides a Papa nominati.

Pallav. c. 6. num. 2. Ciacon. t. 3. p. 879.

In iisdem Papæ literis Commendono etiam injungebatur, ut duobus Concilii Legatis, qui tum Roma abſentes erant, ac proin literas ad Cardinalem Borromæum ſcriptas noſſe haud poterant, de omnibus rebus a ſe geſtis, vel impoſterum gerendis perſcriberet. Ex hiſce Legatis pro Synodo deſignatis primus erat jam antea in Sacro Purpuratorum Senatu promulgatus Hercules Gonzaga Cardinalis Mantuanus, cujus Nepos nomine Guilielmus Cæſaris Filiæ deſtinatus erat. Ceterum Hercules Prælatus erat non tantum generis ſui nobilitate, ac Ferdinandi fratris ſui gloria illuſtriſſimus, ſed præcipue

proprii meriti ſuffragio longe celeberri- Sæcul XVI.
mus, quamvis hanc legationem ſubire A C. 1561.
ſummopere cunctaretur, cum de periculis, ac labore certus, de proſpero autem ſucceſſu maxime dubius eſſet: nihilominus, ut ſummi Pontificis mandato morem gereret, invitus licet, humeros oneri ſubjecit, unde in obſequii præmium paulo poſt ejus Nepos Franciſcus Gonzaga a Pontifice Cardinalium numero fuit adſcriptus, atque Herculi ab eodem Papa Pio IV. in laboris ſocium adjungebatur Cardinalis Jacobus de Puteo Niciæ in Provincia natus, Barenſis Archiepiſcopus jurisprudentia excellens, qui diu utriusque, ut vocant, Signaturæ Præfectus, atque Sacræ Inquiſitionis Præſes erat. Hic idem ob ſummam in rebus gerendis dexteritatem tanquam Curiæ Romanæ oraculum colebatur, atque in maximi momenti negotiis ejus conſilium fuit expetitum. Ceterum præter ambos etiam tertius adjungebatur Synodi Præſes, qui tamen duntaxat in Pontificis animo deſignatus nondum in Patrum Senatu propoſitus erat, isque ipſe vocabatur Stanislaus Hoſius, qui raram pietatem cum profunda eruditione felici nexu copulans tum in Polonia patria ſua, tum in Germania ingens ſibi nomen comparabat: cum autem apud

Ferdi-

Sæc. XVI. A.C. 1561.

Ferdinandum Cæsarem Legati Pontificii munus ageret, in ejusdem aula interim persistere erat jussus, donec Synodo initium daretur.

§. XXXVI.

Octodecim Cardinales a Pio IV. Papa creati.

Ciacon. t. 3. p. 904. Pallav. c. 6. num. 4.

Ut autem summus Pontifex omnium Nationum benevolentiam sibi conciliaret, die vigesima sexta Februarii Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo primo Patrum Senatu habito octodecim Prælatos ex variis Regionibus ortos Purpuratorum Collegio adscripsit, & quidem ex illis septem Sacerdotum, undecim vero Diaconorum Ordini cooptavit. Hos inter primus erat Hieronymus Seripandus patria Neapolitanus, supremus Ordinis F.F. Eremitarum S. Augustini Præpositus, Salernitanus Archiepiscopus, Presbyter Cardinalis tit. S. Susannæ, qui idem Legatus ad Synodum destinabatur. II. Bernardus Salviatus, patria Florentinus, primo S. Populi, & postea Claramonti Episcopus ex Leonis X. Sorore Nepos, ac Catharinæ Mediceæ Galliarum Reginæ, cui ab Eleemosynis erat, proxime sanguine junctus, qui titulum primo S. Simeonis, ac demum S. Priscæ obtinuit. III. Stanislaus

laus Osius, seu Hosius natione Polonus, Culmensis, ac dein Varmiensis Episcopus, Presbyter Cardinalis in Ecclesia S Sabinæ, hunc tamen titulum postea ad plures alios translatus commutabat. IV. Petrus Franciscus Ferrerius Nobilis Pedemontanus, Vercellensis Episcopus, ac postea apud Venetam Rempublicam Nuntius, Presbyter Cardinalis tit. Sancti Cæsarii. V. Ludovicus Simonetta Mediolanensis Pisauri Episcopus, qui jurisprudentia clarissimus jamjam sub Paulo III. Synodo interfuit, atque a Pio IV. ad primi, ut vocant, Datarii officium evectus, tandem Presbyter Cardinalis tit. S. Cyriaci, ac postea Sanctæ Anastasiæ fuit nominatus. VI. Antonius Perrenotus Granvellanus, ex superiori Burgundia ortus primo Atrebatensis & postea Mechlinienſis, ac Bisuntinus Archiepiscopus, primus Philippi II. in Belgio Minister, & Presbyter Cardinalis tit. S. Bartholomæi in Insula, necnon S. Sylvestri, denique Sabinensis Episcopus. VII. Philibertus Naldius Burdaserius Babou Antisiodorensis, atque Engolismensis Episcopus, Romæ Franciæ Regis Legatus, Presbyter Cardinalis tit. S. Martini in Montibus, necnon tit. S. Anastasiæ. VIII. Marcus Antonius Amulius, Venetus, ac Rei-

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

Sæcul. XVI A.C. 1561.

publicæ Legatus apud ſummum Pontificem, Cardinalis Diaconus, poſtea Presbyter tit. S. Marcelli, Epiſcopus Reatinus. IX. Aloyſius Eſtenſis, filius Herculis Ferrariæ Ducis, Auxitanus Epiſcopus, Cardinalis Diaconus tit. SS. Nerei, & Achillei. X. Ludovicus Madrutius, cedente Chriſtophoro Madrutio ejus Patruo, electus Tridentinus Antiſtes, ac Marchiæ Anconitanæ Legatus, qui renuntiatus fuit Cardinalis Diaconus tit. S. Onuphrii, & poſtea Presbyter tit. S. Laurentii in Lucina, atque Tuſculanus Epiſcopus. XI. Marcus Siticus Altempſius, ex quadam Pontificis Sorore genitus, Caſſanenſis Epiſcopus, ad Ferdinandum Cæſarem pro concilii convocatione Legatus nominatus, Cardinalis Diaconus tit. Sancti Angeli, poſtea Presbyter Cardinalis tit. SS. duodecim Apoſtolorum, Epiſcopus Conſtantienſis, atque Archipresbyter apud S. Joannem in Laterano. XII. Inicus, ſeu Ignatius Avalos Arragonenſis, qui ex nobiliſſima Hiſpaniæ familia oriundus, ſed Neapoli natus, Cardinalis Diaconus primo tit. Sanctæ Luciæ, poſtea Presbyter tit. S. Adriani, atque Epiſcopus Portuenſis fuit nominatus. XIII. Franciſcus Gonzaga ejusdem nominis Cardinalis Nepos, Cardinalis Diaconus tit. S. Nicolai in carcere

cere Tulliano, & dein Presbyter tit. S. Laurentii in Lucina, Legatus in Campania, atque Archiepiscopus Cosentinus XIV. Alphonsus Gesualdus, Protonotarius Apostolicus, Principis Venusii filius, Cardinalis Diaconus tit. Sanctæ Cæciliæ, primo Compsæ, & postmodum Neapoli in patria sua Archiepiscopus, ac demum Ostiensis Episcopus. XV. Franciscus Paccecus, ejusdem cognominis Cardinalis non ita pridem defuncti Nepos, natione Hispanus, Burgensis Archiepiscopus, Cardinalis Presbyter tit. Sanctæ Susannæ. XVI. Joannes Franciscus Gambara, ex nobilissima Bresciorum familia ortus, Cameræ Apostolicæ Clericus, primo Cardinalis Diaconus, ac postea Presbyter tit. SS. Petri, & Marcellini, Viterbiensis, Albanensis, & Prænestinus Episcopus. XVII. Bernardus Navagerus patria Venetus, Presbyter Cardinalis tit. S. Pancratii, postea S. Nicolai, ac demum Sanctæ Sabinæ, Episcopus Veronensis. XVIII. Hieronymus a Corregio, Italus, primo Cardinalis Diaconus, postea Presbyter tit. S. Stephani in Monte Cælio, ac demum S. Anastasiæ, Archiepiscopus Tarentinus.

Sæcul XVI. A C 1561.

Sæcul XVI. A.C.1561.

§. XXXVII.

Venetorum indignatio ob Amulium a Papa creatum.

Pallav. c. 6. num. 5. Ciacon. p. 929. Thuan. l. 28.

Verum Amulii electio levem quamdam contentionem Pontificem inter, & Venetorum Rempublicam excitaverat; hæc quippe Joannem Grimanum Aquilejensem Patriarcham, Antonii Veneti Ducis Nepotem summo Pontifici commendabat, atque etiam Pius IV. Papa ad illius electionem pronum semper præseferebat animum, dummodo Sacræ Inquisitionis Tribunal non obstitisset: etenim jam ab anno millesimo quingentesimo quadragesimo septimo hic Præsul erroneis quibusdam opinionibus faviſſe accusatus sese purgare coactus fuerat, quinimo ob ejusdem criminis suspicionem sedente Julio III. forte a purpura excludebatur: verum Pius IV. huic famæ fidem minime adhibens sese huic Viro probe affectum exhibebat, cum autem temporis progressu Grimanus denuo accusaretur, quod auxilium suum cuidam impenderet Concionatori, qui ex suggestu ad populum dicere haud dubitabat, quod nec prædestinatus damnari, nec reprobus salvari possit, eapropter summus Pontifex, paucis ante diebus, priusquam pro præfata Cardinalium electione Senatum cogere parabat,

rabat,

rabat, Amulio Legato insinuavit, magno valde dubio exponi, an per Grimani electionem valeat Reipublicæ votis satisfacere, nisi prius suspiciones de doctrinæ integritate contra ipsum conceptæ fuissent dissipatæ. Attamen Legatus his Papæ verbis commotus subito eidem reposuit, quod Respublica hanc repulsam ægerrime latura esset, eoquod certam spem de Viri hujus nominatione concepisset, necnon aliundè id in Reipublicæ ignominiam cederet, cum illa in suspicionem trahi posset, perinde acsi ex suis civibus quemdam jure de sana fide suspectum promoveri rogasset: cum igitur Pontifex rem ab Oratore Veneto vehementius urgeri cerneret, Ghislerium Cardinalem supremum Inquisitionis Magistrum adesse jussit, eidem injungens, ut judicii acta hucusque contra Grimanum concivem suum instructa Legato traderet. Sæcul. XVI. A. C. 1561.

§. XXXVIII.

Grimanus ob perversæ doctrinæ suspicionem a purpura exclusus.

Insuper Amulius Reipublicæ Orator a summo Pontifice facultatem impetrabat, ut Grimanum, qui tum Romæ agebat, de rei gestæ serie edocere, eumque coram ipso Pontifice sistere posset: itaque comparuit ille, atque in *Pallav. n. 6.*

Sæc. XVI. A.C.1561.

lacrimas effusus literas a se scriptas protulit, in quibus omnes suas opiniones Sedis Apostolicæ judicio submisit: quapropter pridie, quam Purpuratorum Senatus cogeretur, Legatus petiit, ut summus Pontifex Sacræ Inquisitionis Tribunal convocaret, & ibidem Grimanus Aquilejensis Patriarcha causam suam defenderet: obtenta itaque hac facultate Grimanus in judicio præsens sese purgare nitebatur: verum ejus defensio non adeo legitima erat, ut omnis suspicionum, quæ contra eum prævalebant, nebula dissiparetur; quocirca Papa, cui Archiepiscopi responsa non minus, quam toti confessui parum probabantur, Oratori significavit, quod ea sit præsentis temporis conditio, quæ Cardinales non modo in doctrina ab erroribus exemptos, sed etiam a minima suspicione liberos deposcat, aliunde vero Grimani nominationi, si Patrum Senatui illum proponeret, omnes Cardinales, ac potissimum illi, qui Sacræ Inquisitioni deserviunt, obsisterent, non sine hujus Viri ignominia, ac Sedis Apostolicæ dedecore: Ad hæc Amulius obmutescens, petiit, ut Pontifex saltem illum in pectore, ut ajunt, servaret. Verum ille reposuit: in nuperis comitiis fidem meam obstrinxi, ne eam reservandi rationem utpote Sacro Collegio

legio exosam in Cardinalium electionibus usurpem: nihilominus alia hoc negotium ad optatum successum deducendi media adhibebo. Sæcul. XVI. A.C. 1561.

§. XXXIX.

Ad placandam Rempublicam duo Veneti a Papa ad purpuram nominati.

Igitur summus Pontifex illa die, qua Purpuratorum Senatus haberetur, matutino tempore confestim Oratorem Venetum accersivit, eumque in Borromæi Cardinalis cubiculo subsistere jussit: interea vero duos Nobiles Venetos proxime ad purpuram promovendos selegit, quorum tamen neuter ad hanc dignitatem adspirabat, quamvis uterque hoc honore dignus esset. Ex illis primus erat Bernardus Navagerus jam antea a Republica ad Veronensem Episcopatum propositus, alter vero ipsemet Legatus Marcus Antonius Amulius, de quo Pius, cum ipsum nominaret, dixit: *Hic est vas electionis.* Verum Amulius, cum se præter omnem exspectationem eligi cerneret, honorem sibi oblatum acceptare renuit, cum autem sese subjicere a Papa disertis verbis juberetur, tandem eidem morem gessit, qua submissione se nequaquam Venetæ Reipublicæ, cujus Orator erat, indi-

Pallav. n. 7. Thuan. l. 28. num. 9.

Sæcul. XVI A.C. 1561.

indignationem incurſurum credebat: attamen Senatus exinde graviter in eum excandeſcens, veterem Reipublicæ legem, qua ejus Legati quicquam ab exteris Principibus acceptare prohibebantur, fuiſſe ab illo violatam carpebat: nihilominus Pontifex, cum ex libera ſua voluntate Amulium hoc favore auxiſſet, mox Venetos placare ſtuduit, datisque ad Senatum literis interpoſita etiam juramenti Religione teſtatus eſt, quod Amulius hujus nominationis ſuæ nequidem conſcius fuerit: verum Papæ preces, atque excuſatio in irritum cecidere, quippe Orator revocabatur, non quidem ut Pontifici, prout Veneti inquiebant, moleſtiam crearent, nec etiam Amulio injuriam inferrent, ſed unice Reipublicæ leges, a quibus regiminis ſui ſalus dependet, intactas ſervarent. Itaque Amulium regredi jubent, ſuisque cognatis prohibent, ne ob illius electionem ulla publicæ lætitiæ ſigna ederent: ut vero Respublica ſimul ſuam Pontifici ſubmiſſionem teſtatam redderet, Senatus hunc Oratorem, qui jamjam in itinere ad Venetos erat, Romam remigrare juſſit, ut ibidem rurſus ſua fungeretur legatione, quam etiam poſtea cum magno nominis ſui honore ſubibat.

§. XL.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

§. XL.

Tres Legati pro Synodo a Papa deſignati.

Cum Pontifex Mantuanum, & Puteum Cardinales tanquam ſuos ad Concilium Legatos nominaſſet, ſe quoque eisdem tres alios ſocios adjunctu-rum promiſerat, teſtatus, quod tunc ſi forte ex Sacri Collegii membris Viros non reperturus eſſet ejusmodi dotibus inſignes, prout ipſi ſperare valerent, novos creaturus eſſet Cardinales, qui Theologiæ, juriumque peritia, necnon morum probitate admodum conſpicui forent. Enimvero ejusmodi Viros ſelegerat in nupera Purpuratorum creatione, nunc vero die decima Martii primis duobus adhuc adjunxit novos tres Cardinales, Seripandum, Oſium, & Simonettam, ut inter illos reperirentur Viri æque in Theologia, quam jure Pontificio longe clariſſimi: inſuper Cardinalium, & Prælatorum Congregationem inſtituit, ut eorum ope omnia ad Synodum præſtituto tempore inchoandam neceſſaria diſponerentur. *Pallav. c. 6. num. 8.*

§. XLI.

Synodi celebratio Galliarum Regi probata.

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

Die tertia Martii ſummo Pontifici allatæ ſunt Galliarum Regis literæ, in quibus Engolismenſis Epiſcopus ejusdem Orator exponebat, quod Rex Chriſtianiſſimus Synodum, prout hucusque eſſet indicta, gratam, ratamque haberet, atque ardenter deſideraret, ut eadem juxta totius Chriſtianæ Reipublicæ vota optatum conſequatur ſucceſſum: Inſuper Rambulletus ſpeciatim Romam decernebatur, ut ad preces ab Aurelianenſibus Ordinibus Regi expoſitas Synodum brevi inchoandam urgeret, ſimulque declararet, quod illius celebratione longius protracta Rex ad Regni ſui Prælatos recurrere, ſeu non obtento Concilio univerſali Nationalem Synodum congregare cogeretur: Verum ad hæc repoſuitPontifex: „nihil arden„tius cupio, quamEpiſcopos Tridenti „congregatos cernere, nec hæc mora „ullatenus meæ culpæ imputanda ve„nit, ſed potius Principibus, qui continuo „inter ſe diſcordes ſunt, quamvis jam„jam dudum diploma eorum beneplacito, quantum fieri potuit, accommodum ediderim.

Mem. pour le Concil. de Trente p. 72. dans l'inſtruction du Mr. Rambouillet.

X. XLII.

Papæ Nuntii a quibusdam Principibus male recepti.

Enim-

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Enimvero plures Papæ Nuntii æquam de Principibus, ad quos decernebantur, querendi anſam habebant: nihilominus ſummus Pontifex, etiamſi ex reſponſo anno priori ab Eliſabetha Angliæ Regina ad Abbatem Parpagliam dato exiguam admodum veræ Religionis in hoc regno reſtaurandæ ſpem concipere potuerit, hoc tamen anno alium rurſus Nuntium nominare voluit, qui eidem Reginæ Tridentinum Concilium nuper interruptum in eodem loco continuatum iri ſignificaret, ſimulque rogaret, ut & ipſa Epiſcopos Anglos eo ablegaret: itaque Martinengus Abbas, cui hæc demandata erat provincia, in Flandriam delatus Hiſpaniæ Regis, ac Albæ Ducis patrocinium implorabat, ut eorum opera in Angliam veniendi facultatem ab Eliſabetha impetrare poſſet: verum illa Nuntium acceptare conſtanter renuit, poſtea tamen Papæ Nuntius, qui Pariſiis agebat, ad Martinengi preces Trochmortonum Angliæ Oratorem eo induxerat, ut hac ſuper re ad Angliæ Reginam perſcribere vellet: Attamen illa reſpondit: „nullum mihi negotium cum „Papa diſcutiendum occurrit, optarem „quidem Concilium vere œcumenicum „congregari, nullum tamen admitto, „quod indictum eſt a Romano Epiſcopo, cujus

Pallav. l. 15. c. 7. & c. 9. num. 5. Cambden in vita Eliſabeth.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

„auctoritas Senatus decreto ex Anglia „exulare juſſa eſt„

Nec magis proſper legationis ſucceſſus in Imperii urbibus in Germania ſuperiori ſitis Delphino arridebat, nam incaſſum etiam illas hortabatur, ut in ſuis ditionibus pacem reſtaurarent: inſuper in irritum cecidere illius promiſſa, quibus idoneam publicæ fidei cautionem, necnon plenam Synodum accedendi ſecuritatem ſpondebat. Equidem Norimbergam præprimis contendebat: aſt a Senatu die octava Martii nonniſi ſequens referebat reſponſum: „Nos jam ab anno Chriſti milleſimo „quingenteſimo trigeſimo Confeſſioni „Auguſtanæ adhæſimus, neque nobis „nunc licet ab illius partis Principibus „nos ſeparare: ecquidem tibi tanquam „Papæ Nuntio tum ob patriæ dignita„tem, tum ob familiæ ſplendorem, pa„rati ſumus ad omnem obſequii ſignifi„cationem exhibendam. Idem ferme reſponſum dabant Argentinenſes, addentes, quod præterita Synodus omnino faverit Romano Pontifici, atque hujusmodi pariter Concilium ſuſpicarentur futurum, quod ſimiliter legitimum non eſſet, utpote a Cæſare non indictum, ad cujus auctoritatem id ſpectaret. Paulo modeſtior erat Francofordienſium repulſa, nam hi reſpondebant:

bant: „maximopere optamus con„cordiam Religionis in Germania, sed „est in comperto, ob quas causas gra„vissimas Synodus jam bis tentata mi„nime profuisset; si hæc impedimenta „nunc tollerentur ab æquissimo juxta, „ac prudentissimo Pontifice, id per„gratum nobis est futurum; cetera nobis „non licet ab Augustanæ Confessionis „Principibus, quibuscum conjuncti su„mus, discedere.

Verum Papæ Nuntius Augustanum Senatum ad animi demissionem magis propensum experiebatur, quamvis & ipse Nuntio repulsam daret, hæc caussatus: „post permissam a Carolo V. ut„ramque Religionem, utraque pacem „exercuit in civitate nostra: nos ecqui„dem alimus in animo summam pro„pensionem in concordiam ac dissensio„num adeo funestarum finem, sed par„vula nostra Respublica haud ea est, „quæ posset initium concordiæ fa„cere; hinc id unum nostræ opis est, „ut eam votis expetamus, ac reipsa „ad id operam conferre parati sumus, „atque ubi majora Imperii membra in „eam connitentur, nos non deerimus.„

Postea Delphinus ad plures Germaniæ Episcopos Spirensem, Constantiensem, & Merseburgensem iter suum prosecutus ab eis cum summa benevolentia

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

lentia excipiebatur, quamvis eorum nonnulli grave senium obtenderent, alii vero adversam valetudinem, & Tridentini itineris molestias caussarentur.

§. XLIII.

Delphini colloquium cum Zanchio.

Pallav. c. 10. num. 1.

Cum Delphinus hosce Principes inviseret, habita cum pluribus adulterinæ Reformationis Ministris agendi opportunitate cum eorum nonnullis disputabat, ac præcipue cum Zanchio Bergomensi olim Canonico Regulari Ord. S. Augustini, nunc fidei desertore, qui in Lucensi agebat conventu, cui tum præpositus erat Petrus Martyr, a quo Zanchius unacum pluribus aliis Zwinglii errores hauriebat, cumque intimæ amicitiæ vinculo Brentio junctus esset, ambo Nuntium Argentinam venisse edocti illum adibant, comitantibus eos pluribus Venetis, qui novæ sectæ nomen daturi patriam suam relinquebant: igitur hos Delphinus rara benignitate excepit, eisque monita charitatis plena suggerens satis aperte ardentissimum, quo flagrabat, illos ad Ecclesiæ sinum revocandi studium testatus est, nec conatui suus defuit successus; quippe Zanchius Nuntii rationibus devictus, a reliquis secessit, ei submissa voce significans, quod remotis

tis arbitris illi colloqui, eique quædam Religionis dubia proponere peroptaret. Ad hujus vota capite annuit Nuntius: itaque Zanchius revertitur, prolixumque cum Delphino sermonem instituit, cui aderat etiam Sturmius itidem Protestantium veneno infectus, qui tamen, cum in ea urbe denuo in Nuntii ædibus conspici nollet, illum in quodam loco prope urbem unacum Zanchio convenit. Sæcul. XVI. A.C. 1561.

§. XLIV.

Dubia Nuntio a Zanchio, & Sturmio proposita.

Erat Zanchius ex omnibus Protestantibus certe moderatissimus, qui de Romana Ecclesia semper tanquam Matre sua loquebatur, atque ad illius sinum illico redire paratum sese exhibebat, dummodo illa a quibusdam corruptelis, quæ, ut inquiebat ipse, in ejus fidem, ac disciplinam irrepserant, expurgata esset: insuper Sturmium ab ejusmodi consiliis haud adeo alienum esse affirmabat: igitur hi Nuntio declarabant, quod eorum vota unice eo collimarent, quatenus redintegrata unione postea ad Catholicæ Ecclesiæ gremium redire possent, ita tamen, ut non cum ignominia sontium, quibus venia est indulta, sed cum dignitate Virorum de Religione

Pallav. n. 2. & 3.

Epist. Delph. ad Borom. 13 Jun. 1561. August. in Arch. Vatic. & ejus summa in Bibl. Barbar.

Sæcul. XVI A.C. 1561.

ne bene merentium, quibus præmium deſtinatur, inter Catholicos agere valerent. Hæc prona utriusque voluntas placuit Delphino, quocirca ad Cardinalem Borromæum ita perſcripſit: „mihi „viſum eſt conſultius, Divinum Paulum „Apoſtolum imitari, qui in epiſtola ad *Philipp.* 1. *v.* 15. & 18. „Philippenſes, conſpicatus Chriſtum præ„dicari ab aliquibus propter invidiam, „& contentionem, ab aliis propter re„ctam voluntatem, in ea tandem verba „prorupit:„ quid enim? dum omni modo, ſive per occaſionem, ſive per zeli veritatem Chriſtus annuntietur: ex his autem verbis inferebat Delphinus, prudentiæ legibus conſonum eſſe, ut ex hiſce Proteſtantibus ſaltem id, quod posſunt, eliceretur, etſi illud quod pollicentur, obtineri non valeret.

Ceterum Zanchius Nuntio ſequentes proponebat conditiones, ſeu animi ſui opiniones, I. Adhibeatur moderatio auctoritati nunc attributæ Romano Pontifici; quippe quæ veteri Eccleſiæ conſentanea non videtur: II. Ferantur in Concilio ſententiæ juxta purum Dei verbum, & ſecundum Patrum antiquiorum doctrinam: III. Solvantur Epiſcopi a jurejurando, quo Pontifici obſtringuntur, adeo, ut libere & ex conſcientiæ ſuæ judicio loqui poſſint, IV. primo loco haud numeroſi quidam cœtus doctiorum

rum Præsulum habeantur, quibuscum conferre sermonem possent Theologi Protestantium; ii vero postmodum secreta sua suffragia promant, antequam in ampliori conventu quidquam decerneretur, cum existimarent hæretici, in multis e Catholicis Episcopis scientiam desiderari. Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Ad hæc Zanchii postulata, seu monita respondens Nuntius, præprimis summi Pontificis auctoritatem merito extollebat, eamque ex Theodoreto, Chalcedonensi Concilio, Sancto Hieronymo, aliisque comprobatam reddebat (*). Ad alterum caput progressus Delphinus, in quo petebatur, ut in Concilio res dijudicaretur ex solo Dei verbo, & veterum Patrum sententia, hæc dixit: „id aliis licet vocibus exprimatur, i„dem tamen est, ac omne pondus aucto„ritatis adimi superioribus Conciliis, & Pon-

(*) Addit Pallavicinus l. c. tantam testimoniorum copiam Delphinus produxit, ut Zanchius admirabundus dixerit, velle se accuratius super ea re auctores veteres consulere, cui subjecit Nuntius: id quidem ageret, sed legeret sinceros codices, ac fideles interpretes; cum contigisset, ut Oecolampadius in sua Theophylacti translatione locum quemdam perverteret.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

„Pontificis decretis.„ Ad tertium vero Nuntius palam edixerat: si Episcopi jurejurando solverentur, id ex una parte vanum, ex altera offensionibus obnoxium futurum. Denique circa quartum ostendit, quod veneranda antiquitas contrarium usum fuerit secuta. Ceterum hoc colloquium longius protrahebatur, totaque illius summa ad Papam, atque Legatos fuit transmissa, a quibus responsum, quod Protestantes in Synodo cum ingenti lætitia sint recipiendi, omnisque securitas ipsis ibidem concedenda, atque illi cum summa benignitate atque mansuetudine habendi. Verum hoc colloquium haud uberiorem nanciscebatur successum.

§. XLV.

Nuntii colloquium cum Paulo Vergerio.

Pallav. c. 10. n. 13.

Pariter Petrus Paulus Vergerius, cujus frequens alibi mentio occurrebat, Nuntio colloqui desiderabat, quapropter interdum solus, nonnunquam vero unacum Sturmio Argentinam, aliaque in loca magis vicina venerat: cum vero solus cum Nuntio conferret, majori cum libertate agebat, præsente autem Sturmio sua verba magis caute ponderans majori etiam circumspectione utebatur, atque una ex parte ingens

gens in Italiam redeundi desiderium præseferebat, ex altera tamen vehementius invehebatur in eos, a quibus se oppressum credebat, imo ne ipsi quidem Pontifici parcebat, & præcipue Joannem de Casa apud Venetos Pontificis Nuntium accusabat, quod ipsum ad suam a fide defectionem compulisset: cum vero Nuntius illum hortaretur, ut sese rursus Ecclesiæ aggregaret, ac veterum suorum Patronorum, qui tanquam Legati ad Synodum destinati erant, clementiam imploraret, Vergerius ingenue quidem fatebatur, quod illis pene innumeris titulis obstrictus esset, sectam tamen, quam amplexus fuerat, ejurare, atque ad veritatis semitam, a qua misere deviabat, regredi abnuebat. Postea ad Mantuanum Cardinalem, qui ex Legatis unus erat, duas dedit epistolas, easque Delphino tradidit, qui illas etiam, priusquam huic Cardinali consignari curasset, Romam transmisit. Profitebatur in illis Vergerius summum erga patriam suam, atque Ecclesiæ pacem studium, & suam quoque operam ad tam excellens opus offerens indicabat, a se non parum auxilii allatum iri, si hunc Legatum alloquendi copiam haberet. Verum de suo errores revocandi animo nullum dabat indicium, sed duntaxat a Concilio, & Cæsare, ut tuto

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

Tridentum venire posset, publicæ securitatis literas petebat.

Lit. Borrom. 20. Maji 1561. & epist. Mant. ad Borrom. 8. Jun. 1561

Verum Mantuanus Cardinalis, cujus prudentiæ Pontifex hoc negotium commiserat, huic hæretico responsum dare, minus consultum censebat, ratus, quod se a Pontificio Legato epistolam accepisse jactanter divulgans, hoc favore abuteretur, ut Protestantibus persuaderet, se a Romanæ Ecclesiæ Præsulibus tanquam Virum meritis uberrimum haberi, atque illius ad eandem reditum largissimo pretio, ac præmio coemi. Nec etiam Cardinalem sua fefellit opinio; quippe Vergerius vir erat arrogantia tumens, suiipsius idololatra, ac meriti, quo tamen aut omnino carebat, aut sat exiguum habebat, fiducia plenus turpibus hisce vitiis adjunctam habebat immodicam ambitionem: eapropter Mantuani cautela plurimum fuit commendata, prout patet ex literis, quas Cardinalis Borromæus hac super re ad eundem dederat: quinimo Nuntius, postquam Vergerii arrogantiam, atque imprudentiam indies magis crescere significabat, omnem cum eo consuetudinem deinceps abrumpere jubebatur. Equidem Legatus desiderabat, ut Vergerius nequaquam solus, sed unacum Sturmio, & Hieronymo Zanchio ad Synodum vocaretur, ibidemque

Lit. Borrom. ad Mant. 18. Jun. 1651. & epist. Borrom. 10. Octob.

que eorum opera novum cum hæreticis colloquium inſtitueretur: verum Papa hoc Legati conſilium reprobabat, haud ignarus, quod ii duntaxat ad Synodum acceſſuri eſſent, ut magis manifeſta pertinaciæ ſuæ ſpecimina ederent, indeque apud ſuæ factionis homines potius ampliorem ſibi famam aucuparentur, quam ut ad Eccleſiæ Catholicæ gremium redire ſtuderent. Sæcul. XVI. A.C. 1561.

§. XLVI.

Pontificis diploma circa Concilium a Vergerio impugnatum.

Hoc item anno Vergerius Argentinæ agens adverſus Pontificis diploma, quo Concilium indicebatur, infamem edidit libellum, in quo petulanter, ac prolixe invehebatur contra Romanæ Curiæ faſtum, luxum, ambitionem, avaritiam, corruptosque mores, quos nequiter admodum exaggerabat, hæc addens: „Concilium a Pontifice non „prout oportuit, indictum eſt; nam non „ad ſtabiliendam Chriſti doctrinam, ſed „ad firmanda infirmæ carnis divinis „mandatis adverſantis commenta, non „ad purgandum ovile Dominicum, ſed „ad diſſeminandos hominum inveteratos errores, nec ad chriſtianam li„bertatem, ſed ad miſerarum animarum „ſervitutem, & oppreſſionem inſtitutum vide- *Thuan. l. 28. n. 7. Ceremon. Rom. l. 1. c. 3. ſect. 24.*

Sæcul. XVI A. C. 1561.

„videtur, quippe in eo juxta cæremo-„nialis Romani præceptum, quod habe-„tur lib. 1. c. 3. sectionis decimæ quar-„tæ, Episcopi duntaxat, Abbates, & ii „omnes conveniunt, ac subscribunt Præ-„sules, qui secundum formam jura-„menti, quod ad dignitates promoti „exsolvunt, ad Synodum venire tenen-„tur; inferiores autem Ecclesiastici, ac „sæculares Principes consulendi, ac in-„struendi, non autem deliberandi, & „decernendi gratia interesse permittun-„tur: inde autem evenit, ut non solum „illi, qui ob crassos, & erga Deum con-„tumelioſos errores se ab Ecclesia Ro-„mana separarunt, contra promissum a „Paulo III. ad Synodi initia factum non „audiantur, sed ut multi, ac peritiores „ex illiusmet Ecclesiæ gremio Doctores „ad sententiam dicendam non admit-„tantur, hinc libertas, in qua spes sar-„ciendæ concordiæ reliqua erat, omni-„no auffertur, atque ad sciſſuram nun-„quam e domo Dei eliminandam ja-„nua aperitur.„

§. XLVII.

Canobius a Papa ad Cæsarem ablegatus.

Pallav. cap. 9. n. 1. & 12.

Cum hæ calumniæ ad irritandos Germaniæ Principes essent divulgatæ, hinc Papa suos Nuntios ad eosdem ablegare

legare ſtatuit, ac primo Canobium ad Cæſarem decernebat, ſpecietenus quidem, ut Bohemiæ Reginæ roſam auream deferret, re tamen ipſa, ut cum Imperatore de pluribus, variisque negotiis ageret. Præprimis ergo Canobio injunctum, ut apud Ferdinandum, & Bavariæ Ducem excuſaret, quod Papa cum Caraffis juxta æquitatis leges ſeverius agere fuiſſet compulſus, ſimul vero utrique comprobatum redderet, quod conſcientiæ lex vetuiſſet mitius agere: Verum præcipua huic Nuntio mandata dabantur circa proximam Synodum; quapropter Viennam delatus exponebat, quod a Pontifice duo Legati Gonzaga, & Seripandus jamjam Tridentum miſſi, & ad maturandum Synodi initium ingentes habiti fuerint apparatus, atque ideo Sanctitas ſua impenſe rogaret Cæſarem, ut omnes Germaniæ Epiſcopos ſtatim, ac Synodus inchoari poſſet, ad Tridentinum iter paratos eſſe curaret: cum vero Canobius Papæ Nuntius haud ignoraret, quod Cæſar exoptaret, ut ipſemet ſummus Pontifex unacnm Patrum Senatu Concilio intereſſet, hinc eidem expoſuit, quod Papa, licet ſemper Cæſaris votis non modo annuere, ſed etiam ea prævenire paratus eſſet, in præſenti tamen rerum viciſſitudine eundem rogaret,

Sæc. XVI. A C. 1561.

Sæcul. XVI. A.C. 1561. quatenus huic postulato minime a Papa satisfieri posse, ipsus consideraret, eoquod res ibidem nondum satis essent digestæ, quapropter Pontifex potius cum Cæsarea Majestate colloquium Bononiæ habere desideraret, ut ibidem communi consensu ea, quæ ad maturandum hoc negotium expedirent, decerni possent.

His quoque addebat Canobius, quod sibi a Cæsaris Oratore Romæ fuisset significatum, præstolari Imperatorem responsum a Papa, cum autem hic, de quo respondeat, ignoraret, hinc de Cæsaris mente certior reddi velit: cum autem in prioribus Synodis consuetudo tulisset, ut Græcorum Imperator, atque hujus Nationis Principes ad Concilium vocarentur, idcirco Papa Cæsaris arbitrio relinquit, an ad eam Legationem aut Commendonum nunc Lubecæ agentem, aut Delphinum decernere velit.

§. XLVIII.

Cæsaris Responsum ad Papæ Nuntium.

Pallav. n. 3. Ad hæc respondit Ferdinandus, „fieri „non potest, ut Germaniæ Episcopi „eo mittantur; vobis enim ipsis sat com„pertum est, quam periculosa evaderet „absentia, nisi forte pariter ad Syno„dum

„dum pertraherentur Proteſtantes, aut „ſaltem eorum violentiæ reprimerentur, „in qua cura defixus eſt animus meus: „de cetero reſponſum, quod a Pontifice „exſpecto, Naumburgenſis Conventus „decretum concernit:„ Ceterum Ferdinandus nullam fecerat mentionem de congreſſu, quem Pius IV. ſe cum Cæſare Bononiæ habiturum ſperabat, Papæ tamen conſilium de Moſcoviæ Duce, ac Poloniæ Rege ad Synodum invitandis deprædicabat, ac tandem inquiebat, quod Hoſii, & Canobii prudentiæ committat, num Delphinum, vel alterum ad hoſce Principes decernere expediat. Sæcul. XVI. A.C. 1561.

§. XLIX.

Canobius Poloniæ Regem inviſens, atque in Moſcoviam contendere ab eo deterritus.

Hæc tamen Legatio coñittebatur Canobio, quem Poloniæ Rex perbenigne excepit, pollicitus, quod ſuos Legatos æque, ac Epiſcopos ad Synodum ablegare velit: verum in Moſcoviam tendere, Nuntio diſſuadebat, eoquod tum inter Polonos, & Moſcovitas atrox bellum ferveret, ac nequidem Nuntio liber, ſecurusque pateret tranſitus per hoſce ſchiſmaticos populos, qui jurati *Pallav. n. 4. Thuan. l. 26.*

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

latinæ Eccleſiæ hoſtes omne cum Cæſare commercium, aut cum alio quovis Principe, vel ejus Oratoribus reſpuunt: nihilominus Sigismundus Auguſtus Rex Canobio literas commendatitias ad Boruſſiæ Ducem ſupremum Teutonicorum Equitum Magiſtrum dedit, eo fine, ut illum ad favorem Synodo præſtandum induceret. Verum hic Princeps Nuntio reſpondit, quod conſcientia ſtimulatus acceſſerit ad Auguſtanam Confeſſionem, nec ſupremam in Romano Pontifice dignitatem agnoſcat, adeoque ſibi non licitum ſit aſſentiri Concilio per eum convocato.

§. L.

Nuntius ad Helvetios a Papa decretus.

Pallav. c. 9. n. 8. Sarpius hiſt. Conc. Trid. l. 6. p. 423.

Inſuper ſummus Pontifex ad Helvetios, qui tum Badæ prope Tigurum ſua habebant comitia, Joannem Antonium Vulpium Noviocomenſem Epiſcopum ablegabat, qui Nuntius adeo benevole excipiebatur, ut quidam Tigurini Magiſtratus Senator, ſi tamen Sarpio fides habenda, Pontificis diploma a Canobio traditum *deoſculatus fuerit, ac Papa*, ut proſequitur idem Scriptor, *ea re cognita continere ſe haud potuerit, quin omnibus apud ſe reſidentibus Legatis eam rem cum maxima lætitiæ ſignificatione renuntia-*

nuntiaret. Postmodum Synodi propositio, cum in hoc Helvetiorum conventu ad deliberationem vocaretur, nequaquam eadem submissione excepta fuerat; quinque enim hæreticarum Tribuum Procuratores varias obtendebant excusationes, quibus Pontificis voto annuere sese præpediri affirmabant: alii vero caussabantur, quod ad id debitis haud instructi mandatis, nihil ex proprio arbitrio hac super re decidere vellent: alii denique asserebant, quod nondum certi essent, an Principes ad hoc consentirent: insuper clarius adhuc alii mentem suam promebant, dicentes, quod diversam profitentes Religionem ea, quæ sibi a Romanis transmissa fuissent, acceptare nequirent: Verum reliqui octo Pagi, quorum septem sunt Catholici, atque ex illis unus Catholicis, ac hæreticis permixtus, suos Deputatos ad Synodum mittere, necnon ejus decretis sese submittere pollicebantur. Sæcul. XVI. A.C. 1561.

§. LI.

Commendonus Leodium, Aquisgranum, aliasque in urbes delatus.

Sperabat Imperator, se a Daniæ Rege abs dubio publicæ securitatis literas eo fine obtenturum, ut Commendonus illius ditiones adire, eumque ad Synodum *Pallav. c. 7. n. 3. & 4. Gratian. l. 2. c. 4.*

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

dum invitare posset, cum igitur Commendonus Cæsaris responsum hac super re præstolaretur, interea agere statuit cum Leodiensi Episcopo, qui Marchionis Bergensis Patruelis non modo generis nobilitate, sed & virtutum eminentia longe illustrissimus erat. Hic Præsul Synodo se obtulit, non solum prompte, sed & hilari animo, & quamvis gravibus morbis afflictaretur, infirmaque corporis habitudine langueret, nihilominus Sedis Apostolicæ Nuntius flagrantissimum ejus studium, ac indefessam hujus Præsulis solertiam in Diœcesis suæ regimine haud satis admirari poterat. Postea Commendonus Aquisgranum petiit, ubi de Religionis fervore horum civium summopere lætabatur; hi enim plusquam quingentos hæresi infectos urbe sua expulerant, lege ab eis condita, ne deinceps cuipiam liceret Magistratum adire, nisi prius se Catholicum esse, atque in Religione orthodoxa usque ad mortem perstiturum jurejurando contestaretur. His itaque Nuntius Papæ literas tradidit, omnesque palam profitebantur, quod Synodi decreta inviolabili obsequio acceptare, necnon summo Pontifici sese integra fide subjicere semper parati essent.

§. LII.

Sæc. XVI. A.C. 1561.

§. LII.

Nuntius in Belgium redux Administratricem, & Granvellanum Cardinalem visurus.

Commendonus magis adhuc præclara zeli sui erga religionem specimina edebat, cum in Belgium reverti jussus sibi obstringere satageret Margaritam Austriacam Parmæ Ducissam, Notham Caroli V. filiam, ac Belgii Administratricem, necnon Granvellanum Cardinalem, quem tanquam primum Regii Senatus Ministrum Philippus II. Margaritæ adjunxerat. Hic idem Præsul ingenii acie, animoque literis apprime exculto insignis insuper ingenti Religionem in sua integritate conservandi studio flagrabat: præterea summam erga Principes submissionem populo inspirare maximopere studiosus erat: igitur cum illo Commendonus circa magis opportuna fidem roborandi, atque ab hæresibus, quæ in nobilioribus Europæ ditionibus religionem debellabant, vindicandi media frequens habebat colloquium, inde vero ambo sæpius optatam nanciscebantur occasionem, qua vicissim ingenii sui excellentiam, solidamque judicandi vim patefacere possent. Ceterum non deerant, qui iter in

Pallav. c. 7. n. 5.

Sæc. XVI. A.C. 1561.

in Daniam Commendono diſſuadere nitebantur, ac præprimis Adminiſtratrix, & Granvellanus, qui itidem Nuntium ab hoc itinere abſterrere cupiebant, eidem hujus Regni Principem depingebant tanquam Regem adeo parum Romanæ Curiæ propenſum, ut potius timendum, ne ſummi Pontificis dignitatem temerario auſu vilipenderet: quocirca conſultius fore dicebant, ſi ad illum duntaxat Pontificis literæ mitterentur. Verum repoſuit Commendonus: „Siquid imperat Princeps, non „eſt Miniſtri illud in deliberationem, ſed „in opus deducere; de cetero autem „Pontifex pluris habet charitatem, „quam dignitatem ſuam.

§. LIII.

Pontificis diploma ad Granvellanum circa Baji cauſſam datum.

Bajana ſeu 2. pars oper. Baji p. 35. & 194.

Commendonus, donec iter ſuum aggredi poſſet, interea Lovanium contendit, ut ſedaret tumultus, quos Michaelis Baji cauſſa inter hujus Univerſitatis Theologos ſuſcitare cæperat, prout jam anno priori memoravimus. Hanc in rem ineunte hoc anno Granvellanus Cardinalis ad Pium IV. Papam literas dabat, ſupplex, quatenus utrique contendentium parti ſilentium imponendi facultatem ſibi impertiri vellet: ita-

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

itaque Pontifex ejus precibus lubenter annuens, transmisso diplomate Cardinali ampliorem agendi auctoritatem concedebat, priusquam vero is hujus diplomatis facultate uteretur, Bajum, & Hesselium adesse jussit, atque utrumque sibi a consiliis esse, atque ampla pensione honorare voluit, quo beneficio illos sibi adstringens præsentes exposuit dissensiones, ab utroque postulans, ut sese plene subjicerent Sacræ Sedis judicio, ac Synodi decretis. Acquievere ambo Doctores lubenti admodum animo: porro postea consilium petebat a supremo Franciscanorum Ministro, qui ad tollenda hæc dissidia nullum aliud magis opportunum subesse dicebat remedium, nisi ut silentium utrinque servetur: insuper pollicebatur, quod ad illud Ordinis sui Religiosos adstringere vellet: nec minus idem Granvellanus Cardinalis ab Universitatis Doctoribus petiit, obtinuitque: quantocius igitur Cardinalis tam prosperum conatus sui successum Hispaniæ Regi significabat, hancque in rem die decima octava Octobris ad eundem Bruxellis literas dabat, quibus Orthodoxam Baji, & Hesselii doctrinam, scientiam, ac pietatem pluribus commendabat, gravi sermone Regi exponens. quod non minus ipsi periculosum, quam Ecclesiæ noxium

Lit. Card. Granvel. quæ Vesontii in Abbatia S. Vincentii asservantur.

Sæcul XVI. A.C. 1561.

noxium foret, si nimia severitate hi Doctores ad extrema, quorum exitus utrinque pernicioſiſſimus esse posset, adigerentur, proin suadendum potius, ut in toto hoc negotio lenitatis via incedatur. Placuit Philippo Regi Cardinalis monitum, quocirca die decima septima Novembris Madrito datis ad eum literis respondit, quod hæc causſa nulli aptius, quam ipsimet committi posset, ac propterea illum rogaret, ut deinceps suam in ea sollicitudinem impenderet, omnesque has dissensiones ea, qua poterit, promptitudine sedare niteretur. Verum Baji hostes promissum hoc silentium adeo non servabant, ut etiam præ ceteris priores altercationem rursus accenderent, Granvellano supplicem porrigentes libellum, in quo plures propositiones huic Doctori adscriptas proferebant, easque ferme omnes tanquam de errore, aut hæresi suspectas denuntiabant: illas vero Cardinalis communicabat Bajo, qui dato responso quantocius illas remisit.

§. LIV.

Bajus, & Hesselius ad Tridentinam Synodum nominati.

Pallav. c. 7. n. 8. Bajana l. c.

Sub idem tempus Commendonus, qui tum in Belgio agebat, edocebatur, quod Bajus, & Hesselius, ut ad Tridentinam

nam Synodum irent, ab Universitate fuissent nominati: cum autem de horum discessu, ac felici exitu dubitaret, hac super re ad Mantuanum Cardinalem Synodi Legatum perscribens eidem exposuit, quod non minus periculum excitet concedendus iisdem, quam denegandus ad Synodum accessus: data enim abeundi copia timendum, ne suos errores libere divulgent, novosque tumultus præcipue in Germania concitent: repulsa autem facta, vix non certum, quod Protestantes inde contumaciæ suæ tegumentum sint accepturi, caussantes, nolle se interesse Concilio, in quo Doctorum Catholicorum, qui eruditionis fama clari sint, linguis frænum injiciatur. Sæcul. XVI. A. C. 1561.

§. LV.

Commendoni judicium de utroque hoc Doctore.

His insuper addidit Nuntius: „Nolo quidem infaustum præsagium de hujusmodi viris præcinere, pestilentia „tamen grassante omnis morbus in contagionem facile commigrat; nam compertum mihi est, quod Ruardus Taperus in theologicis disciplinis Lovanii præclarus, cum is in illa Academia „docens, in Bajo, & Hasselio, tum adhuc studiosis, & juvenibus infaustam „ingenii, & audaciæ conjunctionem ob-

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

„ſervaret, ſolitus fuerit dicere, ſe nonniſi „ſchiſma ab illis præſtolari, & propterea „theologicam ipſis lauream concedere „diſtuliſſe, cum profecto viderentur ſcien„tiæ ſuæ nimis amantes, quamvis alio„qui probi, & modeſti crederentur: „porro hæc illa verba ſapienter uſurpa„vit, digna, quæ a nobis repetantur: „cum cujusque ſuperbia in ea arte, quam „profitetur, ſita eſt; inſuper illis favent „plerique ex iis, qui theologiæ ſtudium „abſolverunt, & plures, ut vocant, Bac„calaurei, necnon dimidia fere Docto„rum pars, quorum aliqui contraria im„buti doctrina ad novos Epiſcopatus in „illis provinciis erectos, recens admo„ti erant: remanſerat idcirco Lovanii „eorum factio, & eo validior, quod nume„ro præſtans, & fortaſſe infenſa, quaſi „poſthabita. Bajus profitetur quidem „ſe Apoſtolicæ Sedi admodum obſequen„tem, attamen ab aliqua ipſius voce „ſuſpectus redditur: Alius etiam in A„cademia antiquiſſimus Doctor erat, qui, „cum Bajum inviſeret, leniſſimam ad „ipſum cohortationem habuit, ut omne „certamen præcideretur in ea Acade„mia, quæ columen Eccleſiæ dici pote„rat, quam etiam admonitionem æqui, „bonique conſulere videbatur, ſed po„ſtea ſcripſi ad illum Epiſtolam, in qua „ipſum

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

„ipsum rogabam, ut sub obtentu suam „vindicandi innocentiam suas doctrinas „in examen adduci, ac de ipsis disputa- „tionem fieri permitteret: cum nol- „lem hunc Theologum seu refellen- „do exacerbare, seu laudando in sen- „tentia obfirmare, seu silendo penitus „a me alienum reddere quasi despectum, „attamen ipse excusaverat se apud eum, „qui epistolam ei detulerat caussatus, „quod, cum extemplo inde discessurus „esset, responsum scripto remittere non „liceret, amicas tamen salutationes „suas oretenus reddere vellet.„

Raynald. ad hunc ann. n. 4 Pallav. c. 7. n. 9.

§. LVI.

Commendoni literæ ad Cardinalem Mantuanum de hisce Doctoribus.

Insuper Sedis Apostolicæ Nuntius ad Mantuanum Cardinalem perscripserat, quod tunc temporis colloquio fuerit usus cum Hesselio, opera Everardi Mercurini, qui tum Jesuitarum Provincialis erat, & postmodum S. Francisco Borgia circa annum millesimum quingentesimum septuagesimum tertium fatis functo supremus ejusdem Societatis Moderator evasit. „In hoc colloquio „inquiebat Commendonus, de Hesselii „probitate, ac eruditione haud medio- „crem concepi existimationem: cum „autem eidem grave detrimentum, quod

Sæcul. XVI A.C. 1561.

„propter illum passura esset Ecclesia, ob„jicerem, illumque hortarer, ut cuncta „hæc dissidia sedare vellet, hic Theolo„gus ad revocandam pacem totum stu„dium impendere, paratus videbatur: „Verum in hac occasione non minus „æmulorum vehementiam, quam illo„rum pertinaciam reformido: etenim „hi, cum hujus Doctoris dogmata in Hi„spania a Complutensi, & Salmanticensi „Universitatibus proscripta cernerent, „crescente eorum audacia, atque æqui„tatis fiducia minabantur, se Romam „scripturos, curaturosque, ut hæ pro„positiones ibidem tanquam hæreticæ „damnarentur: idcirco hac in re meum „est consilium, ut summus Pontifex, „caussa ad tribunal suum evocata, omni„bus silentium imponat, interim vero „operam det, ut ambo hi Doctores Tri„dentum pergant, ubi Legatorum soler„tia facile illi cum suis hostibus recon„ciliari possent. „

Interim Mantuanus, & Seripandus Cardinales, qui jamjam ante Synodi initium Tridentum pervenerant, varia excogitabant consilia, quibus Commendono communicatis ab eo sciscitabantur, quid demum ille hac in re sentiret. Is censebat, quod summus Pontifex, quin Baji, & Hesselii nomina proderentur, diploma ederet, vi cujus Patres Franciscani,

ciscani, aliique circa hasce controversias disputare prohiberentur: interea vero ambo hi Theologi sub honoris specie ad Synodum mitterentur, iisque quoque duo magni nominis Doctores Lindanus, & Titelmanus adjungerentur, maxima celeritate eo profecturi, ut Legati, priusquam Synodi negotiis graviter distenti essent, libere cum illis agere, eosque sibi devincire valeant. Primum hujus consilii caput mox effectui datum, alterum vero, scilicet utriusque Doctoris Baji, & Hesselii discessus, usque ad anni millesimi quingentesimi sexagesimi tertii initium differebatur, eo autem tempore soli ab Hispaniæ Rege Tridentum decernebantur. Sæcul. XVI. A.C. 1561.

§. LVII.

Erfordiensis Principum Protestantium Conventus.

Ferventibus hisce dissidiis Protestantes Principes suum Erfordiæ, prout jam antea decreverant, celebrabant conventum, cui intererant quidam horum Principum Consiliarii, nec tamen circa doctrinam inter eos concordia conciliari poterat; nam fervebat præcipua, magisque pertinax discordia circa Christi præsentiam in Eucharistia; quamvis enim Protestantes ad concordiam seu quærendam, seu potius simulandam, *Pall. l. 15. c. 8. n. 1.*

Sæc. XVI. A.C.1561.

novam ibi confessionem confeciſſent, cui plures civitates, pluresque Imperii Ordines ſubſcripſerant, necdum tamen inter eos erat opinionum conſenſus; quippe unice conſpirabant in molienda Catholicorum pernicie, cum inter ſe diſtribuerent deſtinata jam ſpolia Eccleſiarum omnium, ſtuderentque, ſi poſſent, Imperii ſceptrum auferre ab Auſtriaca familia, quæ ipſis quaſi cedrus videbatur, ex annorum diuturnitate cariem hæreſis nunquam paſſura: quocirca tunc novi Romanorum Regis electionem impedire nitebantur; cum enim Ferdinandus Maximilianum filium ſuum eligi curaret, hæretici illo excluſo Daniæ Regem nominari petebant, eoquod hic Princeps eſſet illis ſectæ ſocietate conjunctus, ſanguine aliqualiter Germanus, tantaque potentia præditus, ut contra hoſtium ſuorum inſultus Imperii dignitatem tueri poſſet: hinc indies decreſcebat in Commendono ſpes, qua DaniæRegem a Proteſtantium fœdere ſejungere, illumque ad Synodum allicere optabat, ſperabatque, ab eo ſaltem ſuos Legatos eo decernendos.

§. LVIII.

Commendonus Lubeca in Sueciam contendere juſſus.

Interea

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Interea Imperator nullum non movebat lapidem, ut publicæ ſecuritatis literas obtineret, quibus Nuntius probe munitus tuto in Daniam pergere poſſet: eapropter Cæſar ad Caſparum Scenichium perſcripſit, quem Nuntio tanquam Imperatoris Deputatum, itinerisque ſocium adjunxerat, ne in ullo Imperii loco hujus Sedis Apoſtolicæ Nuntio injuria inferretur: inſuper Caſparo negotium dedit Cæſar, ut a Daniæ Rege publicas ſecuritatis literas impetrare urgeret. Hac ſpe fretus Commendonus ineunte Menſe Julio e Belgio profectus, Lubecam, ſeu Trevam urbem in Imperii finibus prope mare Balticum ſitam pervenit, ubi Regis reſponſum præſtolabatur: cum vero aliquamdiu Lubecæ moraretur, in Sueciam contendere juſſus eſt, eoquod Oſius ex Pontificis conſenſu eundem ad hoc iter ſuſcipiendum ſelegiſſet: porro paucis poſt diebus Daniæ Rex Scenichio hæc in reſponſis dari præcepit: „tuus acceſſus, cum a Cæſare Domino „tuo, atque avunculo meo miſſus es, ac„ceptiſſimus mihi erit, & libenter, ubi „ſolus ad me perges, te Haffniæ ex„ſpectabo: quod autem ſpectat ad Pon„tificium Nuntium, qui ſimul ad me „ſcripſerat, cum compertum ſit, quod ne„que Regio parente meo vivente ullum

Pallav. c. 8. n. 2. Gratian. l. 2. c. 4. Lit. Commend. ad Borrom. Trev. 11. Julii & ad Mant. & Oſium 28. Julii.

Sæcul. XVI. A.C 1561.

„unquam commercium interceſſerit, „hinc deliberandum prius eſt, num „expediat aliquam cum Romano Pon„tifice communicationem habere; quare „in hoc rerum articulo ſatius puto, „Nuntio petenti, ut ad meas ditiones, „& colloquium admittatur, nequaquam „aſſentiri: proinde te rogo, ut id ſigni„fices Nuntio, illique ſuadeas, quate„nus ſuſceptum a me conſilium æqui, „bonique conſulat.

§. LIX.

Reſponſum a Suecorum Rege Commendono datum.

Gratian. vit. Commend. l. 2. c. 3. epiſt. Regis Sueciæ ad Comm. 24. Aug. 1561. lit. Comm. ad Borrom. 1. Sept.

Nihilominus Commendonus aliquamdiu Lubecæ ſubſiſtens ibidem ſecuritatis cautionem a Suecorum Rege præſtolabatur: verum hic Princeps, cum paratus eſſet cum valida claſſe in Angliam trajicere, ab Eliſabetha Regina inani ſpe conjugii illectus, hinc duntaxat die vigeſima quarta Auguſti ad Nuntium literas dabat, in quibus illum tamen *Reverendiſſimum Patrem*, *ac Romani Pontificis Legatum* appellabat. Ceterum hic Princeps, quamquam in Lutheranorum erroribus inſtitutus eſſet, ut tamen ſibi Eliſabethæ animum, cujus magnopere affectabat nuptias, conciliaret, Calvini etiam ſententiam amplexabatur.

Epi-

Epistolæ, quam ad Commendonum perscripserat, sequens erat tenor: *Quia de nostra ad Serenissimam Angliæ Reginam profectione hactenus incerti fuimus, factum est, quo minus ante hoc tempus certum locum nostri congressus vobis designare potuimus: jam vero postquam animum induximus, & certo decrevimus primo secundo vento spirante, in Angliam vela facere, noluimus vobis hoc ipsum celare: nam modo vobis placeat nos in Angliam sequi, ubi vestram audire legationem, quamprimum de vestra præsentia apud nos in Anglia certi facti fuerimus, minime gravabimus: quod ad fidem publicam attinet, quamvis absque ea tuto vos accedere, & immunitate Legatorum frui, & gaudere potueritis: quia tamen vobis literas publicæ fidei, ac securitatis præstari postulatis, ne videamur vobis ex aliquo velle deesse, eas per præsentem tabellarium ad vos mittimus, & vos favore, & benevolentia complectimur.*

Sæcul. XVI. A C. 1561.

Acceptis hisce literis Nuntius in Flandriam regredi statuit, ibidem in Angliam, quamprimum de Regis adventu ad hoc regnum certior factus esset, navigaturus. Ceterum haud obscure præsentiebat, quod illum ibidem ægre admodum convenire posset; dubitabat enim, ne a Regina Angliam ingredi prohiberetur, quantumvis nonnisi extero Regi colloqui desideraret: nihilominus

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

minus aliquot menſes in Flandria ſubſtitit, Rex vero Sueciæ, poſtquam ter incaſſum Angliam verſus ſolviſſet, ſemperque a vento adverſo repulſus fuiſſet, terreſtri itinere eo pergendi conſilium inire cogebatur.

§. LX.

Ampla Daniæ Regis conſilia ſuo exitu fruſtrata.

Pallav. l. 8. num. 7.

Interea Commendonus nuntium accepit, quo ob extrema Religionis decrementa, quæ exinde pertimeſcebat, anxiis admodum curis agitabatur, quippe Fridericus II. Daniæ Rex ad Mariæ Viduæ Scotorum Reginæ nuptias adſpirabat, quinimo, ut fama ferebat, hujus Principis jura, quæ in Angliæ Regnum habebat, reſuſcitare moliebatur, nihilque intentatum, & inauſum relinquebat, ut armorum ope Regno potiri poſſet; firma proſperi ſucceſſus ſpe potiſſimum exinde concepta, quod Eliſabethæ regimen Anglis parum probari crederet: inſuper rumor ſpargebat, quod idem Fridericus Sueciæ etiam Regnum recuperare pararet, id vero, ſi feliciter perficeret, abs dubio inde extremum Catholicis Principibus exitium impenderet: attamen cuncta hæc ut ut ampliſſima Daniæ Regis conſilia evanue-

vanuerunt, omnique ſucceſſu fruſtrata fuere. Sæc. XVI. A.C.1561.

§. LXI.

Commendonus in Belgium redux Romam reverti juſſus.

Itaque Commendonus abjecta Sueciæ Regem conveniendi ſpe Lubeca diſceſſit, ac biduo poſt Hamburgum, quod Cæſareum, atque Hanſenaticum Germaniæ oppidum, in Saxonia Inferiori ad Albim ſitum eſt, delatus iter ſuum Bremam verſus proſequebatur, inde vero Viſurgi nobiliſſimo Germaniæ flumine vectus Holandiam, Friſiam, & Weſtphaliam peragravit, tandem Bruxellis ſubſiſtens, ubi a ſummo Pontifice literas accepit, quibus ſignificatum, quod ejus conſilium de dimittenda Sueciæ Legatione approbaret Pontifex, eique in Italiam redire præciperet; in itinere autem Principes, atque Epiſcopos, quos in Rheni tractu vicinos haberet, adiens ſollicitaret, ut vel ipſimet ad Synodum pergerent, vel ſaltem Legatos ſuos eo decernerent: itaque Commendonus Papæ juſſis prompte obtemperaturus Nancejum contendit, & juvenem Lotharingiæ Ducem inviſit, ubi etiam ejusdem nominis Cardinalem invenit, ac cum eo de variis Religionem tam in Galliis, quam in Scotia concernen-

Pallav. l. c. Gratian. l. c. lit. Borom. ad Commend. 25. Octobr. reſponſ. Comm. 18. Nov. 1561.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

cernentibus negotiis conferebat. Postea Treviros se contulit, indeque Mosellam trajiciens prono Rheni fluvii decursu vectus Assemburgum venit, ubi tum agebat Moguntinus Archiepiscopus ex omnibus Electoribus primus, ac maxime conspicuus. Verum apud Protestantes parum proficeratNuntius; quamvis enim nulli parceret labori, multisque sese subjiceret molestiis, nihilominus tamen pro Synodi incremento nihil ab eis impetrare poterat.

§. LXII.

Valdenses in Delphinatus, & Sabaudiæ montibus.

Petr. de Vaucarnay hist. Albig. Bossuet hist. des variat. l. 11. art. 71. & suiv.

Sinister hic Legationis successus haud parum affligebat Pii IV. Pontificis animum, verum magis adhuc acuebatur doloris sui vehementia, postquam compererat, quod Valdenses in vicinis Italiæ locis dispersi tumultuari inciperent: verum hujus rei Historia ab alto repetenda est. Exeunte sæculo duodecimo quidam prædives Lugdunensis Mercator nomine Petrus Waldo, seu Valdo in Delphinatu ortus magno numero pauperes collegit, iisque ingentes distribuit eleemosynas, qui ideo pauperes de Lugduno passim nominari cœperunt: ast Petrus ex spurio pietatis Zelo in hæresin prolapsus est; credebat enim,

quod

quod ejus Discipuli eadem polleant potestate, qua Sacerdotes, ut proin Sacramenta conficere, & administrare valeant: interim ipse Petrus ob errores suos Lugduno, ubi nonnihil modestius agebat, ejectus fuit, postea vero ruptis omnibus moderationis, ac decentiæ repagulis, quicquid sanctum, sacrumque in Religione est, pessumdare cæpit, sibique tanquam impietatis suæ asylum Delphinatus, & Sabaudiæ montes selegit: porro hi hæretici ad Mont-Cenis, Lusernæ, Angruniæ, Perosue, & Fresconaræ valles sese receperunt, ubi perversa eorum doctrina tam altas egerat radices, ut haud amplius evelli potuerit. Horum Sectatorum primi Anno Christi millesimo centesimo octogesimo primo a Lucio III. Papa fuere condemnati, postea tamen Anno Domini millesimo ducentesimo duodecimo suam doctrinam Romæ approbari petebant: verum ab Innocentio III. repulsam passi, tertio post anno in Lateranensi Concilio IV. proscripti fuerunt, eoquod absque missione prædicandi auctoritatem sibi arrogassent.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

§. LXIII.

Bellum a Sabaudiæ Duce in eos motum.

Hi

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Hi hæretici progreſſu temporis Calvini Sectæ nomen dedere, poſtquam enim illa Genevam infecerat, ipſi eam lubenti animo amplectebantur: cum vero eorum ditionem Galli paulo poſt occupaſſent, illos Taurinenſi Magiſtratui, qui Senatus nomen ſibi vendicabat, ſubjecerunt, eisque indicta capitis pœna Calvini errores profiteri inhibuerunt: hi tamen hæretici illius diſciplinam, ac fidei confeſſionem ſequebantur, quin deſuper fuiſſent vexati, donec Philibertus Emanuel Sabaudiæ Dux poſt Cameracenſem pacem, recuperato ducatu ſuo ad preces, & Pontificis ſollicitationes ſubditos ſuos, qui in iſtis vallibus habitabant, ad officium revocare inciperet, illosque ad Catholicæ Eccleſiæ unitatem reducere niteretur: eapropter ad pii hujus operis executionem tres ſelegerat Viros Thomam Jacomelum Ordinis S. Dominici, hæreticæ pravitatis Inquiſitorem, necnon Turbim, ſeu Corbim Virum ingenio vehementem, ac denique capitalium rerum Præfectum. Hi omnes tres Cariniano accerſiti in ſuſpectos diligenter, ac ſevere inquirere jubebantur: comitis tamen Luſernenſis, aliorumque ex Angroniana valle Nobilium precibus datum eſt, ut remiſſius cum iis ageretur: verum hæc moderatio haud

Thuan. hoc ann. lib. 27.

haud erat diuturna, quippe paulo post plurimi ex iis, qui hasce valles incolebant, rogi supplicio, aliisque pœnis mulctabantur: alii vero ad triremes damnati, & non pauci vitæ gratia donati sunt, ne regio incolis penitus destitueretur: ceterum omnes hæ severitates Sabaudiæ Ducis morbo interrumpebantur. Sæc. XVI. A.C. 1561.

§. LXIV.

Libellus supplex Duci, Ducissæ, ac Senatui a Valdensibus porrectus.

Paulopost Philibertus Sabaudus Ranconius Comes, Vir lenitatis, & patriæ tranquillitatis studiosus ad Angroniam vallem descendit, atque ibi adveniens non sine magna adstantium admiratione concioni, quæ tunc forte habebatur, interfuit, qua benigne audita spurii Evangelii Ministros sevocat, & pauca de Principis ægritudine præfatus nequaquam istas vexationum procellas illius jussu excitatas affirmat, rogatque eos, ut rationem inirent, qua ipsius animus mitigari posset: verum illi ad hæc Philiberti verba responderunt: „non aliud nobis supereſt remedium, „nisi ut ei nostri hujus populi innocen„tiam manifestam reddamus, atque „ea ex caussa jam antea per Carolum Lu- *Thuan. l. 27. num. 3.*

Sæc. XVI. A.C. 1561.

„Lusernæ Comitem eidem libellum offer„re curavimus, quo nostræ confessionis „capita continebantur, sed nescimus, „an hic ad illum perlatus sit, proinde „oramus te obnixe, ut in miserorum „hominum gratiam eodem officio apud „Principem perfungi digneris, oblatis„que tribus libellis, unum Principi, al„terum Margaritæ ejus Uxori, in cujus „æquitate magnum præsidium ponimus, „tertium Senatui tradi petimus.„ Acceptis hisce libellis & re in Principis consilio agitata Raconius Comes ad eos reversus exposuit, quod eorum professio fidei Romam fuerit transmissa, atque ad eam responsum propediem exspectetur.

§. LXV.

Publica cum eorum Ministris disputatio per Pontificem interdicta.

Interea Dux disputationem publicam instituit voluit, in qua quidam Catholicorum Doctores ex una, ex altera vero parte celebriores hæreticorum Ministri in arenam descenderent; cum vero Dux absque summi Pontificis voluntate, ac consensu nihil aggredi vellet, rem eidem proponi jussit, transmissa etiam fidei confessione: verebatur autem Pontifex, ne tunc, si Ducis voluntati cederet, ceteri quoque Princi-

pes

pes Catholici, quorum ditiones Luthe- Sæcul. XVI
ranis, & Calviniſtis infectæ erant, idem A.C. 1561.
poſtularent, aut omnino ejusmodi diſputationes Papa etiam haud conſulto habere molirentur, cauſſaturi, quod id aliis jamjam fuerit conceſſum, hinc Duci in reſponſis dedit: „diſputationem, vel colloquium habere ſupervaneum mihi videtur, cum ipſemet, „ſi Vallenſes hi populi in fide erudiri „volunt, ad eos Nuntium, atque idoneos ſubmiſſurus ſim Theologos, qui „illos veritatem edocerent, atque Eccleſiæ reconciliare poſſent, quamprimum ex eis pronam ſeſe ſubjiciendi „voluntatem experturi eſſent: de cetero „autem exiguus emendationis fructus „ab eis ſperandus eſt tum ob eorum „pertinaciam, tum ob opinionem perperam conceptam, quod erga illos „duntaxat tum lenitatis via adhibeatur, quando eos armis compellendi „vires deficiunt. Denique experientiæ teſtimonio comprobatum eſt, quod „ejusmodi colloquia plerumque fructu „careant, hinc magis conſultum videtur, ſi contra hæreticos juſtitiæ via „adhibeatur, imo etiam, ſi illa minus „valida foret, ad arma recurratur, niſi „forte Synodi exitum expectare placeat. Verum Sabaudiæ Dux ar-

Sæcul. XVI. A.C.1561. morum vim præferens prompte copias conducere juſſit.

§. LXVI.

Valdenſes ſumptis armis ſeſe defendentes.

Thuan. l.c. Re comperta Luſernenſes, & Angroniani Miniſtri, conventu habito, unanimi conſenſu cenſuerunt, vitam non eſſe adverſus Principem tuendam, ſed potius aſportatis ex bonis, quæ commode poſſent, in proximos montes ſecedendum. Poſtea jejunium indicebant, ſumptaque cœna Dominica unaomnes Miniſtrorum ſententiæ morem gerere paratos ſeſe exhibebant: verum non defuere poſtea alii paſtores, qui ſententiam contrariam defendebant, aſſerentes, quod liceat in tanto diſcrimine, ac pœne deſperatis rebus hoſtium impetum armis repellere, præſertim cum nequaquam contra Principem, ſed adverſus Pontificem, qui Principis poteſtate abutitur, neque in cauſſa Religionis, ſed pro uxorum, ac liberorum ſalute arma in hac occaſione ſumerent: nihilominus priori ſententiæ unaomnes aquievere, unde eorum potiſſimi ad Helvetiorum, & Rhætorum ditiones ſeceſſerunt, alii vero ad arma convolarunt, prius tamen declarantes, quod nonniſi extrema ſeſe defendendi neceſſitate

sitate adacti bellum moveant, de cetero ad obsequium redire, suoque Principi submissionem præstare parati sint, quamprimum tranquille vivere permitterentur. Sæcul. XVI. A.C. 1561.

§. LXVII.

Valdensis belli initium a Sabaudiæ Ducis exercitu factum.

Itaque Mense Octobri Anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo jamjam bello dabatur initium, illudque octo omnino Menses protrahebatur: die autem secunda Novembris Sabaudiæ Ducis copiæ ad Lusernensem vallem descendunt ductore Trinitensi Comite. Porro levibus mox præliis certatum: cum autem vallium incolæ, qui se Convallenses dicebant, ad montes quantocius dilaberentur, aditusque occluderent, hinc eorum hostes ad Sancti Joannis oppidum in Angronia valle situm contendebant, atque in quodam prato Torni dicto exercitum suum lustrant, interceptis aliquot incolis, qui nondum auffugerant: cum vero per vineta ad occupandos a tergo aditus miles accurreret, incolæ exiguo licet numero, fundis tamen & balliſtis armati advolant, cum autem se variis locis oppugnari, & quodammodo cingi cernerent, quantum hostes instabant, tantum illi sen- *Thuan. l. c.*

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

sim ad montes sese recipiebant, ac ubicunque locus, aut occasio se pugnæ commoda offerebat, ibi strenue dimicantes pedem figebant, pugnamque in noctem nullo gravi damno accepto extrahebant. Postea Trinitensis Comes castra metabatur apud Turrim, qui vicus in Lusernensi valle ampliſſimus ad radices montis situs est, ibidemque Comitis jussu munimentum olim a Gallis dirutum instauratum, ac præsidio firmatum fuit, pariterque Villaria, Perosia, & Sancti Martini arx a milite occupata.

§. LXVIII.

Valdenses ad libellum supplicem Duci porrigendum a Trinitensi Comite inducti.

Thuan. l. 27. Post hæc Angronii a suis fœderatis, qui sub Gallorum potestate Perosiæ, Sant-Martini, & Pragellæ habitabant, auxilium petebant, eosque rogabant, ut in communi caussa vota, opes, & consilia conjungerent. Id ubi comperit Comes Trinitensis, veritus, ne desperatio novum pæne victis robur adderet, ut eorum vires in diversa distraheret, misso ad Angronios puero illis spem veniæ obtulit, si supplices pœnam deprecati clementiam a Principe peterent: postea coram eorum legatis testatus

Sæcul. XIV. A.C. 1561.

ſtatus eſt, quod Sabaudiæ Dux, etiamſi Pontifex, ac ceteri Italiæ Principes, & civitates ad delendam penitus Valdenſium gentem firmiter conſpirarent, atque ad id ipſe quoque incitatus eſſet, cum ipſis mitius agere decreviſſet, ac Principis uxor ipſis propitia exiſteret, palam dicere ſolita, populi hujus habendam eſſe rationem, cum ipſe Religionem non heri, neque nudius tertius, verum per tot jam ſecula a majoribus traditam colat. His verbis ſumma humanitatis ſignificatione prolatis perſuaſi Angronii, cum Trinitenſis ad eos veniſſet, & ſolemne ſacrum, cui cum ſuis interfuit, in Laurentii oppido celebrari juſſiſſet, illi conditionem accipiunt, & ſupplicem libellum ad Principem conſcribunt, cujus hæc ſumma erat: „quosdam e no„ſtro numero miſimus, qui promptiſſi„mam tibi, & tam demiſſam, quæ ſub„ditos decet, obedientiam deferrent, „& pro nobis, qui deploratiſſima ne„ceſſitate, & quaſi deſperatione adacti „arma ſumpſimus, eorumque occaſione „tuam offenſionem concitavimus, ve„niam exorarent: de cetero vim con„ſcientiis noſtris inferri deprecamur, „rogamusque, ut nullis Romanæ Ec„cleſiæ traditionibus nos obſtringi co„gamur, ac te benigne annuente no„bis liceat Religionem a Patribus ac-

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

„ceptam, ac conſcientiarum liberta-
„tem ſervare.

§. LXIX.

Comitis aſperitas in Valdenſes.

Thuan. l. c.

Cum de hac concordia ageretur, Comitis milites damni nuper accepti memores in Talliaretinos inopino impetum fecerunt, ac deprædatione per triduum continuata illatam vindicabant injuriam: inde vero a Talliaretinis ad Villarienſes contendebant, quos miſere habitos, eorum potiſſimos ſecum captivos abduxerunt. Verum Trinitenſis Comes pactorum fidem hac ratione violatam indignatus militum ſuorum rabiem compeſcuit, ac rurſus de pace agere cœpit, poſtulans ab hiſce populis, ut viginti aureorum millia penderent; cum vero hanc ſummam numerare ab inopia prohiberentur, ad octo millia reducebatur, quamvis hæc ſumma adhuc immodica eſſet erga populos, qui ferme nihil poſſidentes inſuper bello exhauſti erant, nihilominus, ut pacem ſub aliis conditionibus ſibi denegatam redimerent, has pecunias magno fœnore a Mercatoribus mutuas acceperunt, vaccis quoque ſuis, aut venditis, aut oppignoratis. Perſolutis his pecuniis Trinitenſis Comes nondum milites ſuos revocavit, ſed prius incolarum

rum arma ad arcem deferri jussit, eos- Sæcul. XVI.
que, ut ad æqualis summæ solutio- A.C. 1561.
nem sese obstringerent, adegit, necnon Ministros ejici petiit declarans, se ab eorum finibus non excessurum, nisi adimpleta prius hac conditione, quæ quamvis civibus admodum dura videretur, sese tamen illi subjicere cogebantur: nec tamen propterea impetrabant tranquillitatem, quam sibi tot modis coemere nitebantur; quippe militibus, perinde acsi conditiones integra fide adimpletas fuisse dubitandi locus supereſſet, passim per privatorum ædes scrutandi data est libertas, unde cum omnia referari juberent, novam prædandi opportunitatem captabant. Nec mitius habebantur Angronii; pene enim exustum fuit eorum oppidum, ædesque sua suppellectili spoliatæ, ac tandem post commissa plura ejusmodi flagitia exercitus aliorsum deducitur. Hæ crudelitates, cum Deputati ad Principem, qui Vercellis agebat, proficiscerentur, erant perpetratæ, quo tempore hi, cum quadraginta dies ex condicto detinerentur, fidem dare cogebantur, quod Missæ Sacrificium rursus celebrari permittere vellent, acceptata autem hac conditione gratiam a Principe obtinerent: insuper veniam a

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

summi Pontificis Nuntio petere jubebantur, licet id ab initio recusarent.

§. LXX.

Fœdus inter Valdenses Galliarum Regi subjectos, & alios Sabaudiæ Duci obnoxios.

Interea Lusernenses compertis hisce pactis non minus dolore, quam indignatione incitati ad omnes ditionis Gallicæ Convallenses perscribunt, opem efflagitantes, ubi re in deliberationem vocata mox fœdus initur his conditionibus. I. Doctrinam, quam quasi Dei verbo congruentem profitebantur, constanter retineant. II. Suis Principibus obedientiam, ac fidem juxta Dei præceptum servent. III. Nulli ex Valdensium populo quicquam in Religionis negotio polliceri, transigere, aut paciscì in posterum citra universorum consensum, & auctoritatem liceat. cum igitur suas vires unitas cernerent, multitudine audaciores facti altaria evertunt, sacrasque imagines in Bobiacensi Templo conculcant, inde vero continuata rabie Villariam contendunt, iisdemque sacrilegiis sese contaminant, quinimo conditiones, de quibus eorum Deputati cum Principe paciscebantur, acceptare recusant, Turrensem quoque Præ-

Præfectum, qui illorum petulantiam fracturus accurrerat, cædunt, fugantque: unde Comes Trinitenſis, qui Sancti Joannis oppidum præſidio firmaverat, cum die ſeptima Februarii copias ſuas Angroniæ admoviſſet, primus receptui canere coactus eſt, deſideratis ſuorum potiſſimis: illi vero, quos rurſus collegerat, Roſatum occuparunt, eoque incenſo Valdenſes, quot incluſos repererant, ferro, flammaque nullo diſcrimine facto deleverunt. Sæcul. XVI. A. C. 1561.

§. LXXI.
Bellum ancipiti Marte a Trinitenſi Comite innovatum.

Inde Trinitenſis Comes per tres vias ad Luſernenſem vallem deſcendit, incenſisque cunctis ædibus, illos, qui in eis reperiebantur, crudeliter trucidari jubet, & paulo poſt omnibus viribus Torni-pratum invadere aggreditur, iniquo tamen ſucceſſu; quippe ejus milites non ſine diſpendio repulſi ad unum omnes cæſi fuiſſent, niſi inſequentes falſus revocaſſet rumor, quod urbs altera ex parte oppugnaretur: poſtquam vero Luſernenſes Angroniis ſuppetias venerant, redintegratum eſt prælium, ac rurſus Comitis Trinitenſis copiæ in fugam actæ: quarto demum poſt die Valdenſes, cum hac victoria animos *Thuan. l. c.*

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

resumpsisse viderentur, Comes, ut cladis injuriam ulciscereturr, rursus trina ex parte impetum in urbem fecit, quippe cum quadam suorum cohorte per Rosatensem agrum, cum altera vero per planitiem, & demum per Taliaretum cum tertia sibi aditum in urbem parabat. Harum duæ priores ita suum instituebant iter, ut in planitie inter Villarium, & Bobiacum interjecta, ubi copiosus jamjam advenerat equitatus, sese conjungerent, cum vero illinc in Cambani montis juga eniterentur, qua parte nullæ ferme erant custodiæ, nihil inde territi incolæ statim e munitionibus suis erumpunt, hostesque semel, atque iterum strenue repellunt, quamvis Trinitensis Comes quingentos subsidio submisisset: restituto autem certamine Valdenses tandem retrocedere, suasque munitiones deserere coacti sunt.

§. LXXII.

Ducis Sabaudiæ copiæ a Valdensibus profligatæ.

Thuan. l. c. Prospero hoc successu Comitis milites victoriarum cursum strenue prosequebantur: attamen ipso eventu tunc comprobatum fuit, quod quandoque devictis, atque ad extrema redactis animus, virtusque redire soleat; quippe Valdenses desperationis stimulo agitati

tati pugnam redintegrant, tam felici ſucceſſu, ut invaſores ſuos repellerent: unde Comes, cum ad nominis ſui exiſtimationem pertinere arbitraretur, ne Bellidux toties in aliis præliis victor, nunc a ruſticis devictus diceretur, præcipue cum numero ſuperior eſſet, hoſtes ſuos omni ex parte aggredi, ac debellare ſtatuit: igitur die decima ſeptima Maij bipartito agmine ſuo in Angroniam vallem deſcendit a ſuis incolis deſertam, indeque Torni-pratum accedit, illudque ab Oriente aggreditur: verum Valdenſes redintegratis animis unaomnes fortius, quam unquam, denuo pugnam inchoant, tandemque poſt pertinax utrinque certamen hoſtem retrocedere compellunt, nonniſi duobus ſuorum amiſſis, ex Trinitenſibus vero cæſis quam plurimis. Ceterum Valdenſes, quod nonniſi defendendi cauſſa bellum ſuſceperint, tam ſtudioſe credi geſtiebant, ut nequidem ad continuandum victoriæ curſum e ſuis vallibus egrederentur. Porro Trinitenſis Comes ſiniſtrum belli eventum indignatus palam profitebatur, nunquam ſe militem magis ignavum eſſe expertum, quam poſtremis iſtis cum ruſtica multitudine congreſſibus: denique cum hoſce rebelles coercere deſperaret, illorum animos explo-

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

explorari jussit, an non ad pacem inclinarent.

§. LXXIII.

Bellum redintegratum, & tandem de pace actum.

Thuan. l. c.

Cum interea de pace ageretur, Sabaudiæ Ducis exercitus pecuniis a Papa submissis restauratus denuo valles aggredi jubetur, expugnatoque Taillereto Trinitensis Comes Viros, ac mulieres unacum infantibus in cubiculis deprehensos ad internecionem delevit: cum vero post acre certamen ejus copiæ fuissent repulsæ, tantus pavor militem incesserat, ut Comes eadem adhuc die Cavortium recederet: quapropter in Principis Senatu decretum, ut Valdensium segetes, arbores, & vineta devastarentur, duæque arces in Angroniana valle construerentur. Hanc in rem Briguerates equitatum suum emisit, moxque ad Sancti Joannis oppidum contendit, cum vero hæc jussa exequi pararet, deferuntur literæ, quibus Princeps sua revocabat mandata, ad id permotus libello supplici, quem Valdenses Sabaudiæ Duciſſæ, quæ illorum causſæ favebat, per Ranconium Comitem porrexerunt, atque arma deponere promiserunt, dummodo haud ultra bello lacesserentur.

§. LXXIV.

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

§. LXXIV.

Pacis conditiones Valdenſibus propoſitæ, eorumque reſponſum.

Ceterum Sabaudiæ Princeps, cum ſuas copias ubique cæſas, ex adverſo autem pronam rebellium voluntatem cerneret, potius habuit eos in gratiam recipere, quam ſuas ditiones ruinæ periculo exponere: quapropter illorum libellum benigne excipiens reſpondit, paratum ſe eſſe veniam illis impertiri, iis tamen conditionibus. I. Sacrificium ritu in Eccleſia Romana recepto apud ſe celebrari patiantur. II. Paſtores ſuos expellant, nec conciones, cœtusve more ſuo deinceps habeant. III. Captivos ſuos a militibus pretio exſoluto redimere teneantur. IV. Arces Principi, quot, & ubi voluerit, in his vallibus extruere liberum ſit. Valdenſes, quod ad paſtores quidem ſpectabat, lubenter aſſentiebantur, ut, ſi qui ſuſpecti eſſent Principi, dimitterentur, modo alii, antequam hi abirent, in eorum locum accerſerentur, ne ipſorum Eccleſiæ paſtoribus deſtitutæ lupis devorandæ exponerentur: ſacrificii autem celebrationem minime recuſabant, modo ne ipſi intereſſe, aut in eam rem ſumptus ſuppeditare, neve quidquam, quo ei favere, aut aſſenſum præ-

Thuan. l. c.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

præbere argui possent, facere cogerentur. De cetero captivorum militum suorum redemptionem supra vires suas esse ostendebant, cum direptis bonis, & incensis domibus nihil præter spiritum, quo ad pacem anhelent, supereset, itaque petebant, ut sine pretio liberarentur, & pariter illi, qui ob Religionis caussam ad triremes damnati essent, solverentur. Arcium item exstructionem deprecabantur, fidum obsequium, quod hactenus semper præstiterant, in posterum polliciti, orabantque, ut Princeps, cum arces aliunde situ, ac natura satis munitæ essent, potius ipsos in gratiam receptos arcium, & mœnium loco haberet.

§. LXXV.

Pax, ac conscientiæ libertas Valdensibus pacta.

Thuan.

Hæc pacis compositio die quinta Junii Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo primo Cavortii firmata fuit, adjectis hisce conditionibus. I. Omnium præteritorum oblivio sanciatur, eorumque omnium, quæ eo bello gesta erant, Princeps clementia sua Convallensibus subditis suis gratiam faciat. II. Conscientiarum libertatem Valdensibus permittat, atque indulgeat, ut conciones locis designatis, & inter

Sæc. XVI. A.C. 1561.

inter præscriptos limites, quos transgredi fas non erit, habeant, ac cœtus celebrent, extra quos nihilominus pastores ægrotos invisere, ac consolari, aliaque Religionis suæ munia obire, non autem concionari possent. III. Iis, si forte de doctrina interrogarentur, absque bonorum, & capitis pœna liberum sit respondere, universis præterea, qui propter Religionem domo absunt, nihil obstantibus promissis quibuscunque, aut abjuratione, quam a sua Religione alienam ante hoc bellum præstiterunt, lares repetere, & Religionem a majoribus traditam amplecti, concionibus, ac cœtibus intereſſe modo, & locis permissis liceat. IV. Proscripti ob Religionem, aut belli nuper ob Religionem suscepti causſam bonis restituantur. V. iis jus sit pecudes, ac supellectilem reliquam a vicinis, exceptis militibus, legum subsidio repetere, & ea quæ divendita comperientur, eadem via, sed restituto pretio redimere; quod idem vicinis in eos populis concedatur. VI. Libertatibus, immunitatibus & privilegiis de quorum tamen legitima conceſſione a Majoribus accepta, rectoque eorum usu fidem facere tenebuntur, in posterum fruantur. VII. A Principe Magistratus universis suæ ditionis Convallensibus præficiatur, qui jus inter eos dicat.

Ceteri

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Ceteri articuli erant sequentes. I. Valdenses eorum nomina, qui ob Religionem exulavere, describere, & Magistratibus tradere teneantur. II. In Villariæ arcis constructionem sumptus facere non compellantur, nisi forte ipsis ultro, ac sponte operas Principi præbere visum fuerit. III. Præfectus, qui arci Villarienſi imponetur, ita Principi inserviat, ut vicinorum bonis, ac conscientiis nihil molestiæ afferat. IV. In pastorum, quos Principi dimittere placuerit, locum alios accersere Convallensibus liberum sit, a qua tamen gratia Martinus Pragellatensium pastor excluſus intelligatur. V. Ubicunque conciones, ac cœtus habere liberum erit, iisdem in locis Sacrificium celebrare, ac ceteros Romanæ Ecclesiæ ritus servare liceat, & ipsi Convallenses caveant, ne illi, qui eo conventuri sunt, ulla contumelia, aut damno afficiantur. VI. Vicissim ipsi Sacrificio interesse, aut quidquam facere, quo ei favere dici possent, non cogantur. VII. Impensarum omnium in hoc bellum factarum a Principe gratia eis fiat. VIII. illa etiam octo millia aureorum, quæ se exsoluturos promittere a Trinitensi coacti sunt, remittantur, & earum obligationum instrumenta irrita, ac rescissa censeantur. IX. Captivi soluto æquo, ac pro facul-

facultatibus pretio dimittantur. X. Qui item ob Religionis cauſſam triremibus conſtricti tenentur, horum pactorum beneficio ſolvantur. His Cauortii die quinta Junii actis ſubſcripſere Philibertus Sabaudus Ranconii comes Principis nomine: pro Convallenſibus vero Franciſcus Valla Villarii, & Claudius Bergius Talliaretii paſtores, necnon Georgius Monaſterius, & Michael Raimondetus. Sæcul. XVI. A.C. 1561.

His ita compoſitis Sabaudiæ Dux voluit, ut deinceps Valdenſes ſub ſuo regimine contineret Caſtrocarus, egregius Bellidux, qui cujusdam Etruriæ arcis Gubernator Religionis cauſſa ad eos defecerat, eosque militiæ peritia imbuens in poſtremis hiſce ſeditionis tumultibus eorum ductor fuerat. (*) Hæc pacta

(*) Sequentia nec in Thuano, nec alio Scriptore leguntur, a ſola Continuatore addita, ut Lectori ſuo opinionem ingereret, perinde acſi Pontifices neglecta lenitatis via unice hæreticos ferro, flammaque extinqui cuperent, atque ad id Principes Laicos ſollicitarent, prout in relatione hujus Hiſtoriæ Continuator ſæpius inſinuabat, quod Thuanum legenti, ac cum ejus verbis conferenti adeo manifeſtum fiet, ut Lector de horum Valdenſium auſu longe aliam concepturus ſit opinionem.

Sæc. XVI. A. C. 1561.

pacta ſummus Pontifex non ſine ſummo dolore intellexerat, amare coram Cardinalibus in pleno Senatu queſtus; poſtquam vero compererat, quod Sabaudiæ Dux nec alia ratione ſeſe a cœpto bello expedire, nec eventus ſibi ſat funeſtos declinare potuerit, animo placatus nequidem verbo Sabaudum redarguebat.

§. LXXVI.

Calviniſtæ in Neapolis Regno caſtigati, ac diſperſi.

Spond. hoc ann. n. 31. Beza in Icon.

Magis proſpera Hiſpanæ expeditioni arriſit fortuna contra Calviniſtas, qui in Neapolis regno ſeſe magno numero diffundebant; cum enim Hiſpani comperiſſent, quod eorum duo, aut ferme tria millia in Monte Alto prope Coſentiam in Calabria ſuæ Sectæ cœtus, ductoribus binis Miniſtris Geneva ſubmiſſis, agerent, mox Prorex admotis copiis ſuis illos cingi, ac comprehendi præcepit, data venia illis, qui Calvini hæreſin ejurare parati erant, aliis aut aqua ſubmerſis, aut laqueo ſuffocatis, vel ad triremes damnatis: ex eorum autem Miniſtris ſolum unus nomine Paſchalis rogi ſupplicio deſtinabatur, qui etiam aliquo poſt tempore Romæ vivus comburebatur.

§. LXXVII.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

§. LXXVII.

Hiſpaniæ Rex per Bullam Synodi continuationem declarari poſtulans.

Interea ſummus Pontifex convocandæ Synodo ſemper intentus, jamjam tempus appropinquare cernebat, verum Regum, ac Principum diſſidiis in gravi hoc negotio exortis retardabatur, ac præprimis quidem Philippus II. Hiſpaniæ Rex indictæ Synodi Bullam recipere, ac promulgare recuſabat, cauſſatus, quod illa eſſet obſcura, unde perſpicuis, ac minime ambiguis verbis declarari petiit, quod nequaquam nova celebraretur Synodus, ſed duntaxat Tridentina continuaretur, ac proin decreta ſub Paulo III. & Julio III. jamjam promulgata tanquam valida confirmarentur. *Spond. l. c. num. 6.*

§. LXXVIII.

Navarræ Rex a Papa in gratiam receptus.

Philippus II. hac cavillatione quærebat obtentum ſuam exerendi indignationem, quam contra Pium IV. fovebat, eoquod hic excepiſſet Petrum Albretum Convennenſem Epiſcopum, qui de Navarræ regno obedientiæ homagium præſtiturus advenerat nomine *Pallav. l. 15. c. 1. n. 1.*

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Antonii Borbonii, & Joannæ Albretæ conjugis ſuæ, qui ambo Romam accedere verebantur, ne de favore hæreticis præſtito ſuſpecti anathematis pœna percellerentur, ſuoque in Regnum jure privarentur: attamen ſummus Pontifex hoc obſequium ſummopere gratum habebat, ſpe fretus, quod lenitate erga Navarræ Regem uſus, ejusdemque petitis annuens ad Concilium non reluctantibus Gallis celebrandum viam magis expeditam ſibi ſternere poſſet: hanc quoque agendi rationem Philippo Hiſpaniæ Regi minus gratam fore, aut non curabat, aut ſaltem ejus indignationem ſibi nocumentum illaturam non exiſtimabat. Equidem Philippus Rex inſuper ſe offenſum exhibebat, eoquod Pius IV. humaniter excepiſſet Franciſcum Eſcarſium, quem Antonius Borbonius ſupplicatum miſerat, ut Pontifex Navarræ regnum, quod Ferdinandus Catholicus uſurpaverat, eidem redderet: Verum cunctæ hæ rationes, cum nonniſi Regis perſonam reſpicerent, haud quaquam Philippum II. impedire debuiſſent, quin pro viribus ſuis ad boni publici incrementum operam ſuam conferret: quapropter Pius IV. haud immerito ſperabat, quod ſedato indignationis impetu tandem & Philippus Synodi continuationem promoturus eſſet.

§. LXXIX.

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

§. LXXIX.

Variæ Pii IV. Pontificis constitutiones.

Interea summus Pontifex, ut eo certius Episcopos, qui Synodo interesse possent, ad eandem alliceret, die prima Martii Bullam edidit, qua plura concessit privilegia omnibus Episcopis, atque Prælatis, qui Concilio intereſſent Præterea Mense Septembri Sodalitatem, quam unacum Nosocomio sub invocatione B. Mariæ de Pietate nuper in Urbe Romana pii quidam homines ad egenos dementes benigne recipiendos erexerant, approbabat, eisque quasdam indulgentias concedebat. Denique promulgata alia Constitutione Judices, ac Judicia Auditorum Rotæ emendabat; insuper celebriora urbis monumenta ornari, antiquas plateas reparari, novas vero lapidibus sterni, atque aquas ex pluribus remotis fontibus ad urbem non sine ingentibus expensis deduci curabat, inde tanta urbi magnificentia, ac commoditas accrescebat, ut quidam Poeta Italus duobus hisce versibus eleganter caneret:

Bullar. Tom. II. Pii IV. Const. 28. 37. & 44.

Marmoream me fecit, eram cum terrea, Cæsar,
Aurea sub QUARTO sum modo facta PIO.

Post hæc Papa Romam quoque novis muris, Ostiam, Anconam, &

Sæcul. XVI A. C. 1561.

Civitatem veterem, seu Centumcellas portubus, Ravennam vero validis propugnaculis, & aggeribus munivit, necnon Capitolii Palatium, Prætorium urbis Conservatorum, titulos, & Diaconias Cardinalium, omnesque alias Ecclesias ruinæ proximas reparavit: Typographiam quoque in Vaticano stabilivit, ut emendatius Patrum opera divulgari possent: porro hujus laboris curam, ac regimen Paulo Manutio Aldæ Filio, Viro apprime docto commisit: tandem nihil eorum prætermisit, quæ ad majorem Palatii Apostolici magnificentiam conferre possent, cui etiam plura nova adjecit cubicula, hortosque innumeris pene ornamentis locupletavit.

§. LXXX.

De resecandis expensis coram Galliarum Rege actum.

Thuan. n. 7. Inter cuncta hæc negotia magis adhuc distentum tenebant Pontificis animum tumultus, ac civilia bella, quæ in Galliis ob Religionis dissidia agitabantur: ineunte enim hoc anno in Regis Senatu, ut populus immodicis vectigalibus, ac tributis oppressus levaretur, de sumptibus minuendis actum, decretumque fuit, ut nobiles Cubicularii, & alii familiæ Regiæ domestici dimidia

dia ſtipendiorum parte contenti eſſent, penſionum etiam tertia parte detracta, exceptis iis, quæ externis hominibus tam in Regno, quam extra Regnum quaſi pro alimentis ex Regum liberalitate perſolvebantur: unde occaſione oblata Navarræ Regi libellus porrigebatur, in quo ſigillatim plura petebantur, quæ ad id collimabant, ut Italis, quorum artes, atque avaritia cunctis rerum gnaris, ac futuri providis ſuſpectæ erant, non modo cujuscunque generis penſiones aufferrentur, ſed etiam tanquam exteri juxta Regni leges a dignitatibus, atque officiis excluderentur, necnon amplis, quæ in Galliis poſſidebant, beneficiis privati, tandem e Regno excedere cogerentur. Attamen Navarræ Rex veritus, ne id Regina tanquam in contumeliam ſuam factum interpretaretur, libellum in conſilio recitari noluit, ut tamen inſigni aliquo exemplo minuendis ſumptibus initium faceret, auctor fuit, ut turmæ equitum Scotorum dimitterentur: porro id eo facilius obtentum fuit, cum illi tam Belliduces, quam milites gregarii magnam partem Proteſtantium ſectæ addicti eſſent, ac præcipue eorum Præfectus Jacobus Hamiltonius Araniæ Comes, nuper ob Religionis cauſſam tam male a Guiſianis Principibus multatus fuiſſet.

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

Sæcul. XVI
A. C. 1561.

§. LXXXI.

Condæi Principis innocentia a Rege, & Senatu vindicata.

Thuan. l. 27. Mezeray abreg. chron. Tom. V. p. 58.

His ita peractis Galliarum Rex die quinta Februarii Aurelia discessit Fontem bellaqueum petiturus, quo mox Condæus Princeps, qui Faram ad Esiam concesserat, venire jussus est: is igitur veredariis equis ad Aulam contendit, ubi Regem, ac Reginam Matrem officiose salutans perhonorifice excipiebatur: altera vero die cum in secretiorem Senatum admitteretur, a Proceribus, qui aderant, unanimi suffragio pronuntiatum, quod abunde de ejus innocentia constaret: eapropter Condæus mox pristinum locum suæ dignitati debitum occupabat. Sub idem quoque tempus Rex publice declarabat, sibi de Condæi Principis innocentia certissimis testimoniis constare, & permitti eidem, ut apud Senatum Parisiensem, qui vulgo Parium curia vocatur, ampliorem suæ innocentiæ approbationem prosequatur.

Hæc gesta fuere decima tertia Martii, paulopost autem Condæus Princeps Lutetiam rediit, ut præsentia sua hujus decreti promulgationem in Senatu urgeret: subortæ interea inter Regentem, ac Navarrum dissensiones aulam miscuere, cum ille se a Regente sperni dice-

diceret, ac Lotharingios, quos rebus ſuis infeſtos ſemper expertus ſit ſub Henrico II. & Franciſco II. Regibus, ſibi contumelioſe præferri palam quereretur: inſuper Navarrus Regii cubiculi claves, quæ antea Guiſio Duci conſignabantur, deinceps quotidie ſibi tradi, importune a Rege petebat, ceterum harum clavium cuſtodia propria eſt Regii Palatii Magiſtro, quo munere auctus fuerat Guiſius, poſtquam Montmorentius Conneſtabilis hac dignitate fuit exutus, eo obtentu, quod ea cum Conneſtabilis officio conſiſtere haud poſſit. Sæcul. XV. A. C. 1561.

§. LXXXII.

Diſſidia inter Reginam Matrem, & Navarræ Regem.

In eodem conſeſſu Navarræ Rex hæc expoſuit: „Omnes injurias mihi il„latas hactenus publicæ tranquillitati „poſtpoſui, ſed nihil aliud ea diſſimu„latione profeci, quam ut inimici eo „audaciores redditi petulantia non fe„renda mihi inſultarent, & patientia „mea adeo indigne abuterentur, ut jam „minime mihi integrum ſit, ſi Guiſii „Principes eundem dignitatis, ac gra„tiæ locum in aula retineant, in ea remanere: proinde firma mihi ſenten„tia ſtat, niſi illi ad officium revocen„tur, ac inſuper omni veſpere Regii

Sæcul. XVI. A.C.1561. „cubiculi claves ad me deferantur, au„lam quantocius deferere.

Ad hæc reſpondit Regina, „mihi „præcipuum ſtudium ſemper fuit, & „nunc eſt, ut tibi in rebus omnibus „gratificetur, cœterum non video, cur „propterea Lotharingios, quorum pro„pria, ac neceſſaria in aula munia ſunt, „a Rege removere debeam: immo præ„video, futurum, ut uno conceſſo ho„die, alterum cras petatur, & hoc im„petrato rurſus aliud, neque querela„rum modus unquam futurus ſit, ut „tamen in re egregiam meam erga te „voluntatem comprobem, & omnem de „palatii cuſtodia querendi occaſionem „præcidam, curabo, ut quotidie cla„ves a Regii ſtipatus Præfectis in cubi„culum tuum deferantur, licet id pro„prium Magiſtri Palatii munus ſit, quam „dignitatem nunc obtinet Guiſius Dux & ita in uſu fuit, cum Montmorantius Conneſtabilis eadem dignitate in aula fungeretur.

Verum Navarræ Rex hanc Reginæ reſponſionem indignatus repoſuit, quod hoſpitii Regii claves ad Conneſtabilem Montmorantium non tanquam Palatii Magiſtrum, ſed tanquam ſummum equitum Præfectum, penes quem Regni legibus jus armorum eſt, delatæ fuerint: dato hoc reſponſo, eo usque iris exarſe-

exarsere, ut postridie Navarrus Rex præmissis Melodúnum impedimentis se ad discessionem ex aula compararet: quinimo reipsa etiam aula unacum omnibus Regii sanguinis Principibus, ac Conneſtabili Montmorentio excessisset, nisi Regina Mater rem edocta Regem filium rogasset, ut Conneſtabilem per Cardinalem Turnonium adesse juberet, ac prohiberet, ne a Rege unquam discederet: cum ergo hac ratione Navarræ Rex Conneſtabili discessum persuadendi copia destitueretur, hinc eidem mutandi consilii, ac sese demum cum Regina conciliandi injecta est necessitas: vicissim vero illa pollicebatur, quod Navarrus deinceps per universas Regiæ ditionis Provincias Prorex diceretur, nihilque Regina sine ipsius consilio ageret. Eodem tempore Francisco Montmorantio peninsulæ Franciæ Præsidi datum est negotium, ut curaret, moderatos, & idoneos Viros celebrandis præfecturæ Parisiensis conventibus adhiberi, ut hi id, quod alii circa Regni administrationem temeritate sua peccaverant, consilio, ac prudentia sua emendarent. Id quoque ea solertia ab eo factum, ut neutiquam, dum Reginæ morem gerebat, propterea in Navarri suspicionem incurreret. Sæcul. XVI. A.C. 156[illegible].

§. LXXXIII.

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

§. LXXXIII.

Navarræ Regis colloquium cum Poloniæ Rege.

Thuan. l. c. Mem. de la Place ou comment. de Statu Religionis.

Sub idem tempus venere a Regibus, & aliis Principibus legati, qui ufitatis inter Principes officiis defuncti, poſt deploratam Franciſci II. mortem Carolo delatam Regni ſucceſſionem gratularentur. In iis fuit Georgius Gluckus Poloniæ Regis Orator, qui multoties in Galliam miſſus, ac ibi commoratus fuerat: huic ergo ad prandium vocato Navarrus Rex ab Uxore ad id inductus ſpem fecerat, fore, ut, antequam annus exiret, purior Dei cultus toto Regno celebraretur: quibus dictis Rex illum rogabat, ut id Regi Domino ſuo ſignificaret. Orator poſt actas Deo gratias laudato Navarri conſilio viciſſim efflagitabat, ut diligenter caveret, ne Joannis Calvini doctrinam, quam Helvetii ſequuntur, reciperet, ſed Auguſtanam confeſſionem a Martini Lutheri doctrina traditam introduceret, cum eo nomine non parvam cum Daniæ, ac Sueciæ Regibus, & reliquis Germaniæ Proteſtantibus gratiam initurus eſſet, quorum ditiones non minori terrarum ſpatio conſtringuntur, quam illæ Provinciæ, quæ ſummi Pontificis obſequio addictæ ſunt: ad hæc Navarræ

Rex

Rex reſpondit: „Lutherus, & Calvinus „in quadraginta fidei articulis a Ponti- „fice diſſentiunt, in triginta autem & „octo inter ſe conveniunt, & duo tantum „dogmata ſuperſunt, quæ inter ipſos ad- „huc controverſa ſunt: ego autem cenſeo, „jungendas utriusque partis opes, ac „copias ad communem hoſtem oppri- „mendum, quo debellato in duobus il- „lis articulis conciliandis & in Eccleſia „Dei priſtinæ puritati, ac ſplendori re- „ſtituenda minus negotii erit. Sæcul. XVI. A.C.1561.

§. LXXXIV.

Reginæ ſtudium in Conneſtabili ad ſuas partes pertrahendo.

Attamen Regina ſua agendi ratione Proteſtantium quoque cauſſæ favere credebatur, quinimo hanc de ſe opinionem haberi haud ægre ferebat: ut vero Conneſtabilem Montmorantium ad ſuas partes ſenſim perduceret, eidem conſilii ſui rationes aperit, hæc effata: „cedo ad „præſens Proteſtantium deſideriis, ut „Navarræ Regis, qui illud, quod hodie „probat, cras improbaturus eſt, conatus „cedendo frangam: ceterum aulæ Pri- „morum, atque tuæ inprimis, qui pri- „mario Regni Magiſtratu fungeris, par- „tes ſunt, ut palam ei adverſari, & Ma- „jorum Religionem violari paſſim cla- „mita-

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

„mitare incipiatis.„ Id eo consilio faciebat Catharina, ut æmulo negotium per alios facesseret, & ita Regni Proceres ab ipso redderet alienos. Ab eo tempore jam non occulte Antonius Momorantius murmurabat, quod prisca Religio sperneretur, ac novis sacris, novisque ritibus introductis absque ulla vocatione homines haud cogniti se divino ministerio immiscerent, necnon carnes propalam diebus vetitis, atque ipso quadragesimalis jejunii tempore prostarent: insuper querebatur, quod hæc ad prisci, & hactenus recepti cultus contemptum fierent, cum jam in ædibus privatis ab initio, mox & intra Palatium in Condæi Principis, & Colinii maris præfecti conclavibus publicæ conciones haberentur.

His Regina, ut Connestabili ea, quæ ejus spem magis lactabant, proponeret, adjecit, quod in illam, cui ipse adhærebit, partem ipsius opera etiam fortuna sese inclinatura sit, præcipue cum tunc, si præteritorum immemor sincero animo Guisiis Principibus sese unierit, Religio Catholica in Galliis conservaretur: si vero a Castillonæis Nepotibus suis sese regi sineret, brevi ibidem Dei cultus haud alius erit, quam Genevensis. Hæc verba tandem efficiebant, ut Momorantius apertis tandem oculis cognosce-

gnoſceret, quam infauſto fœdere ſe conjunxiſſet cum duobus præcipuis Regiæ ſtirpis Principibus, aliisque Proceribus, qui eisdem ſanguine junctijam jam ſpuriæ doctrinæ erroribus infecti erant. Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Equidem haud diffitendum, quod Montmorantius hac agendi ratione terrenis ſuis commodis parum conſuluerit, atque Montmorentii Mareſcalli primogeniti filii ſui, qui præ ipſo magis intentus erat rebus humanis, conſiliis repugnaverit, nihilominus pro Religione Catholica, quam in Francia ſummo periculo expoſitam cernebat, ſtudium oppido commendandum demonſtrabat, quinimo, ut titulum Majorum ſuorum inſignibus inſcriptum, quo legebantur hæc verba: *Deus primum Chriſtianum Baronem ſervet*: opere etiam adimpleret, non raro elata voce exclamaſſe dicitur: *Una fides, una lex, unus Rex:* certiſſime enim ſibi perſuaſum habebat, quod ex Religionis exterminio legum, Regum, ac denique etiam regnorum interitus neceſſario ſequatur, hinc ſine omni ambage Filio ſuo reſpondit: „inter veram „fidem, & hæreſin medium amplecti ne„queo, quando agitur de cauſſa Dei, „& totius Gallici Regni ſalute, ac proin „mei honoris, ac conſcientiæ legibus „adſtringor, tunc ea ago, quæ forte ter„renæ prudentiæ ratio diſſuadet.„ Ergo

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

go eodem momento opera Valentinæ Duciſſæ in Guiſii Ducis, & Albonis Santandreani Mareſcalli gratiam rediit, ac peropportune Magdalena Sabauda ejus conjux Proteſtantium ſectæ oppido infenſa Mariti ſui odium in eos conceptum augebat, unde Proteſtantes arctam illam unionem, quæ inter Guiſii Ducem, Conneſtabilem, & Mareſcallum Santandreanum erat reſtituta, nequiter Novum Triumviratum appellitabant.

§. LXXXV.

Carolus IX. Galliarum Rex Rhemis unctus.

Thuan. l. c. La Popeliniere l. 6. Davila l. 2.

Ceterum Regina, quæ ad firmandam ſuam auctoritatem Procerum diſſidia fovebat, potenti hoc fœdere haud parum ſtupefacta aſſiduis torquebatur curis, ſummopere ſollicita, ut tandem detegeret finem, ob quem inter Principes hucusque capitali inimicitia diviſos tam ſubito conflata eſſet amicitia: ne vero quicquam eorum, vi quorum Regi, quocum ipſa ſummæ rerum præerat, veneratio, ac ſubmiſſio accreſcere potuiſſet, prætermiſiſſe videretur, hinc eundem ſacro oleo ungi curabat. Præfigebatur huic ſolemnitati dies Chriſto in cœlos aſcendenti feſtiva, quæ illo anno in decimam quintam Maji inciderat: Igitur ex Aula Fonte-Bellaqueo diſcedit,

dit, Rex vero Montcellum voluptuarium Reginæ Matris suæ diversorium contendit, unde itinere per Nantolium facto, assumptoque secum Guisio Duce Rhemos pervenit, ubi tamen de Franciæ Parium numero, & ordine, quo incederent, controversia a Guisiis Principibus excitata fuit: objiciebatur enim his, quod ipsi, quamvis ceteros regii Sanguinis Principes gradu, ac dignitate æquare non possent, eorum tamen auctoritati semper aliquod præjudicium facerent, eaque sensim infracta suam augerent, & captata aliquando occasione fortunæ beneficio uterentur: nihilominus datum est Guisio Duci, ut post Navarræ Regem ante Montpensierium Ducem sederet, cum eundem locum nuper sub Francisco II. Rege, & antea ejus Pater in Henrici II. inauguratione occupasset: verum Regina petiit, ut Alexander ejus Filius, qui postea Franciæ Rex assumpto Henrici III. nomine salutabatur, principem locum ante Navarræ Regem teneret, quod tamen in Francisci II. inauguratione observatum non fuit. Ceterum Lotharingius Cardinalis tum Rhemensis Archiepiscopus suo munere in Caroli IX. coronatione functus est, hæcque solemnitas comitia eodem Mense Majo Pontiaræ indicta differendi obtentum suppeditabat. §. LXXXVI. Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Sæc. XVI. A. C. 1561.

§. LXXXVI.

Varii tumultus ob Religionem in diversis Provinciis excitati.

Thu. l. 28. Davila de bello civil. l. 2. p. 89. & seq.

Porro dissidentibus in Aula ob Religionem Primoribus per provincias ob eandem causam crebræ dissensiones exoriebantur, loquendi libertate impune permissa; unde dicteria, & factiosa ad contumeliam nomina Papistarum, ac Hugonottorum ab utraque parte usurpari cœpta, & tumultus etiam passim concionatoribus plebem inflammantibus suborti sunt eo fine, ut Coliniorum, qui citra seditionem se publicam novæ doctrinæ promulgationem per provincias instituturos nimis audacter spondebant, conatus impedirentur: quinimo jamjam Ambiani, & ad Esiæ-pontem res ad seditionem devenit: Bellovaci vero Castellionæus Cardinalis, qui Admiralis Colonii frater, atque ejusdem civitatis Episcopus Religione Calvinista erat, ad suam Diœcesim Paschalia festa celebraturus secesserat, nec tamen in sua Ecclesia Cathedrali Paschatis Officium peragebat, sed in privato Palatii Sacrario cum omnibus hæreticis in urbe morantibus Cœnam Calvinistarum more sumebat: verum sparso ea de re per urbem rumore mox populus tam execrandi facinoris indignitate commotus

tus velut furiis agitatus per plateas discurrit, nec pauci in aliquorum domos involant, ipsumque Cardinalem in suo Palatio Episcopali cingunt, atque in vitæ discrimen adducunt: insuper seditiosi inter alios quemdam Ludimagistrum, qui pueros Calviniſtarum ritu prima Genevensis Catechismi elementa docebat, corripiunt, ac sine ulteriori judicii forma comburi jubent: postquam vero Episcopus per fenestras purpureo habitu insignis sese conspiciendum dederat, eorum furor statim cessabat. Sæcul. XVI. A.C 1561.

§. LXXXVII.

Edictum occasione Bellovacensis seditionis promulgatum.

Quamprimum Rex de hoc tumultu certior fuerat factus, mox Franciscum Montmorantium Francicæ Peninsulæ Gubernatorem unacum regiis Præfecturæ Sylvanectensis Judicibus Bellovacum ablegabat, & postea quæstione in seditionis auctores habita nonnisi in duos est animadversum, cum vero res prompto, ac præsentaneo remedio omnino egere videretur, hinc ad omnium Provinciarum Præfectos, necnon ad supremas regni Curias diploma mittebatur, quo sancitum I. *Hugonotti*, & *Papistæ* vocabula contra Catholicos, & Calviniſtas contumelioſe non usurpentur, *Thuan. l. c., Spond. ad hunc ann. n. 12.*

Sæcul. XVI. A.C.1561.

pentur, II. ſecuritas, & honeſta libertas, qua unusquisque frui debet, nullo modo violetur; III. nullus magno, vel exiguo ſtipatu domos alienas ſuperiorum edictorum, quæ cœtus illicitos prohibent, prætextu ingrediatur. IV. Illi, qui Religionis cauſſa, ante primum edictum pro illorum libertate conditum in carceres fuere conjecti, ſtatim ſolvantur: V. qui ob eandem cauſſam regno exceſſerunt a Franciſci I. tempore, iis revertendi, & plena bonorum, ac corporum libertate fruendi facultas ſit, dummodo Catholice, & ſine ullius offenſione vivant. VI. Si vero id nollent, iisdem ſuas facultates diſtrahere, atque alio migrare, jus ſit.

Hoc tamen diploma non fuit ad acta relatum; vetuit enim Senatus, ne illud Lutetiæ Parſiorum promulgaretur, ſimulque contra illud apud Regem reclamabat, eoquod contra morem non ad Senatum, ſed ad ſupremos Provinciarum Gubernatores fuiſſet tranſmiſſum, atque eo Religionem, quam quisque vellet, amplectendi libertas conceſſa videretur, cum tamen a magni Clodovæi tempore ſemper in regno vera duntaxat religio fuiſſet admiſſa.

§. LXXXVIII.

Sæcul. XVI.
A. C. 1560.

§. LXXXVIII.

Rationes a Cardinale Lotharingio contra hoc edictum propositæ.

Cum solemnis hujus diplomatis promulgatio fuisset prohibita, inde hæreticorum factio plurimum potentia augebatur, jamque frequentiores hæreticorum cœtus haberi cœperant, eapropter Cardinalis Lotharingius, dum Rex adhuc Durocortori Rhemorum esset, apud Reginam questus fuerat, quod res in pejus ruerent, cum plerique edictis regiis, & libertate iis permissa ad licentiam abuterentur, & congressibus, ac cœtibus vetitis agri, vici, ac tandem urbes personarent, necnon ad conciones audiendas passim, ac turmatim concursus fieret, ubi etiam imperiti ad eas rei novitate accederent, eademque, qua illi coeunt, facilitate seducerentur: ex adverso querebatur Cardinalis, quod frigeat antiquarum ceremoniarum cultus, atque jam a multis irrideatur, ac quamplurimi a vera Religione quotidie deficiant, & in protestantium numerum cooptentur, ac erroribus implicentur, aliis quoque edictis promulgatis nihil aliud efficientibus, quam ut incuria judicum alatur, & negligentiæ eorum excusatio quæratur: itaque consultum dicebat, ut nihil, usque dum col- *Thuan. l. 28.*

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

loquium ad ſedandas de Religione diſſenſiones Regis juſſu inſtituatur, in ejus cauſſa innovetur, eaque de re lex ſanciatur ex Senatus conſilio, religioſe in poſterum obſervanda. Ceterum colloquium illud a Cardinale memoratum, non erat aliud, quam Piſciacenſe quod Catholicos inter, & Proteſtantes eo fine habendum indicebatur, ut eos rurſus uniendi media excogitarentur: illud vero a Regina propoſitum dicitur, ut novæ reformationis Sectatores ſedaret, qui omne Concilium, cui ſeſe ſubmitteré tenerentur, acceptare recuſabant.

§. LXXXIX.

Aliud edictum præſente Rege in Senatu promulgatum.

Thuan. l. c. Beza l. 4. hiſt. Eccl. p. 468. Comm. de ſtatu Relig.

Poſt hæc Navarræ Rex, Conneſtabilis, Briſaccus, & Santandreanus Mareſcalli unacum Cardinale Lotharingio contra præfatum diploma queri cæperunt quapropter Regina pro fœmina Calviniſtarum erroribus infecta, ni illud revocaret, haberi verita Regem Filium ſuum ad Senatum conducere ſtatuit, ut ibidem pro componendo hoc negotio utile arriperetur conſilium: itaque Rex unacum Regina Matre ſua, ceterisque regni Proceribus, ac Condæo Principe Senatum accedunt, ubi Hoſpitalius Cancella-

Sæcul. XVI. A.C 1561.

cellarius Senatores præprimis monebat, ut in dicendis ſententiis breviores eſſent, cum non de Religione ipſa, cujus cauſſa in nationali concilio propediem agitanda foret, ſed de remediis ageretur, quibus obviam iri poſſit tumultibus quotidie ob Religionem exorientibus, quibus fieret, ut publica quies conturbetur, & obſequium Majeſtati Regiæ debitum paullatim per licentiam evaneſcat. Ceterum in hoc conſeſſu tres fuere omnino ſententiæ, earumque prima petebat, ut a pœnis in Proteſtantes ſancitis abſtineretur, quousque res Concilii decreto decideretur: aliorum vero opinio eo tendebat, ut capitis ſupplicio, prout hucusque factum, deinceps animadverteretur in eos, qui ſuos errores ejurare recuſarent. Tertia denique hujus rei cognitionem ad Eccleſiaſticum forum remittebat, propoſita capitis pœna in eos, qui congreſſus, aut conventus illicitos clam, aut publice cum armis, aut ſine illis haberent, interdicta item concionandi, & Sacramenta adminiſtrandi libertate alio ritu, ac modo, quam qui in Romana Eccleſia obſervatur.

§. XC.

Jurisdictio Eccleſiaſtica edicto Juliano firmata.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Thu. Comm. & Beza l. c.

Prævaluit postrema hæc sententia, quapropter celebre illud conditum est edictum, quod Julianum a Mense Julio, in quo fuit editum, appellabatur, atque in eo innovabatur Remorontinum decretum, vi cujus Clero priscum de crimine hæresis cognoscendi, ac judicandi jus reddebatur, & concessa præteritorum oblivione nonnisi exilii pœna in eos infligenda decernebatur: insuper in Juliano decreto sancitum, ut omnes pacate vivant, & ab injuriis abstineant, neque se conviciis invicem provocent, nec ulla conventicula, pacta, aut aliud quidquam, quod factionem, conspirationem, aut quandam in partes discessionem redolet, in posterum fiat, neque concionatores verbis turbulentis, ac seditiosis ullo modo utantur, sed populum prudenter, ac modeste instruant, qui vero secus feciissent, capitis pœna plectantur, ejusque rei cognitio sit penes Provinciarum Præfectos, & Sedes, quas *præsidiales* vocant: insuper vetitum, ne quæ publice, seu privatim cum armis, aut sine armis conciones habeantur, aut Sacramenta administrentur alio, quam recepto in Ecclesia Catholica ritu: de cetero autem ad Ecclesiasticum forum hæreseos cognitio remittatur, judicesque Ecclesiastici, si necesse fuerit, reum potestati profanæ tra-

tradant, seu ad judices Regios remittant: hi autem graviorem, quam exilii pœnam non irrogent. Denique hæc statuta eousque locum habeant, donec Synodi universalis, aut nationalis decreto aliter statuatur. Gratia etiam eodem edicto iis, qui turbas in hunc usque diem ob Religionem moverant, facta, & abolita earum rerum memoria fuit, si modo catholice, ac pacate in posterum vivant: falsis item delatoribus graves pœnæ constitutæ, & armis uti omnino interdictum est, exceptis iis, quibus edicto permittitur. Sæcul. XVI. A. C. 1561.

§. XCI.

Conventus in oppido S. Germani habitus.

Insuper proximo Mense Augusto Guisius Dux in Condæi Principis gratiam revertebatur, eodemque ferme tempore Comitia Pontisara ad S. Germani oppidum in Laja fuere translata, ad quæ etiam Rex venerat, comitantibus illum Regina Matre sua, Margarita ejus Sorore, regiæ stirpis Principibus, pluribusque Cardinalibus. *Thu. l. c.*

§. XCII.

Hospitalii Cancellarii oratio in hisce Ordinum comitiis.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Thuan. l. c.

Spond. n. 15.

Popelin. l. 7.

Postquam Rex hisce comitiis solemne initium fecerat, Hospitalius Cancellarius cunctos tum præsentes Regis nomine admonuit, ut libere de Republica sententias suas edicerent, cæptumque negotium eadem libertate prosequerentur: his præmissis pro more suo stylum acuit contra Episcopos, necnon adversus illos, qui novam sectam abolendam, ac penitus e regno eliminandam censebant; insuper omnes nervos intendit, ut persuaderet, revocandum esse edictum Julianum nuper conditum, eo usus obtentu, quod edicta tempori, ac personis, non autem personæ, & tempora edictis sint accommodanda.

§. XCIII.

Alius sermo Joannis Britanni pro plebe perorantis.

Thu. Spond. l. c.

Mezeray hist. de France to. 2. p. 820.

Postea pro plebejo ordine Joannes Britannus Augustodunensis Prætor verba faciens, Regi persuadere nitebatur, ut Clero tam sæculari, quam regulari omnia eorum bona eriperet, prout in Germania, & Anglia jam factum erat, quam in rem veteris, novique Testamenti textus pessime intellectos nequiter adducebat: demum acerba oratione in Clericos invectus ajebat, „fœda ignorantia inter Sacerdotes grassatur, nec, „ut fieri debet, commissos sibi greges „docent,

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

„docent, neque suo exemplo ad puram, „integramque vitam præeunt, sed pro- „fligatis moribus populo offensionem „parant, & quasi conducti mercede ser- „vi omnia facere, nullaque re minus, „quam officio gaudere solent, dum se „totos voluptatibus mancipant, & ni- „mio otio, ac luxu licenter exultant; „hæc est, nec alia, malorum, quæ Re- „gnum hoc olim florentissimum affli- „ctant, caussa: proinde plebis nomine „peto, ut Rex, cujus proprium munus „est, Religionis patrocinium suscipere, „id sedulo agat, & pullulantem vitio- „rum luxuriem resecet, adempta omni „Sacerdotibus jurisdictione, quæ ipsis „minime convenit: verum iis opibus in „pios usus distributis Rex curet, ut natio- „nale Concilium, quod est unicum, & præ- „sentissimum his malis componendis re- „medium, legitime celebretur, eoque „libere accedentibus fide publica ca- „veatur: porro huic Concilio præsit Rex, „illiusve loco Regii sanguinis Princi- „pes: interim vero, donec de Religio- „nis controversiis decernitur, publice „conveniendi, & conciones audiendi „iis, qui religione præpediti Romanæ „Ecclesiæ cæremoniis interesse non pos- „sunt, facultas detur: quoniam autem „cœtus illiciti omnes prohibiti sunt, iis „Præfecti Regii, ac Ministri provincia- „rum

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

„rum inspectores adsint Regis jussu, & „videant, ne quid inde Rex, aut Respu- „blica detrimenti capiat.„ Postremo instituit querelam de juridicis Magistratibus, qui pecuniarum nundinationibus, & non meritis ad honores provehuntur; quapropter petiit, ut deinceps viri ab avaritia alieni, pietate, morum probitate, denique eruditione præditi præstantissimo huic muneri nullo pretio accepto a Rege præficiantur, atque eligantur ea norma, quæ in comitiis Aurelianensibus nuper Rege consentiente stabilita est.

§. XCIV.

Alia pro Clero oratio.

Thuan. & Mezer. l. c.

Orator, qui sacrum Clericorum Ordinem defendebat, modeste dilutis omnibus, quas Joannes Britannus petulantissime proferebat, acerbissimis calumniis petiit, ut Rex ad suorum Prædecessorum exemplum, Ordinis Ecclesiastici jura, privilegia, & dignitatem tueri vellet, nec eorum, qui manus suas in Sanctuarium sacrilege extendere præsumunt, consilia sequeretur: cum autem multa, quæ in sacri Ordinis detrimentum cedebant, fuissent proposita, inter quæ haud infimum erat illud, vi cujus ex beneficiis, si quingentas redituum libras haberent, quarta pars, si vero

vero mille libras æquarent, tertia, si denique mille aureos excederent, media pars ærario Regis applicaretur, atque illis, qui ex suis beneficiis duodecim librarum millia pro annuis reditibus percipiunt, nonnisi tria millia ceteris omnibus Regi attributis relinquerentur, quinimo etiam Cartusianis, Cœlestinis, Mathurinis, Minimis, cunctisque Monachis (*) omnes reditus, qui iplorum alimenti necessitatem superant, adimerentur: ac præterea omnia prædia, exceptis præcipuis castellis, & ædibus, in quibus Episcopus, & Canonici sua domicilia habent, venumdarentur: hinc Clerus, ut funestos tantæ rapacitatis successus præverteret, Regi ultro quatuor decimas quotannis in sexennium obtulit, ac declaravit, quod Ordo Ecclesiasticus non minus, quam ceteri Regni Ordines ad sublevandas Regni necessitates, atque ad solvendum, quod Senatus regius contraxit, æs alienum opes suas conferre paratus sit. Sæc. XVI. A. C. 1561.

§. XCV.

Reginæ epistola ad Papam circa Poissiacense colloquium.

Cum Regina fuisset interim edocta, quod summus Pontifex Pisciacensis, seu *Thuan. l. c. Sarpius hist. Conc. Trid. l. 5. p. 433.*

(*) Thuanus l. c. habet: *Monialibus.*

Sæcul. XVI. A.C.1561.

seu Poissiacensis colloquii celebrationem pro quarta Septembris die indictam ægerrime ferret, hinc ex Joannis Montlucii Valentiarum Episcopi suasu prolixas ad eundem dedit literas, quibus tamen Papæ metum potius augebat, quam dissipabat. Data est ejus epistola Mense Augusto, cujus tenor est sequens: „Multitudo est tanta illorum, qui „se ab Ecclesia Romana separaverunt, ut „jam severissimis legibus, ac ferro coer„ceri non possint: insuper ea auctoritas „complurium ex nobilitate, & præci„puis Magistratibus est, ut multos ex„emplo ad suas partes trahant: ea de„mum illorum est concordia, ut vires, „& incrementa toti Regno formidanda „indies accipiant: neque tamen inter „eos raro Dei beneficio ulli Anabapti„stæ, Libertini, & hujusmodi horren„darum opinionum sectatores reperiun„tur, nec inter eos dantur ulli, qui duo„decim Symboli Apostolici articulis, il„lorumve interpretationi per septem „Oecumenica Concilia factæ contradi„cunt: proinde plerisque unionis ca„tholicæ studiosis consultum videtur, „ut illi licet diversa in aliis articulis sen„tientes ad communionem Ecclesiæ „admittantur, cum id citra periculum „fieri posset, eaque optima ratio esset ad „faciendam Ecclesiæ latinæ ac Græcæ „con-

Sæcul. XVI. A C. 1561.

„concordiam, nec desperant viri pii, „quin sedatis ita contentionibus, Deus, „qui suis semper præsto est, veritatis „genuinam lucem, discussis tenebris, „tandem aliquando restituat: quod si „minus probetur, & Generalis Concilii „auxilium exspectandum sit, interea, „quando necessitas urget, & in mora „periculum est, particularia remedia ex„pediri debent, quibus & illi, qui jam „se ab unione divisérunt, revocentur, & „ii, qui in unione remansérunt, ab ea „non alienentur, nam ad primos qui„dem conciliandos conducent crebræ „admonitiones, & frequentiora Docto„rum, ac pacis studiosorum ex utraque „parte virorum pacata colloquia, nec „minus ad id proderit Episcoporum, „ac ceterorum Ministrorum in Verbi „Dominici prædicatione diligentia, qui „populos ad charitatem, ac mutuam pa„cem incitent, moneantque, ut acerbio„ribus utrinque appellationibus, & in„juriosis contentionibus abstineatur: „porro pro illis, qui in unione remanse„runt, sed scrupulis quibusdam tenen„tur, sat opportunum erit, si offensionum „caussæ eis tollantur, ne ob eas tan„dem se alienent a vera Ecclesia, hinc „consultum censeo, ut imaginum ante „omnia usus a Deo vetitus, & a B. Gre„gorio improbatus tollatur, atque etiam „in

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

„in Baptismo exorcismi, & certæ pre-
„cum formulæ, quæ extra ejus institu-
„tionem sunt, omittantur, ac suffi-
„ciat, ut aqua, & verbum tantum juxta
„Dei præscriptum adhibeantur; insu-
„per sacræ communionis usus integer,
„sub utraque scilicet specie sine perso-
„narum distinctione restituatur, nec Con-
„stantiensis Concilii, quod Dei manda-
„to præponderare minime debet, au-
„ctoritas, quo minus id fiat, obsit: præ-
„terea probi homines exoptant, ut an-
„tiquus S. Eucharistiæ usus revocetur,
„& Antistites primis mensium singulo-
„rum Dominicis diebus, vel sæpius, si
„fuerint rogati, omnes, qui communi-
„care volunt, aut debent, convocent,
„& tum psalmis patrio sermone ab o-
„mnibus cantatis fidei, ac Generalis
„peccatorum confessio edatur, nec mi-
„nus publicæ etiam preces pro Princi-
„pe, ceterisque Magistratibus Eccle-
„siasticis, atque aliis, sicut & pro aeris sa-
„lubritate, terræ fructibus, ac pro infir-
„mis persolvantur, ac secundum hæc
„Evangelistarum, aut B. Pauli locus
„de S. Eucharistiæ usu prælegatur, &
„explicetur, & ita ad Communionem
„sub utraque specie omnes, qui adsunt,
„recipiantur: porro recens, & nuper
„inventum Dominici Corporis festum,
„quod multarum offensionum causam
„præbet,

„bet, & minime neceſſarium eſt, abo- Sæcul. XVI. A. C 1561.
„leatur; nam myſterium illud ad ado-
„rationem, & ſpiritualem cultum, non
„ad pompam, & ſpectacula inſtitutum
„videtur. (*)

„Præterea contra inſtitutum hujus
„Myſterii fit, quod unus tantum Sacer-
„dos in ſacrificio communicet: in ratio-
„ne etiam colendi Deum requiritur,
„ut Pſalmorum cantus in lingua ver-
„nacula rurſus in uſum revocetur. De
„cetero autem in hoc colloquio Sancti-
„tatis ſuæ auctoritas nequaquam impu-
„gnabitur, nihilque decidetur absque
„Borbonii, Turnonii, Caſtillionæi, Lotha-
„ringii, Armeniaci & Guiſii Cardina-
„lium conſilio.

§. XCVI.

Papa his literis commotus, Legatumque ad hoc colloquium decernens.

Summus Pontifex hac epiſtola vehe- *Pallav. l. 13. c. 12. n. 1.*
menter commotus perverſa, quæ in
hoc Poſſiacenſi colloquio condi merito time-

(*) Si reipſa hæc fuit Reginæ opinio, ac Poſſiacenſis colloquii ſententia, quid de utroque Catholicus ſentiat, aliis judicandum relinquo.

Sæc. XVI. A.C. 1561.

timebat, decreta prævertere, totis viribus adlaborabat, eapropter Hyppolitum Eſtenſem Cardinalem Ferrariæ Ducis Fratrem tanquam Sedis Apoſtolicæ Legatum eo decreverat, dato negotio, ut ad ea, quæ in hoc conventu proponerentur, probe attenderet, ac ſedulo præpediret, ne quicquam in Sedis ſacræ præjudicium moveretur. Sub idem tempus Pius IV. nullum non movebat lapidem, ut Concilii Oecumenici celebrationem, quam nunc magis, ac unquam neceſſariam cognoverat, maturaret, jamque ejus Legati die ſexta Aprilis Tridentum venerant, ac die decima ſequentis Menſis Maji non ſine ſolatio ibidem Bartholomæum de Martyribus Ordinis S. Dominici Religioſum, qui Bracaræ in Luſitania Archiepiſcopus, hujus Regni Primas, ac Præſul erat ſanctitatis eminentia, & profundæ eruditionis fama longe celeberrimus, exceperunt, quinimo ſummus Pontifex comperto hujus Viri adventu gratulabundus epiſtolam encomiis plenam ad eos perſcripſerat.

§. XCVII.

Ferrarienſis Cardinalis Legati Pontificii diſceſſus in Franciam.

Inſta-

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

Instabat unice Hippoliti Ferrariensis Cardinalis discessus in Franciam, cujus opera non minus Pontifici ibidem erat necessaria, quam utilis; quippe Vir erat, qui præter singularem in rebus difficillimus feliciter gerendis dexteritatem insuper magna apud Gallos auctoritate pollebat, & quamvis ob Protestantium petulantiam acerbos omnino insultus experiri cogeretur, dextre tamen suam auctoritatem sartam conservabat, ac saltem iis, a quibus odio habebatur, metum ingerens submissionem debitam inspirabat. *Pal. l. c.*

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ
LIBER CLVII.

PIUS IV. PONTIF. MAXIMUS, FERD. I. OCC. IMP.

§. I.

Colloquium Poſſiacenſe.

Sæcul. XVI. A C. 1561.

Thuan. l. c. Benoit. hiſt. de l'Edit. de Nantes tom. 2. p. 27.

Adventante in Gallias Ferrarienſi Cardinale Sacræ Sedis Legato jamjam Poſſiacenſi colloquio dabatur initium, nihil tamen adhuc de Religionis negotio deciſum erat; dum enim hoc colloquium fuerat inchoatum, præſentes duntaxat aderant Borbonius, Turnonius, Caſtillionæus, Lotharingius, Armeniacus, & Guiſius Cardinales unacum quatuor Epiſcopis, quorum tamen numerus poſtea ad quadraginta excreverat: Doctorum vero, ac Theologorum ſcientia maxime illuſtrium intervenerant quamplurimi, atque inter eos etiam Claudius Epencæus, & Claudius Sanctius. Paucis poſt diebus illinc etiam venerant duodecim, aut tredecim

decim ſpuriæ reformationis Miniſtri u- Sæcul. XVI.
nacum viginti duobus ſuarum Eccleſia- A.C. 1561.
rum Deputatis, atque ex illis Theodo-
rus Beza primus Calvini Diſcipulus,
atque Coadjutor veluti ceterorum ca-
put verba facere jubebatur: porro reli-
qui erant: I. Auguſtinus Marloratus ex
Ordine Auguſtinianorum Apoſtata, &
tum Rothomagenſis Miniſter, II. Joan-
nes Malo quondam Pariſiis Presbyter
S. Andreæ ad arcum, dein vero fidei
deſertor: III. Joannes Spina antea Or-
dinis S. Dominici Alumnus, poſtea e-
tiam a vera Religione deficiens. IV.
Petrus Martyr inter ſuos magni nomi-
nis Theologus, a Tigurinis deputatus,
V. Joannes Viretus, VI. Franciſcus Mo-
relus, VII. Raymundus Merlinus, VIII.
Nicolaus Tobias, IX. Claudius Boſſe-
rius, X. Joannes Boquinus, XI. Joannes
Turrius, XII. Nicolaus Gallaſius.

§. II.

Quatuor Calviniſtarum poſtulata in hoc colloquio.

In hujus colloquii principio Lotharin- *Thuan. l. c. Claud. Sanct. in apol contra Bezam.*
gius Cardinalis Theodoro Bezæ ſpe-
cialem exhibebat amicitiam, ut illum
ad privatam diſputationem ſecum in-
eundam induceret, qua forte diſſidia de-
cidi poſſent: verum Beza hanc conditio-
nem acceptare haud audebat: quinimo

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Marloratus Regi libellum ſupplicem porrexit, quo quatuor hæc capita poſtulavit: I. Epiſcopi, ceterique Præſules huic colloquio tanquam partes, non tanquam judices aſſiſtant. II. Rex colloquio, ſeu collationi cum ſanctioris conſilii Senatoribus præſit. III. Controverſiæ omnes ex ſolo Dei verbo decidantur: IV. quicquid conventum, ac decretum fuerit, id per Notarios, & Amanuenſes, de quibus partes prius conveniſſent, ſcriptis mandetur, iisque proinde integra fides habeatur. Libello hoc ad Senatum regium remiſſo Proteſtantium Miniſtri, cum nullum reſponſum daretur, tandem apud Reginam intercedebant, quæ etiam reſponſum fere eorum poſtulatis conſentaneum dedit, id unice præcipiens, ut is, qui hac in occaſione Notarii munus obiret, unus ex illis eligeretur, qui ſecretioris Conſilii Miniſter foret, ita tamen, ut iis liberum relinqueretur, per virum ab ipſis electum ea, ſi quæ in colloquio agitarentur, ſeu de quodam articulo conveniretur, ſeu ille controverſus remaneret, in commentario ſingulis diebus referre: Inſuper Regina hoſce Miniſtros Proteſtantes a Sancti Germani oppido Poiſſiacum uſque præſidio munitos conduci juſſit, ut a populi in eos exacerbati furore immunes eſſent.

§. III.

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

§. III.

Rex colloquii rationem exponens, illique initium datum.

Cum hæretici rursus instarent, ut etiam sibi, quandoquidem indulgeretur, quatenus Rex colloquio præesset, ejus rei fides scripto fieret, hinc Regina petiit, ut non amplius sibi id scripto dari vellent, sed ejus promisso siderent: insuper Theologorum plures Reginam rogabant, ne Protestantium Ministri colloquio interessent, aut si decrevisset eos admittere, atque audire, saltem Rex huic disputationi præsens non adesset, cum periculum foret, ne tenellæ ejus aures pestifero perversæ doctrinæ veneno inficerentur, aliunde vero ipsi, utpote damnatæ opinionis jam pridem convicti, nequaquam audiendi essent: verum ii nullum aliud a Regina responsum retulere, quam nihil, nisi ex consilii sententia in ea re actum iri: itaque Rex ipsemet huic colloquio unacum tota Aula sua interfuit, comitantibus illum Regina, Navarræ Rege, Aurelianensi Duce Regis Franciæ Fratre, Margarita ejus Sorore, Regii Sanguinis Principibus, & sacratioris Senatus Patribus præter jam supra memoratos Cardinales, atque Prælatos. Sedebat Rex intra septa clath-

Thu. l. c. Mezer t. 2. p 827.

Sæcul. XVI A C 1561.

clathrata, quæ pro eo, illiusque Aulicis in Religioſarum Virginum cœnobio conſtruebantur: Doctores vero Theologi humiliora ſubſellia pro illis præparata ab Epiſcoporum tergo occupabant: porro Proteſtantes Miniſtri eundem locum tenere, ac eodem, quo Catholicorum Theologi, ordine diſponi petebant: verum repulſam tulerunt, atque id unice eis permiſſum, ut extra ambitum ſtantes ſua argumenta proponere poſſent.

Cunctis itaque conſidentibus Rex ad id inſtructus dixit: „ſcitis, qua de cauſſa „huc convocati ſitis, nimirum ut turbis, quæ paſſim in meo Regno exoriuntur, ſalutare remedium ex veſtra „ſententia quæratur; proinde curate, „ut præciſa omni offenſionis cauſſa ea, „quæ emendatione egent, corrigantur, „& publicæ tranquillitati, quam optime „fieri poterit, legitima ratione conſulatur: quam in rem peto, ut non prius „diſcedatis, quam omnem operam de„deritis, ut tandem aliquando compo„ſitis diſſidiis mutua inter populos mihi „ſubditos concordia, ac ſincera amici„tia farciatur: quod ſi feceritis, non „committam, ut patrocinium, quo a „majoribus meis olim protecti eſtis, a „me, meisve Magiſtratibus in poſterum „poſſitis requirere.

§. IV.

§. IV.

Sæcul. XVI, A. C. 1561.

Oratio Hoſpitalii Cancellarii in Poſſiacenſi Conventu.

Tum Hoſpitalius Cancellarius pluribus Regis voluntatem aperire juſſus, orationem, cujus ſummam referimus, ita ordiebatur: „Ex ore Regis „veſtri notum eſt vobis omnibus, quod „ad id conveneritis, ut ea, quæ in „diſciplina, ac doctrina etiam depra„vata ſunt, emendentur: porro idem „votum fuit Henrici II. & Franciſci II. „ſed morte eorum tam laudabiles co„natus impediti fuerunt, nam ad hoc „Reges a Deo inſtituti, & ordinati, „ut illorum corda, ſeu, voluntates, „conſilia, affectus in manu ſua habeat, „& prout quisque erga populos affectus „ſit, moderetur, flectat, & regat: porro „eadem mens, ac voluntas, quam Deus „Patri, & avo dedit, noſtro quoque „Regi indita eſt, qua in re ſuorum An„tiſtitum auxilio opus habet, ſed cu„randum, ne, quod imperiti medici fa„ciunt, remediis lenientibus, & ad „tempus dolorem ſedantibus, non au„tem perfecte curantibus utantur, hinc „cauſſa morbi cognoſcenda, eaque præ„cidenda, nam malum urget: itaque „neque e longinquo, neque tardum re„medium petendum: id vero, quod a

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

„Concilio universali exspectatur, nimis „serum est, ac plerumque ejusmodi „Synodi exteris, & rerum nostrarum „ignaris hominibus constant, quibus „nostra ægritudo minus perspecta est, „& tamen Pontifici necessitas imposita „est, ut eorum opera utatur: Antisti„tes vero, qui hic adsunt, fratres, co„gnati, & amici eorum sunt, qui cura„tione egent, ac proinde haud dubi„tandum, quin ipsi majori charitate „eos prosecuturi, & cum exactiori pe„ritia in eo negotio versaturi sint: nec „impedimento est, quod objiciatur, per„inde acsi eodem tempore duo con„cilia haberi non possent, nam & hoc „alias factitatum, nec exemplo caret: „decreta enim illius Concilii, quod in „Francia celebrandum foret, singillatim „possent ad Pontificem mitti, ut iis „subscribat, cum id sæpius usurpatum „fuerit sub Carolo magno in Provincia„libus Synodis, præcipue in Aurelia„nensi, Arelatensi, & Aquensi; ubi error ab „universalis Synodi factione seminatus, „a nationali plerumque extirpatus, ac „correctus fuit: insuper pro exemplo „servit Concilium Ariminense, in quo „Arianum virus sparsum fuit, dum ta„men postea ejus errorem coacto in Gal„liis Concilio beatæ memoriæ Hilarius „Pictaviensis Episcopus damnavit, at-

que

„que e Francia omnino eliminavit: At- Sæcul XVI.
„tamen præprimis neceſſe eſt, ut An- A.C.1561.
„tiſtites, ac Theologi corde, humili, &
„ut corpore præſentes, ſic animis con-
„cordes adſint, nec ullus ſe præ aliis
„æſtimet, nec is, qui doctrina præſtat,
„inferiores ſe contemnat, neque vicis-
„ſim, qui doctrina minus valet, doctio-
„ribus maligne invideat. Ceterum ſub-
„tiles, ac curioſæ diſputationes ſunt
„rejiciendæ, nec multis libris opus eſt,
„ſed Verbum Dei ſufficit, ad quod tan-
„quam regulam doctrina appendenda,
„& examinanda eſt.

Poſtea Cancellarius ſermonem contorquens ad Calviniſtas hunc in modum proſequebatur; „nec erga Proteſtantes „alieno adeo animo nos Catholici eſſe „debemus, quippe qui fratres ſunt, & „eodem lavacro regenerati eundem Chri-„ſtum nobiſcum colunt, nec ii ex præ-„concepta adverſus eos opinione in-„dicta cauſſa condemnandi, ſed am-„plectendi, accipiendi, & amice in viam „reducendi ſunt ſine acerbitate, & con-„tumacia; nam nimia ſeveritate in eo „graviter erratur: ſic olim Alexander „Alexandriæ Patriarcha ad inſaniam „Arium adegit, & ſic Neſtorius Conſtan-„tinopolitanus ob eandem cauſſam in „non minus pernicioſum errorem inci-„dit, hinc ſatis eſſe debet Epiſcopis,

quod

Sæc. XVI A.C. 1561.

„quod judices in propria cauſſa ſedeant: „proinde diligenter curent, ut ſe irre„prehenſibiles in jure dicendo præbeant; „nam id, quod ex Dei lege, ac præ„ceptis judicaverint, ratum erit, præ„cluſo adverſariis ore, qui non violen„tia coacti ceſſiſſe, ſed amica diſcepta„tione inſtructi errorem agnoviſſe apud „populum convincentur. (*) Cum hæc Cancellarii oratio congregatorum non paucis ſummopere diſpliceret, Turnonius Cardinalis, utpote ceteris Præſulibus ſenior ſurrexit, hujusque Viri ſermonem ſibi ſcripto tradi petiit, ut & ipſe, ejusque Socii deſuper deliberare valerent: verum Rex mox Theodoro Bezæ ſuam orationem proferre præcepit.

§. V.

Sermo Theodori Bezæ.

Thuan. l. 28. Spond. n. 19. Benoit l. c. pag. 27.

Theodorus hæreticus percepto Reginæ mandato confeſtim unacum ſectæ ſuæ ſociis in genua procumbens, levatis manibus, oculisque in cœlum intentis

(*) Mirum ſane, quod tam craſſa Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ignorantia circa Concilium Ariminenſe, Neſtorii, & Arii geſta, aliaque in hiſce Gallis Oratoribus inveniri potuerit, quæ tamen in unius anni Scholari haud toleranda eſſet.

tentis prolixius ad Deum preces funde- Sæcul. XVI. A.C. 1561.
bat, quibus demum orationem Domi-
nicam subjunxit: postea vero surgens, primo Regem allocutus omnes eloquentiæ fontes exhaurire nitebatur, ut suos defenderet, eosque coram toto consessu tanquam innoxios depingeret, denique suam orationem exorsus fidei confessionem, quam suæ hæresis Sectatores tenebant, exponens, hanc in sententiam perorabat: „inique cum meis „agitur, quod tanquam turbulenti, ambitiosi, seditiosi, ac publicæ tranquillitatis perturbatores in Aula, ac Regni „curiis vulgo traducantur, cum id dun„taxat agant, ut propagata Dei Gloria „fidelium Saluti, ac conscientiarum tran„quillitati consulant, nec liberam con„veniendi facultatem quærant, ut ea „ad libertatem, & vitam fœditate omni „contaminatam abutantur; nam Li„bertinos, Anabaptistas, & Sectario„rum hujuscemodi monstra ex animo „detestantur, & unice, ut pacatis con„scientiis Deo, & potestatibus a Deo „constitutis læti serviant, conventus „suos agendi libertatem petierunt.„ His dictis eos doctrinæ articulos explicabat, in quibus sui cum Pontificiis conveniunt, vel dissentiunt: ut vero id manifestum redderet, palam professus est, suos credere, quod in hoc mundo nec

alia

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

alia detur satisfactio, aut expiatio, quam Christi Domini obedientia, cœlumque mereamur unice per ejus mortem, & passionem, cum in his solum reposita sit salus nostra, solique illius verbo standum, quoniam per solam fidem Christus Dominus nobis applicatur, quin tamen a fide charitas excludatur. His subjunxit Beza, quod nullum aliud liberum arbitrium, nisi id, quod per gratiam sit liberum, in homine detur, solaque justitiæ, & obedientiæ regula sint Dei mandata, quibus nihil addendum, nec diminuendum: opera vero evadant bona, in quantum a Spiritu Dei, qui operatur in nobis, procedunt, & quatenus per ea glorificatur Deus: porro vitam etiam æternam per gratuitum Dei donum, non autem per mercedem meritis nostris debitam a nobis acquiri inquiebat, nec minus fatebatur, quod ipsi tanquam Dei Verbum unice recipiant doctrinam in Veteri, & novo Testamento scriptam, veterum vero Doctorum, ac Conciliorum scripta cum Sacris Paginis, atque inter se concordanda sint, & aliunde cuncta, quæ illi proferunt, Sacro Codici innitantur.

Postea ad Sacramentorum materiam transiens affirmabat, quod sint signa visibilia, per quæ unio, quam cum Christo habemus, non modo nobis significatur,

catur, sed etiam a Salvatore nostro re-ipsa nobis offertur, & proin per Spiritus sancti virtutem rata habetur, signatur, & quasi illis imprimitur, qui per veram fidem id, quod eis ita significatur, & repræsentatur, recipiunt, sumuntque: asserebat etiam, quod in Sacramentis intercedat cœlestis, & supernaturalis immutatio, atque in cœna panis sit Sacramentum pretiosi Corporis Domini nostri Jesu Christi pro nobis traditi: vinum vero sit Sacramentum pretiosi Sanguinis sui pro nobis effusi, hæcque immutatio non in signorum substantia, sed in usu, & fine, ob quem signa sunt instituta, fiat, & efficiatur per solam potentiam, illiusque voluntatem, qui omnem hanc actionem adeo divinam, & cœlestem fieri præcepit, cujus etiam præceptum alta, ac distincta voce in patrio idiomate recitetur, cunctisque assistentibus clare exponatur. His addebat, quod panis, quem juxta nostrum mandatum frangimus, sit communicatio veri Corporis Christi pro nobis traditi, calix vero, quem bibimus, sit participatio veri Sanguinis sui pro nobis effusi in eadem substantia, quam Christus in sinu Virginis assumpsit, secumque ad cælos detulit.

§. VI.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

§. VI.

Theodori Blasphemiæ circa Eucharistiam.

Præterea circa Eucharistiam Theodorus impio ore hasce effutiebat Blasphemias: „Transsubstantiatio nullam „habet analogiam, & nexum cum mea „fide, cum omnino adversetur Sacra„mentorum essentiæ, ac naturæ humanæ „in Christo, necnon ejus Ascensionis ve„ritati opponatur: pariter consubstan„tiatio non potest argumento ex Christi „verbis petito firmari, nec tamen pro„pterea Christum a Sacra Cœna absen„tem statuimus, quamvis ad locorum „distantiam tantum Christus distet a „pane, & vino, quantum supremum „Cœlum ab infima terra, eoquod nos, „& Sacramenta simus in terris, ejus au„tem caro versetur in cœlis, & non „alibi, nos tamen participamus de ipsius „corpore, & Sanguine modo spirituali.

§. VII.

Oratio Cardinalis Turnonii contra Bezæ Blasphemias.

Ad postrema hæc Bezæ verba omnes Prælati, cunctique hujus consessus Doctores indignitate facti summe commoti non sine fremitu exclamabant: *Blasphemavit hic hæreticus:* moxque Cardinalis

dinalis Turnonius his verbis Regem al- Sæcul XVI
loquebatur: „contra animi sententiam A. C. 1561.
„Antistites, qui huc adsunt, fecere,
„atque suis conscientiis vim intulerunt;
„cum in hunc congressum descenderint,
„atque in id, ut novi Evangelistæ au-
„direntur, consenserint: verum id enixæ
„Regiæ vestræ Majestatis voluntati de-
„derunt, & de expresso ejus mandato
„huc venerunt, jam antea prævidentes,
„fore, ut illi, si audirentur, multa indigna,
„& in Deum contumeliosa effusuri essent,
„quæ Regis ipsius, ac piorum omnium
„aures offenderent, ideo ab initio
„precabantur, ne Rex huic cœtui in-
„teresset: proinde nunc Majestatem Re-
„giam enixe rogo, ut iis, quæ modo
„dicta sunt, minime fidem habeat, sed
„tantisper suum judicium suspendat,
„nec falsis eorum opinionibus animum
„suum præoccupari patiatur, donec ali-
„ter sit a Præsulibus demonstratum;
„tunc enim Majestas sua, universusque
„consessus percipiet, quodnam sit inter
„veritatem, ac mendacium discrimen:
„peto igitur diem mihi indulgeri ad
„respondendum, interea vero Majesta-
„tem vestram precor, ut Majorum ve-
„stigiis in Religione constanter insistat.
„His dictis subjecit: nisi Regiæ Maje-
„statis vestræ, atque vestrorum manda-
„torum rationem habuissent Antistites,

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

„ad horrenda, & abominanda illa verba, „quæ modo pronuntiata sunt, abs du„bio insurrexissent, nunquam passuri, „ut sermo ulterius produceretur.„ Quinimo ipsemet Beza ob suam impietatem pudore suffusus suam petulantiam apud Reginam excusare, ac propositiones adeo nefandas temperare satagebat.

§. VIII.

Continuata Theodori Bezæ oratio.

Interim Regina petiit, ut Beza, priusquam ejus dicta confutarentur, totum suum sermonem proferre permitteretur, quapropter hic hæreticus suam orationem prosequens hæc addebat: „Meæ sectæ Alumni credunt Baptis„mum esse Sacramentum institutum a „Deo, atque in ejus Filio Christo Jesu „confirmatum: ceteros vero ritus, qui „itidem Sacramenta in Romana Eccle„sia vocantur, hoc nomine honorare „non possumus, cum id in sacris lite„ris non reperiamus: veram tamen pœ„nitentiam in absolutione, quam recipi„mus, in Sanguine Christi, & in emen„datione consistere profitemur, atque „approbamus matrimonium in omnibus „illis, quibus continentiæ donum non „est datum, ad quam tamen neminem „obstringere licet: recipimus quoque „dignitatum Ecclesiasticarum ordines,

in

„in quantum Deus eos in ſua Domo „inſtituit per divinum Verbum, nec in- „firmorum viſitationes reprobamus, ne- „minem vero in jejunio, & ciborum „delectu diſtinquendum cenſemus: por- „ro de Eccleſiæ diſciplina judicamus, „illam eſſe adeo confuſum, atque ever- „ſam, ut nullum veteris ædificii appa- „reat veſtigium, quapropter eandem ad „priſtinam ſuam puritatem, ac ſplen- „dorem revocari deſideramus, ſimul- „que petimus, ut ea, quæ poſt Chri- „ſtum, ejusque Apoſtolos Verbo Dei „adverſa fuere addita, aboleantur, ſu- „perflua reſecentur, atque cuncta, quæ „ad ſuperſtitionem inducunt, tollan- „tur: cetera vero utilia, atque pieta- „tem foventia retineantur, & in no- „mine Domini obſerventur, quantum „tempori, loco, vel perſonis erit con- „veniens, ut communi ore Deo ubique „in Spiritu, & veritate ſerviatur.

Sæcul. XVI. A C. 1561.

§. IX.

Epiſtola Bezæ ſuas Blasphemias apud Reginam excuſantis.

Cum Regina ad Bezæ propoſitiones, quas circa Euchariſtiam effutierat, exhorreſceret, hinc hæreticus ille paulopoſt datis ad eam literis hæc expoſuit: „ſummopere doleo, quod tunc, „cum de Cænæ Myſterio coram Rege, & Re-

Thuan. l. c.

Sæc. XVI. A.C. 1561.

„& Regina agerem, anguſtia temporis „præpeditus ſententiam meam pluribus „non explicaverim: audio nunc quos„dam id, quod a me nuper dictum, ita „interpretari, quaſi Chriſtum a Cœna „abeſſe aſſeruerim, quod impium eſſet, „& in Deum contumelioſum, cum fa„tear tremendum hoc Myſterium a Dei „Filio inſtitutum, ut magis, ac magis „participes efficiamur Subſtantiæ veri „ſui Corporis, & veri ſui Sanguinis, „atque ea ratione cum ipſo arctius unia„mur, & coaleſcamus in vitam æter„nam: itaque ut iis ſatisfaciam, hoc „aſſero, Deum quidem vere in cœna „adeſſe, ſed non propterea ejus Cor„pus, quod in Cœlo eſt loco, & ſpa„tio circumſcriptum, cum pane con„jungi, nam ita ſentit B. Auguſtinus, cum „dicit, Chriſtum, quatenus Deus eſt, „ubique exiſtere, quatenus homo, in „Cœlo: pariter Vigilius Epiſcopus Tri„dentinus, qui mille amplius abhinc „annis contra Eutychen ſcripſit, his „verbis ſuam mentem aperuit: Unicus „filius Dei, qui etiam factus eſt homo, „uno loco continetur, quod ad carnis „naturam attinet, nec ullo loco conti„netur, quod ad naturam divinitatis „ſpectat.

§. X.

Lotharingii Cardinalis oratio.

Cum

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Cum Lotharingius Cardinalis Theodoro Bezæ reſpondere juberetur, prolixum adornabat ſermonem in duas partes diviſum, in quarum prima de Eccleſiæ auctoritate agens aſſeruit, quod illa ſola in decidendis fidei controverſiis judex ſit, nec ſolis ſacris literis illæ dijudicari poſſint, eoquod omnino, cum eædem ſeipſas interpretari non valeant, neceſſe ſit ad vivum, & loquentem recurrere Judicem, qui ſuprema auctoritate ſua, quid in Sacra Scriptura contineatur, ac quisnam illius verus ſit ſenſus, decidat. Poſtea ab initio ſermonis ſui de obſequio, quod Regi debetur, præfatus ſic inquit: „Rex „membrum, non caput Eccleſiæ eſt, „cujus tuendæ curam præcipuam ge„rere debet; ceterum in iis rebus, quæ „ad doctrinam pertinent, ipſi Eccleſiæ, „& ejus Miniſtris ſubjacet, nam ex Scri„pturæ teſtimonio, & uſu in veteri Ec„cleſia recepto conſtat, quod Impera„tores in cauſſa fidei Epiſcoporum ju„risdictioni, Sedique Apoſtolicæ ſub„jecti ſint.„

Thuan. l. c. in act. colloq. Poſſiac. ab ſpen. Script.

Porro Cardinalis de Eccleſia diſſerens inquiebat, quod illa non tantum ex electis conſtet, cum in Domini area palea cum tritico promiſcue reperiatur; Eccleſiam tamen univerſam errare poſſe negabat, ſi vero quæpiam ſingularis erraret,

Sæcul XVI. A.C. 1561.

raret, pro eo casu inquiebat, quod ad Principes recurrendum sit, hoc est, ad Romanam Ecclesiam, & ad Universalium Synodorum decreta, & antiquorum Patrum inter se consentientium sententias: præprimis vero Scripturæ testimoniis recto Ecclesiæ sensu, & interpretatione explicatis locus tribui debeat, quam normam, & ordinem cum non tenuerint Arius, & ejus Sectarii, inde factum, ut in errorum inextricabilem labyrinthum sese præcipites dederint.

In secunda orationis suæ parte de articulo circa Cœnam Domini differens demonstrabat, quam periculosum sit a recepta in Ecclesia interpretatione recedere; fieri enim posse ajebat, ut ex occasione Sacro-Sancti hujus Mysterii a Deo in id instituti, ut nos eo tanquam arctiori unionis vinculo secum constringeret, controversiis haud solvendis, & dissidiis nunquam destituris porta aperiatur, & ex eo tandem charitatis nunquam deinceps inter nos sarciendæ scissura consequatur, nam si in ea sententia permanerent Protestantes, ut existiment, quod Christus non aliter ab Ascensionis in Cœlum tempore inter nos sit, quam antequam Carnem induisset, aut aliud Corpus, quam visibile, nunc non habeat, neque aliter in Sacramento exi-

stat,

existat, quam insit in verbi prædicatione, ac res eadem sit, Christum in Baptismo induere, & ipsius Carnem, ac Sanguinem in Cœna sumere, necnon ita in cœlis versetur, ut in terra non existat, sicque non plus in Cœna, quam in scena, aut etiam in cœno sit, nulla concordiæ ratio iniri poterit. Sæcul. XVI. A C. 1561.

Postea Cardinalis Catholicam sententiam exponens ait: „Nos profite„mur, quod Corpus Christi Domini sit „secundum naturalem suam extensio„nem in cœlis, alio autem modo in „Sanctissimo Sacramento existat, nam „Philosophia nos docet, nullam dari „contradictionem, quod unum Corpus „simul sit in pluribus locis, repugnet „tamen, quod in uno loco versetur, „& ibidem non sit: inde vero concluldebat Cardinalis, quod tunc, si Pro„testantibus nil aliud, quod respondeant, „superst, illis palam declaret, quod „ab eorum sententia tam longe distet, „quam altissimum cœlum a terra dissi„tum sit.

§. XI.

Communis Prælatorum applausus ad Cardinalis orationem.

Ad hanc Cardinalis orationem ceteri omnes Prælati vehementer applaudentes uno ore profitebantur, quod in *Thuan. & Mez. l. c.*

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

ea fide, quam Cardinalis expoſuiſſet, vivere, & mori parati eſſent: & poſtea Regem, atque Reginam enixe rogabant, ut ipſi quoque in ea conſtanter perſeverare, illamque tueri vellent: his tamen verbis adjiciebant Præſules, quod non impedirent, ut illi, qui ab ea deflexerunt, ſi doctrinæ modo a Lotharingio expoſitæ ſubſcribere velint, ad cetera, quæ diſceptanda reſtant, explicanda admittantur: ſi vero id recuſent, ab omni prorſus colloquio excludendos, atque adeo e tota ditione expellendos petebant.

§. XII.

Libellus ſupplex a Proteſtantibus Regi porrectus.

Thuan. l. c. Cum Theodorus Beza a Regina peteret, ut Cardinali Lotharingio ex tempore reſpondendi facultas ſibi daretur, Rex in alium diem Seſſionem diſtulit: re autem longius protracta, Proteſtantium Miniſtri libellum ſupplicem Regi porrigunt, in quo ſic loquebantur: „Regis juſſu huc venimus, ut amice „ſedandis diſſidiis in Religionis cauſſa „exortis cum Præſulibus conveniretur; „ſed pacis, ac generis humani hoſtis, „& ejus emiſſariorum aſtu fit, ut affecta„tis protelationibus tam laudabilis co„natus non ſolum retardetur, verum exitu

„exitu tandem careat: proinde petimus, „ut Rex tam juſtæ cauſſæ patrocinium, „Joſiæ, Ochoziæ, & aliorum piorum „Principum exemplo ſuſcipiat, ceptam- „que in colloquio diſputationem, ſeu „collationem continuandi facultatem „nobis indulgeat.„ Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Cum autem Proteſtantes ſuo libello amarulenta quædam verba inſeruiſſent, quibus Pontificis auctoritas, & Epiſcoporum fides perſtringebatur, hinc factum eſt, quod ſerius reſponſum ſit, ac nonniſi ſollicitantibus Valentino, & Sagienſi Epiſcopis tandem illis data fuerit cum Prælatis colloquendi copia: itaque die vigeſima quarta Septembris Miniſtri numero duodecim coram Regina, Navarræ Rege, ejusque Conjuge, aliisque Proceribus ſiſtuntur, moxque in præcipuo Conventus cubiculo privatum inſtituitur colloquium, cui tamen nec Rex, nec Turnonius Cardinalis intererat.

§. XIII.

Altera Bezæ declamatio in Poſſiacenſi colloquio.

Prior ſermonem ſuum exorſus eſt Beza ſibi præprimis materiam ſeligens de Eccleſia, cujus naturam, ſigna, & auctoritatem juxta hæretica ſua principia expoſuit: verum vix argumentum *Beza l. 4. p. 519. Thuan. l. c.*

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

pertractare ceperat, cum illico loquentem Lotharingius Cardinalis interrumperet, ſciſcitans, a quonam ad prædicationis miniſterium vocatus fuiſſet? ad hæc vero reſpondit Beza, ſe a populo fuiſſe electum, a civili Magiſtratu confirmatum, atque a Deo tanquam Miniſtrum eſſe miſſum. Dein Eſpencæus Doctor ab eo ſciſcitabatur, a quonam manus impoſitionem ſuſceperit? ad hoc reſpondit Beza, quod per aliam viam Miniſterium fuiſſet ingreſſus: poſtea continuato ſermone Eccleſiam in electorum cœtu conſiſtere, illius vero notas eſſe ajebat verbi divini prædicationem, puram Sacramentorum adminiſtrationem, & doctrinæ, ac perſonarum ſucceſſionem, quam ſæpius interruptam fatebatur: inſuper agebat de vocatione ordinaria, atque extraordinaria: differens vero de auctoritate Eccleſiæ fuſius circa Concilia excurrebat, quæ interdum errare poſſe, imo etiam poſtrema erraſſe contendit. Denique ſermonem ad Sacræ Scripturæ auctoritatem convertebat, examinans, utrum illi Eccleſia ſit præferenda, an potius Eccleſia totam ſuam auctoritatem a Sacris Paginis derivet? quam in rem mox Eſpencæus hæc ſubjunxit: „ſæpius mi„ratus ſum, qua auctoritate Proteſtantes, „& a quo vocati, & inſtituti ad miniſterium

„sterium essent, & cum neminem cita- Sæcul XVI.
„rent, a quo manus impositionem susce- A.C.1561.
„pissent, quomodo legitimi pastores cen-
„seri possent.„

§. XIV.
Espencæi Doctoris responsum ad Bezam.

Cum Beza in suo sermone duo voca- *Thuan. l. c.*
tionum genera assignaverit, & harum unam vocarit ordinariam, alteram vero extraordinariam, hinc Espencæus addidit: „manifestum est, Protestantes „Ministros vocatione ordinaria minime „institutos; cum autem ad extraordi- „nariam miraculis opus sit, nec ea ipsi „edant, necessario sequitur, nec secun- „dum ordinem, nec extra ordinem eos „in domum Dei ingressos esse: porro „quod ad traditiones attinet, si quando „de Scripturæ interpretatione exoriatur „controversia, nec conveniri possit, „procul dubio ad Patres recurrendum „est, quibus auctoritas a legitima, & „ordinaria successione conciliatur, nam „illis, qui legitimæ Ecclesiæ præsunt, „Spiritus Sancti dona conferuntur, si- „cuti de Levitis scriptum est, quorum „responsa in dubium revocari nefas ha- „bebatur; insuper multa traditionibus „invaluere, & rata sunt, quæ in sacris „libris minime perscripta habentur, uti

Patrem

Sæcul. XVI. A C. 1561.

„Patrem non genitum esse, Filium Patri „consubstantialem, baptizandos esse in„fantes, Virginem Mariam etiam post „partum Virginem permansisse: rata de„nique sunt ea, quæ ab universalibus „Conciliis decreta fuere; non enim in „ea doctrina errare possunt, & nusquam „reperitur, quod in iis, quæ doctrinam „spectant, aut posteriora prioribus dero„gent, aut ea corrigant.

§. XV.

Bezæ responsum ad Epincœum, & Sanctium Doctores.

Hist. Eccl. Bez. l. 4. p. 820. Bossvet variat. l. 9. art. 93.

Postea Claudius Sanctius verba faciens ferme eadem, quæ Espencæus proposuerat, repetebat, iis vero Beza reposuit, quod manuum impositio non sit necessarium legitimæ vocationis signum, sed essentialia signa sint electio, & inquisitio in mores, & doctrinam: quapropter haud ægre ferendum, quod ipsi manuum impositionem non recepissent ab iis, quos Ordinarios vocant, cum depravatos illorum mores, superstitiones, & falsam doctrinam rejiciant, veritatemque tueantur, quam illi impugnant. His addidit, quod non semper ad extraordinariam vocationem necessaria sint miracula, idque confirmetur exemplo Isaiæ, Danielis, Amos, Zachariæ, ac denique D. Pauli. Absoluto

Sæcul XVI. A.C. 1561.

soluto hoc Bezæ sermone, Ministri publice nomine ceterarum omnium Ecclesiarum suæ fidei confessionem porrigebant, quam regnante Henrico II. in primo suo Conciliabulo Parisiis habito procuderant, ut jam alibi meminimus. Insuper quasdam alias Wittembergensium confessiones Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo nono factas tradebant: nunc autem perspiciamus, qua demum ratione suam doctrinam ex communi consensu proposuerint.

§. XVI.

Fidei confessio circa Cœnam Possiaci tradita.

Bossuet l. c. art. 94. p. 67. tom. II.

„Fatemur, quod Jesus Christus in cœna „ nobis det, & vere exhibeat corpo„ris sui, & Sanguinis substantiam Spiri„tus Sancti efficacia, & nos recipiamus, „& edamus spiritualiter, & per fidem „verum illud corpus: quod pro nobis „oblatum, & immolatum est: ut si„mus ossa de ossibus, & caro de Carne „ejus, ad hoc, ut eo vivificemur, & „recipiamus, quæcunque ad salutem „nostram conducunt, & quoniam fides „verbo Dei innixa res receptas facit „præsentes, ac per istam fidem recipi„mus re, & facto ipso verum, ac na„turale Corpus, & Sanguinem Christi „virtute Spiritus Sancti, hac ratione fate-

Sæcul. XVI A.C. 1561.

„fatemur, & agnoscimus Corporis, & „Sanguinis ipsius in cœna præsentiam;„ cum vero Protestantes Ministri circa hunc articulum explicationem omnino confusam, prout reipsa patet, sese dedisse cernerent, hinc sequentia addebant, *nulla locorum distantia posse impediri, quominus Corpori, & Sanguini Christi communicemus; quippe cum Cœna Domini res Cœlestis sit, & quamvis in terra accipiamus ore panem, & vinum, ut vera Corporis, & Sanguinis signa, tamen fide, & Spiritus Sancti efficacia mentes nostras, quæ hoc cibo pascuntur, in cœlum raptas Corpore, & Sanguine præsente frui, & hac ratione dici corpus vere pani conjungi, & Sanguinem vino, sed Sacramentali modo, hoc est, minime secundum locum, aut positum naturalem, sed quatenus efficaciter significant, Deum illa exhibere fideliter participantibus, illosque vere per fidem ea recipere.*

§. XVII.

Mutuæ, variæque quæstiones inter Episcopos, & Protestantes.

Thuan. l. c. Hanc fidei confessionem Protestantes ideo porrigebant, quia Lotharingius Cardinalis eos nil nisi quæstiones ex quæstionibus suscitare, in nullo autem convenire cernebat, quapropter huic malo obviaturus unice articulo de Eucharistia tamdiu insisti petiit, donec de

de eo concors haberetur doctrina. Postea a Ministris scisitabatur, an forte, cum circa hunc articulum Ecclesiæ Romanæ, & Græcæ doctrinam rejiciant, Augustanæ Confessioni subscribere parati essent, quæ ita profitetur: *Fatemur, quod verum Christi Corpus, & Sanguis vere, realiter, & Sacramentaliter sit in Eucharistiæ Sacramento, ac ita offeratur, & recipiatur ab iis, qui illud recipiunt, & communicant.* Ut huic quæstioni responderent, Ministri Protestantes, bidui spatium petierunt, ac tandem die vigesima sexta ejusdem Mensis Septembris Beza scriptum recitabat, in quo suorum Sociorum vocationem vindicare conatus quæstionem sibi propositam in Episcopos retorquebat. Sæcul. XVI. A.C 1561.

§. XVIII.

Bezæ Scriptum Episcopis injuriosum.

„Eja, inquiebat Beza, imaginemur nobis Episcopum interrogantem „nos, quo jure prædicemus, & Sacra„menta administremus, nonne merito „nos quoque eundem interrogare pos„sumus, an ipse electus sit a Seniori„bus Ecclesiæ illius, cui deputatus est „tanquam Episcopus? an ipse fuerit a „populo postulatus, an præcesserit in„quisitio in ejus vitam, & mores, at„que doctrinam? si id affirmat: probe noſci-

Sæc. XVI. A.C. 1561.

„noſcimus, id factum non fuiſſe: ſi „autem nobis objiciat, quod Miniſtri „non ſimus, quia manuum impoſitio„nem non recipimus, eidem reſponde„bimus, quod ipſe non ſit Epiſcopus, „quia in ejus inſtitutione omiſſa fue„runt capita, ut vocant, ſubſtantialia, „quæ ab ipſo jure divino præſcribun„tur, in quo tamen diſpenſatio nulla „eſt: ceterum ſi ex eodem hoc Epiſcopo „petimus, quantum pro hac impoſi„tione ſolverit, dicet quidem, quod „illam non coemerit, ſed duntaxat ali„quot aureorum millia expenderit.„ Poſtmodum Beza ad articulum de Cæna tranſiens querebatur, quod ipſis articulus de Confeſſione Auguſtana fuerit propoſitus, juſſique fuiſſent, eidem ſubſcribere, cum tamen huc veniſſent, ut inſtruerentur, validisque rationibus convincerentur: demum Cardinalem Lotharingium interrogabat, an privato ſuo, vel totius conſeſſus nomine hanc ſubſcriptionem ipſis proponeret? ſi enim omnes illam ſubſcribi poſtularent, tunc etiam ipſe Cardinalis, ejusque Socii non modo huic articulo, ſed toti Auguſtanæ Confeſſioni ſubſcribere deberent: Demum ingens utrinque erat altercatio, quin tamen quicquam decideretur: graviter vero querebatur Lotharingius Cardinalis de Bezæ ſcripto, quod Præſulibus inju-

injurioſum, atque Regis auctoritati adverſum erat: inſuper rurſus inſtabat, ut propoſito ſubſcriberent articulo, viciſſim vero Beza petitionem ſuam, quam fecerat, urgebat: renuente autem Cardinale affirmabat, haud rationi conſonum eſſe, ut ejusmodi ſubſcriptio a ſuis peteretur. Sæcul. XVI. A C 1561.

§. XIX.

Petrus Martyr Italo ſermone contra realem Præſentiam declamans.

Poſtquam Eſpencæus Doctor ſermonem circa Cœnam inchoatum proſecutus erat, Petrus Martyr reſpondere conatus Italo idiomate circa Euchariſtiam diſſerere cœperat, vocemque *ſubſtantiæ*, qua Calvinus utebatur, quadam interpretatione temperans realem Præſentiam impugnabat, ſimulque circa totum hunc articulum ſeſe verum Zwinglii diſcipulum prodebat, nihilominus tamen ad ea, quæ dixerat, parum intentæ erant ceterorum aures, eoquod omnium animi ob contumelioſum Bezæ ſermonem ſævere adhuc exaſperati eſſent. *Beza l. 4. pag. 820.*

§. XX.

Layneſii Jeſuitarum Generalis oratio in hoc colloquio.

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

Intererat quoque huic colloquio Pater Jacobus Layneſius ſecundus Societatis Jeſu Generalis, qui Bezæ reſpondens præprimis ſermone ad Reginam converſo eidem hæc expoſuit: „Potiſſimum Sacri Codicis lectione com„peri, periculoſæ plenum eſſe opus „aleæ, & damno obnoxium, cum „iis colloqui, vel eos auſcultare, „qui ab Eccleſiæ Catholicæ Matris „noſtræ gremio ſponte exciderunt, „& depravatarum ſeſe opinionum la„queis ultro induerunt, ac veluti trans„fugæ a Religione Majorum deſcive„runt; nec enim temere illos in ſacris „literis divinus ſpiritus paſſim, nunc „ſerpentes, nunc lupos, interdum vul„pes, nonnunquam, & feras appellare „conſuevit, ut nos edoceret, vitandos „eſſe hæreticos ob eorum hypocriſin, „artesque, quas nullo non ævo in uſum „deduxerunt, ſic enim olim Pelagiani, „qui gratiæ neceſſitatem negantes, na„turæ quasdam vires, quas tamen non „habet, attribuebant, cum vero ab „Eccleſia ad arcta conſtringerentur, hanc „quidem gratiam ad pias actiones eſſe „neceſſariam profitebantur, ſingulis ta„men inſinuabant, quod per hanc gra„tiam nil niſi naturam gratis a Deo „nobis datam intelligant. Alii corpo„rum reſurrectionem inficiabantur, con-

Pallav. l. 15. c. 14. n. 1. Sacchini hiſt. Soc. l. 5. num. 202.

ten-

„tendentes, quod sola anima resuſci- Sæcul. XVI.
„tetur, quando a gratia juſtificatur: in- A.C. 1561.
„terrogati autem, an carnis resurre-
„ctionem profiterentur, id affirmabant,
„nam per id intelligebant animam, quæ
„carnem resuſcitat, seu corpori juncta est,
„quando per gratiam juſtificatur.

Postea Laynesius hæc exempla Calviniſtis applicat, qui Catholicam Eccleſiam se revereri, Paſtores, & Miniſtros habere, Sacrorum librorum, exceptis tamen nonnullis, auctoritatem tanquam Divinam agnoſcere profitebantur, atque affirmabant, quod eorum Eccleſia conſtituat Catholicam Eccleſiam, eorum Magiſtratus, & Miniſtri ſint veri, ac legitimi, ſenſusque, quem ipſi Sacris Paginis attribuunt, ſit verus, & Catholicus, cum tamen certum, omnibusque compertum conſtet, quod nec Eccleſiam, nec Miniſtros legitimos, nec verum Sacri Codicis ſenſum habeant, ſed potius pro ſimiis, qui Catholicos imitari affectant, habendi veniant: porro hoc artificio freti admittebant, ſeu potius se admittere fingebant in Euchariſtiæ Sacramento præſentiam realem Chriſti Domini, qui nobis vere datur: re tamen ipſa id duntaxat intelligebant de modo mere ſpirituali, & per fidem, affirmantes, quod Chriſtus Dominus ſolummodo ſit in cœlis, & non alibi exiſtat.

Sæcul XVI. A.C. 1561.

§. XXI.

Monitum Laynesii Reginæ datum.

Sacchini. num. 203.

Postea Laynesius hunc in modum Reginam alloquebatur: „ea ex ratione „mihi succurrebat Majestati vestræ re„media afferre duo, quorum alterum „mihi quidem bonum videtur, alterum „vero minime malum, & prius est, ut ve„stra Majestas intelligat, quod nec ipsius, „nec humani cujuspiam Principis sit „agitare fidei res, cum talibus Prin„cipibus harum rerum potestas non com„petat, ac insuper fere ejusmodi homi„nes non soleant in subtilibus, ac re„conditis de Religione disputationibus „versati esse; ideo & ratio petit, ut „fabrilia fabri tractent: Sacerdotum „igitur est hoc negotium: quoniam vero „res fidei causſæ sunt majores, ad Sa„cerdotem summum, ac generale con„cilium statuere de iis spectat, quod „Concilium, cum in præsentia aper„tum sit, nec æquum, nec legitimum „videtur conventus hos habere; idcirco „Patres in Basileensi congregati Syno„do, quamdiu Oecumenicum Concilium „durabat, sexque ante illud mensibus, „Provincialia vetuere fieri: ergo re„medium, quod dicebam bonum, est, „ut vestra Majestas illos ad Concilium „mittat, cum ibi docti homines na-

tionum

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

„tionum omnium conveniant, & in „eo, quod caput est, certa S. Spiri- „tus præsentia, & rectio adsit, quam „hic polliceri nobis haud quaquam pos- „sumus: cumque Pontifex salvos, ac „tutos præstaturus sit, si inducant ani- „mum ire, ac doceri, quod velle se di- „ctitant, multo id eo loco melius fiet, „quamquam ut id, quod res est, di- „cam, haud mihi isti persuadeant, velle „doceri, sed docere, & sua late vene- „na spargere, quippe qui loco audiendi „alios, sesqui horas declamant. Alte- „rum remedium, haud illud quidem bo- „num, sed minime malum est, ut ve- „stra Majestas, quando istorum miserta, „ut indulgentia, & charitate erga eos „utatur, si quo modo demereri, & re- „conciliari Ecclesiæ queant, disputari „vult, id fiat duntaxat coram doctis, „exercitatisque viris, qui procul a pe- „riculo sunt, ne inficiantur, ac pertur- „bentur, imo coarguere, & docere „istos queant: hac enim via vestræ e- „tiam Majestati, & his illustrissimis „Principibus hæc audiendi molestia „eximetur.„

Postea Laynesius ad ea respondit, quæ Petrus Martyr contra Sacrificium effutierat, cum enim hic hæreticus dixisset, quod Missa sit cruenti illius Sacrificii, quod factum est in cruce, imago,

Sæcul. XVI. A C. 1561.

& ſimulacrum, & proin non poſſit ibi adeſſe ipſemet Chriſtus, eoquod deſinat ſimulacrum rei eſſe, ubi res ipſa eſt, hanc omnem rem Layneſius hoc ſimili illuſtrabat exemplo: „fac Regem, „qui præclaram ex hoſte victoriam re„portarit, ac victoriæ ejus memoriam „inſtaurari quotannis velit, tunc id „triplici via proclive erit facere: I. ſi „narrari tantummodo ſeriem rei geſtæ „jusſerit: II. ſi per actores ſimulacrum „belli ipſum referri voluerit: III. ſi ipſe„met inter actores adeſſe velit, atque „eandem, quam in pugna olim ſubiit, „poſtea in imitatione, & repræſen„tatione idem ipſe perſonam ſubeat: „nonne hæc unacum vera ipſius Regis „præſentia etiam vera imago, veraque „repræſentatio haud dubie erit: porro „id ipſum nunc in diviniſſimo, & in„cruento Miſſæ Sacrificio evenit.„

Hæc Layneſii oratio ad tres horæ partes protracta Cardinalis Ferrarienſis juſſu Gallice reddita, & typis fuit impreſſa, quam tamen hæretici, & præcipue Beza cachinnis, ac ſibilis explodere ſatagebant, cum illam confutare haud poſſent: ceterum illa Catholicos plurimum in fide corroborabat, quinimo, ſi eorum Sectatores ad mutandam animi ſententiam non induxerat, ſaltem plurimum ad hoc conferebat, ut hæreticos-

reticorum pertinacia, atque rationum imbecillitas manifesta fieret. Sæcul. XVI. A.C.1561.

§. XXII.

Hujus colloquii ratio in privatum Conventum Sangermani habitum mutata.

Cum crebris hisce altercationibus nonnisi tempus frustra tereretur, ac duntaxat ea, quæ jam sæpius dicta fuere, recoquerentur, hinc Regina aliud inter quinque cujuslibet partis Theologos colloquium in S. Germani oppido in Laya indici voluit: ergo Catholicorum nomine nominantur Joannes Montlucus Valentinus Episcopus, & Petrus de Valle Saginensis Antistes unacum tribus Parisiensis Facultatis Theologicæ Doctoribus, Claudio Espencæo, Ludovico Butillerio, & Joanne Salignac, quibus opponebantur Theodorus Beza, Petrus Martyr, Marloratus, Gallasius, & Spina, quos inter præprimis de colloquii ratione, loco, & tempore, necnon de iis, qui gesta scriptis mandarent, conventum est. *Thuan. l. c.*

§. XXIII.

Primum Sangermanense colloquium circa Eucharistiam.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Thuan. l.c.

Die prima Octobris prima habebatur consultatio, in qua Græcum Sanct. Cyrilli Hierosolymitani Episcopi exemplar producebatur, ac post longam disceptationem tandem Ministri Protestantes hanc fabricabant fidei Confessionem: „Fatemur Corporis, & Sanguinis Christi „præsentiam in Sacra Cœna, atque in „ea Christum nobis offerre, & vere „exhibere Corporis, & Sanguinis substantiam Spiritus Sancti efficacia, & „nos recipere, & edere spiritualiter, ac „per fidem verum illud corpus, quod „pro nobis oblatum, & immolatum est, „ut simus ossa de ossibus, & caro de „carne ejus, ad hoc, ut eo vivificemur, „& recipiamus quæcunque ad salutem „nostram conducunt, & quoniam fides „verbo Dei innixa res receptas facit „præsentes, ac per istam fidem recipimus re, & facto ipso verum, ac naturale corpus, & Sanguinem Christi „virtute Spiritus Sancti, hac ratione „fatemur, & agnoscimus Corporis, & „Sanguinis ipsius in Cœna præsentiam.„ Attamen Doctor Espencæus, quamvis præcedentia hujus confessionis verba non ita improbaret, omnino subscribere recusavit postremæ illius parti, quam pariter a Catholicis in latina, & Græca Ecclesia, in Occidentali, Orientali, Africana, Æthiopica, nec-

nec non in Germania a Proteſtantibus reprobatum iri ajebat: hinc eam potius ita concipiendam cenſebat: „Et quo-„niam verbum, & promiſſio Dei, cui fi-„des noſtra innititur, res promiſſas fa-„cit præſentes, ac virtute, & efficacia „verbi recipimus re, & facto ipſo ve-„rum, ac naturale Corpus, & Sangui-„nem Chriſti, hac ratione fatemur, & „agnoſcimus in Cœna Corporis, & San-„guinis ipſius præſentiam. Sæcul. XVI. A.C. 1561.

§. XXIV.

Fidei confeſſio circa Euchariſtiam a Proteſtantibus procuſa.

Juxta hanc mutationem Delegati habito cum Miniſtris colloquio, fidei confeſſionem Poſſiacum mittebant, quæ tamen veluti captioſa, ac inſufficiens rejiciebatur, quapropter Proteſtantes aliam his verbis conceptam conſarcinare coacti fuere: „Fatemur, Jeſum Chri-„ſtum in ſacra ſua cœna nobis offerre, „dare, & vere exhibere Corporis ſui, & „Sanguinis ſui ſubſtantiam, Spiritus „Sancti efficacia, & nos recipere, & „manducare ſpiritualiter, ſacramentali-„ter, & per fidem proprium illud cor-„pus, quod pro nobis oblatum, & im-„molatum eſt, ut ſimus oſſa de oſſibus, „& caro de carne ejus, ad hoc, ut eo „vivificemur, & recipiamus, quæcun-„que

Sæc. XVI. A.C. 1561.

„que ad ſalutem noſtram conducunt, & „quoniam fides verbo Dei innixa res „receptas facit præſentes, ac per iſtam „fidem recipimus re, & facto ipſo ve„rum, ac naturale Corpus, & Sangui„nem Chriſti virtute Spiritus Sancti, hac „ratione fatemur, & agnoſcimus Cor„poris, & Sanguinis ipſius in cœna præſentiam. „

(*) Sperabat Regina, hanc fidei Confeſſionem abs dubio a Prælatis, qui Poſſiaci adhuc quædam in cauſſis Eccleſiaſticis decreta edituri agebant, comprobatum iri: quapropter illam per Burdinum ſecretioris Senatus Miniſtrum die quarta Octobris ad eos tranſmiſit, qua poſtmodum examinata quinta poſt die Reginæ in reſponſis datum, quod decepta fuerit, cum poſterior hæc Confeſſio non minus ſit captioſa, inſufficiens, & hæretica, quam prior: porro hoc Præſulum judicio Regina valde perterrita hæſit; credebat enim, jamjam Catholicos inter, & Calviniſtas unionem eſſe confectam.

§. XXV.

(*) Obſerves velim, quod hæc fidei Confeſſio in nullo a priori differat, niſi quod in hac poſtrema additum ſit verbum *ſacramentaliter*, hinc ex Thuano colligimus, a Continuatore perperam alteram hanc confeſſionem referri.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

§. XXV.

Hæc fidei Confessio tanquam captiosa, & hæretica a Theologica Facultate Parisiensi rejecta.

Ut Possiacenses Prælati de sui judicii æquitate magis certi essent, eandem Calviniſtarum confessionem ad Parisiensem Facultatem Theologicam ibidem examinandam transmiserunt: Verum Doctores cunctis verbis, ac loquendi modis mature ponderatis idem cum Prælatis judicium ferebant, unanimi suffragio decidentes, quod illa esset captiosa, insufficiens, ac hæretica, & quidem captiosa, eoquod illius verba ambiguum in se sensum continerent, ac stabilire viderentur realem præsentiam, quam tamen alia ejusdem verba destruerent: insufficientem etiam illam censebant, cum realem Corporis, & Sanguinis Christi præsentiam sub panis, & vini speciebus non exprimat, nec ullam vim sacramentalibus Verbis, ac sacerdotibus consecrantibus tribuat: denique hæreticam dicebant, eoquod nonnisi spiritualem præsentiam, seu in fide admittat.

§. XXVI.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

§. XXVI.

Alia fidei Confessio a Prælatis ad Reginam transmissa.

Hæc censura, postquam ab Episcopis fuerat examinata, die nona Octobris ad Reginam transmittebatur una cum quadam epistola, in qua Præsules fusius ennarrabant, quod tam in publicis, quam privatis colloquiis, ut Calvinistæ ad veræ fidei semitam, sinumque Ecclesiæ revocarentur, nil intentatum fuerit relictum, eorumque errores, ac blasphemiæ fuerint confutatæ, sine ullo tamen fructu, „hinc, inquiebant Præsu„les, ad sacram Majestatem vestram „transmittimus fidei confessionem circa „Eucharistiam, cui ut subscribant, ac „sese subjiciant, compellendi sunt Calvi„nistæ: si vero id renuerint, tanquam „homines haud sanandi, atque in suis „erroribus, suaque contra Ecclesiam „rebellione obstinati de regno Chri„stianissimo, in quo nulla unquam hære„sis fuit tolerata, extirpandi sunt.„ Porro confessio, quam Præsules confecerunt, fuit hæc: „Credimus, ac pro„fitemur, quod in Sanctissimo Altaris „Sacramento verum Corpus, & Christi „Sanguis sit realiter, & transsubstantia„liter sub speciebus panis, & vini per „virtutem, & potestatem divinam verbi „a Sa-

„a Sacerdote prolati, tanquam solo Mi- Sæcul. XVI. A. C. 1561.
„nistro ad id ordinato juxta præceptum,
„& institutionem Christi Domini.„

§. XXVII.

Calvinistarum Confessio ab iisdem Præsulibus reformata.

Postea iidem hi Præsules posteriorem Calvinistarum confessionem, quæ ad Reginam fuerat transmissa, hac ratione emendabant. „Credimus, ac confite„mur, quod Sacerdos Minister a Chri„sto Domino ordinatus, in Sanctissimo „Altaris Sacramento det verum Cor„pus, verumque Christi Sanguinem sub „speciebus panis, & vini, & hoc quidem „per virtutem efficacem verborum, qui„bus Christus in Institutione hujus „Sacramenti usus est. Profitemur e„tiam, quod nos teneamus, & mandu„cemus verum Corpus, sacramentali„ter, spiritualiter, & vere ad salutem „nostram, si per fidem, ac sufficienter „probatis nostris conscientiis illud re„cipimus, secus autem illud manduce„mus ad damnationem nostram: quo„niam vero fides, quæ Verbo Dei inni„titur, res promissas facit præsentes, „nam sive credamus, sive non, verbum „tamen suam exerit virtutem, hac ra„tione fatemur veram, & realem præ„sentiam Christi Domini, quem non mo„

„do

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

„do boni, verique fideles, sed etiam „infelices hypocritæ, qui veram, rectam„que fidem non habent, recipiunt.„ Hoc Præsulum responso obstupefacta hæsit Regina non minus, ac Protestantes Minîstri, qui ad Præsules mox aliam verbis magis ambiguis conceptam transmittebant fidei suæ confessionem: attamen Præsules insuperhabitis Reginæ precibus in ea animi firmitate, quæ Episcopis, quoties de veritate agitur, innata esse debet, immoti persistebant, ac judicum auctoritatem, qua prius Regina circa Ministrorum postulata illos exuere nitebatur, rursus sibi vendicabant, eapropter, cum Protestantes sese Confessioni circa Eucharistiam pure absque eo, quod illam aliquatenus mutarent, subscribere renuerent, celebre colloquium Possiacense solutum fuit.

§. XXVIII.

Germaniæ Protestantes serius ad colloquium adventantes.

Thuan. l. 28. Bez. hist. eccl. l. 4. p. 719. La Popelin. l. 7.

Jamjam colloquio finis dabatur, cum Joannes Andreas, & Jacobus Buclinus Lutheranorum Ministelli a Wirtembergensi Duce, necnon Michael Dillerius, & Petrus Boquinus a Principe Palatino submissi adventarent, ut & ipsi disputationibus interessent: cum ergo serius adessent, Parisiis substitere, ubi Jacobus

cobus Buclinus exeunte Menſe Octobri contagioſa lue correptus deceſſit. Sæc. XVI. A C. 1561.

§. XXIX.

Caſſiandri liber de conciliandis animis a Balduino in Franciam delatus.

Porro in conſultatione die vigeſima quarta Septembris celebrata Proteſtantes deliberationem, quam ante trimeſtre Wirtembergenſes Miniſtri habebant, porrexerunt, moxque fama percrebuit, quod eandem hanc deliberationem ſoluto Poſſiacenſi colloquio celebris Jurisconſultus Franciſcus Balduinus in Franciam detulerit. Hic idem Doctor aliquamdiu Genevæ, & poſtea Heidelbergæ jurisprudentiam profeſſus inde Pariſios venerat, ut pacis viam in Religione ineundam quæreret, quam in rem ſecum detulit celebris Caſſiandri librum, cui titulus: *De Officio pii Viri in hoc Religionis diſſidio*: porro hoc opus Balduinus pluribus oſtendebat, atque ex ejus principiis deſumendam pacis conſtituendæ, & concordiæ ineundæ normam dicebat: Verum pia ejus evertebantur conſilia, quippe Proteſtantes, qui Balduinum tanquam ſectæ ſuæ deſertorem abominabantur, inſanis furiis tumultuabantur

Sæcul. XVI. A C. 1561.

tur adversus hunc librum, quem a Balduino compositum credentes damnarunt: Calvinus quoque calamum suum adversus eum acuit, cui tamen Balduinus respondit in quadam præfatione Optati operibus præfixa, necnon in alio tractatu studiose in legem *de libellis famosis* edito, in quo se Authorem libri *de Officio pii hominis &c.* esse negabat: nihilominus Calvinus denuo virulento admodum scripto respondit: postquam vero Cassiander sese Auctorem fatebatur, non minus alii in eum insurgebant, imo ipsi etiam Catholici hunc librum confutabant, atque inter alios præcipue Joannes Hesselius, Bredembachius, & Robertus Cenalis. Ceterum Cassiandri consilium a Viris moderationis studiosis valde probabatur, ac Germaniæ Principes censebant, quod præter ipsum nullus alius dissipandis dissensionibus magis aptus fuisset: verum nec ab his, nec ab illis receptus fuerat.

§. XXX.

Trecensis Episcopus a Petro Martyre reduce seductus.

Thuan. l. c. Camusat. antiq. Tricass. San Marth. in Gall. Christ.

Soluto itaque colloquio Ministri, qui Possiaci erant, honorifice dimittebantur, ac inprimis Petrus Martyr, cum per Trecas domum rediret, Joannem Antonium Carraciolum, qui ex Abbate S. Vi-

S. Victoris Parisiensis ad Tricassinum Episcopatum nominatus fuerat, invisit. Erat hic Præsul eruditione conspicuus, novæ tamen sectæ admodum propensus occulto favore Protestantes prosequebatur, tantumque efficiebat, ut libere citra ullam molestiam suos cœtus haberent; cum autem ei Petrus Martyr animi anxietatem injeciisset de vocatione sua, eoquod non Ecclesiæ, ac populi suffragiis electus esset, hinc Protestantium Ecclesiæ Seniores evocabat, rogabatque, ut pie, ac prudenter inquirerent, an eum eligere, ac pro legitimo deinceps Episcopo habere vellent? nec ullo pacto blandirentur, si enim eum minus idoneum ad hanc dignitatem censerent, se libenter loco cessurum ajebat: Ergo re inter eos discussa omnium consensu electus, & denuo ad suum Episcopatum nominatus fuit, necnon Calvini hæresin suæ Diœcesis populo in concionibus propinabat, prius tamen egregium sui erga hæresin studii specimen dabat, cum sese sacrilegis nuptiis pollueret: itaque ceteri Præsules tam nefandi facinoris indignitate commoti, ac tam perversi exempli funestos successus veriti apud Regem querebantur, a quo etiam e sua Diœcesi ejectus Castellum novum ad Ligerim secedere cogebatur, quam ditionem olim Fran-

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Sæc. XVI. A.C. 1561.

ciscus I. ejus Patri Joanni Caracciolo Melphitano Principi dono dederat: ubi etiam obiit Joannes Antonius Anno post Christum natum millesimo quingentesimo sexagesimo nono.

§. XXXI.

Pacta Regem inter, & Clerum eidem multa millia numerantem.

Recueil generalis des affaires de Clerge tom. 2 part. 1. an. 1636. impr.

Colloquio ad finem vergente Episcopi aliquamdiu adhuc Possiaci hærebant, ut illi, cum Rex summam a Clero promissam sibi numerari vehementer urgeret, de congregandis hisce pecuniis deliberarent: itaque feria tertia die decima quarta Octobris Cardinales, atque Episcopi cum Rege paciscebantur, polliciti, quod intra sexennium Clerus Majestati suæ novem, ut vocant, milliones præter sexcenta librarum millia duodecim solutionibus, quarum quævis quolibet semestri fieret, ita numerare vellent, ut a prima die proximi mensis Januarii initium duceretur, & decimarum exactione, vel alio modo tota summa Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo septimo die ultima Septembris persolveretur: insuper conventum, ut qualibet solutione, quæ quovis semestri fieret, octingenta librarum millia pro reluendis regiæ Majestatis suæ prædiis, tributo-

butorum curiis, ac vectigalibus postremis Mensis Martii, & Septembris diebus penderentur, & tam tota hæc subsidii summa, quam solutionis tempora omnino observarentur sub iis conditionibus, & oneribus, quæ imponere necessitas suadebit, ac Clerici sustinere poterunt juxta mandata, ac monita, quæ ipsis data fuere tam a præcipientibus, quam a Cleri Deputatis, per quos distribuetur summa, quam ipsis a Clericis exigere licebit ultra quartam partem decimarum, quæ, ut præfato Clericorum Ordini, Archiepiscopis, Episcopis, Capitulis, & Beneficiatis imponantur, concessæ fuerunt. Hoc pactum in arce sancti Germani in Laya die vigesima prima Octobris fuit sigillo firmatum, ratumque habitum. Sæcul. XVI. A. C. 1561.

§. XXXII.

Jesuitæ Parisiis stabiliti.

Ceterum ex præcipuis commodis, quæ Pater Laynesius ex suo in Franciam itinere, necnon sua in Possiacensi colloquio præsentia reportaverat, haud infimum fuit, quod Prælati, ad quos Possiaci congregatos Senatus regius examen, ac decisionem obstaculorum Societatis Parisiis stabiliendæ confirmationem hucusque præpedientium remiserat, in favorem Jesuitarum rem decide-

Sæcul. XVI A.C. 1561.

rint, eorumque Societatem Parisiis firmatam confirmarint, omnia pariter Claromontani Episcopi bona eisdem adjudicantes, quæ ipsis Senatus adimere moliebatur, quamvis ea illis relinquere quatuor, vel quinque mandatis Regiis jussus fuisset: itaque Præsules præfatum institutum tanquam societatem, ac Collegium, non autem veluti Religionem recens institutam approbabant, adjecto tamen eo onere, ut hujus Societatis membra aliud, quam Societatis Jesu, vel Jesuitarum nomen adoptare teneantur, necnon Episcopus Diœcesanus plenam in dictam Societatem, & Collegium inspectionem, ac jurisdictionem habeat, vi cujus ex præfata Societate sceleratos, aut dissolutis moribus infames ejicere, ac expellere valeat. Hæc sunt propria verba, quibus Conventus Possiaci habitus utebatur in tabulis, per quas hæc Societas Jesu in Galliis fuit recepta, atque approbata, eaque gesta fuere ante Colloquii exitum die decima quinta Septembris Anno a Christi Nativitate millesimo quingentesimo sexagesimo primo.

§. XXXIII.

Conditiones, sub quibus Jesuitæ recepti.

Insu-

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

Insuper in iisdem tabulis adhuc aliæ præscribebantur conditiones, quæ erant sequentes. I. Hujus Societatis Fratres nec in sacris, nec in profanis rebus quicquam aggrediantur, aut perficiant cum præjudicio Episcoporum, Capitulorum, Curatorum, Parochiarum, & Universitatum, vel aliarum Religionum, sed sese ad communis juris dispositionem componere teneantur. II. præprimis, ac speciatim omnibus privilegiis, quæ ipsis circa præfata his conditionibus contraria in eorum Bullis concessa fuere, renuntient: si vero id facere recusaverint, aut inposterum alias ejusmodi Bullas obtinuerint, hæc receptio, & approbatio erit irrita, nullusque valoris, & efficaciæ, salvo tamen jure præfati Conventus, vel cujuscunque alterius, in omnibus hisce rebus. Hæ tabulæ receptionem, atque approbationem prædictæ Societatis concernentes unacum impositis oneribus, & conditionibus, quæ in dicta declaratione, & approbationis literis continentur, Anno salutis nostræ millesimo quingentesimo sexagesimo secundo die decima tertia Februarii fuere ad acta relatæ.

Abregé des actes & memoir des affaires du Clergé de France Paris chez Leonard. 1680. p. 129.

§. XXXIV.

Limitatus Parisiensis Episcopi consensus.

Sæc. XVI. A.C. 1561.

Pariter Parisiensis Episcopus, ut præfatæ literæ, ac Bullæ confirmentur, ratæque habeantur, consensit, ea tamen lege, ut præfati Fratres nec ullam jurisdictionem Episcopalem exercere, aut prædicare, vel absque licentia, & eorum Episcopi consensu Verbum Dei annuntiare valeant: si vero de quodam Beneficio Ecclesiastico etiam curato fuerint provisi, ob onera ipsis imposita coram præfatis Episcopis absque ulla literarum expeditione respondeant, eorundemque Episcoporum visitationi subjaceant, nec ullum Sacramentum, nequidem Confessionis, & Eucharistiæ administrent absque speciali licentia illius Parochi, cui subjecti sunt ii, quibus dicta Sacramenta administrare voluerint, ita tamen, ut præfatis Parochis, nec in sacris, nec in profanis, nec circa oblationes, sepulturæ jura, neque alia ejusmodi, quæ in eorum Ecclesiis, aut Sacellis peragent, ullum inferant damnum: insuper Episcopus eis prohibuit, ne sacras literas publice, vel privatim tradant, aut interpretentur, nisi prius a celebrium Universitatum Facultate Theologica fuerint examinati, ea tamen lege, ut exinde aliis sacris Ordinibus, atque Institutis nullum accrescat præjudicium: præterea professos præfatorum Ordinum Religiosos nullatenus ad suam Socie-

Societatem attrahere, vel recipere possint, nec novas condere Constitutiones, vel jam conditas, atque a Conventus Secretario subscribendas immutare, aut corrigere ipsis integrum relinquatur. Sæcul. XVI. A C. 1561.

§. XXXV.

Disciplinæ decreta in Conventu Possiacensi condita.

Insuper Possiacensis Conventus Prælati alia quædam disciplinæ Ecclesiasticæ decreta in variis Regni Diæcesibus observanda condidere, quorum primo circa Episcoporum promotionem sanciebatur, ut nomen illius, qui a Rege ad aliquem Episcopatum nominandus esset, valvis Capituli Ecclesiæ Cathedralis, vel in aliis locis affigatur, ut quilibet declarare possit, an in illo quidam reperiantur nævi, ob quos ad tam sublimem dignitatem inhabilis foret: præterea statutum, quod inculpatæ vitæ fama clarus existat, & in Capitulo fidei professionem præsente suo Metropolita emittat, postea vero Papæ literas, quibus Episcopatum obtinuit, acceptet: si ex adverso testes contra eum deponerent, tunc Regi liberum erit, ad hunc Episcopatum, prout bene visum fuerit, alium nominare: de cetero autem Episcopi ex legitimo connubio nati

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

ti triginta annorum sint, necnon intra semestre, quod a die electionis a sacra Sede obtentæ computetur, ab Archiepiscopo, & duobus, vel tribus Provinciæ Episcopis, si Archiepiscopus advocari nequiret, inaugurentur.

Alterum decretum de Residentia agens Archiepiscopis, atque Episcopis injunxit, ne a suis Diœcesibus abessent, sed potius in præcipua urbe sua, quantum fieri poterit, sedem suam figant: si vero ultra trimestre absentes fuerint, de sua absentia Metropolitæ, si autem ipsimet sint Archiepiscopi, tunc viciniori Episcopo rationem reddant: præterea admonebantur, ut sacræ Scripturæ studio incumbant, ac Dei Verbum populo suo annuntient vel per se, vel per Viros sana doctrina claros, atque huic muneri digne obeundo idoneos: Episcopalia tamen munia per seipsos exerceant, nec Episcoporum Suffraganeorum opera utantur, neque etiam pro literis, quas vocant, dimissoriis quicquam accipiant, eas autem soli Episcopi titulares, vel Capitula Sede vacante possint duntaxat concedere iis, qui curata habent beneficia, ita tamen, ut intra annum sacris Ordinibus initientur. Pariter Episcopi Diœceses suas lustrent, ac singulis annis Synodos celebrent, & quolibet triennio Archiepiscopi Provinciale

ciale Concilium convocent: insuper E- Sæcul. XVI.
piscopi unacum quatuor Canonicis Se- A.C. 1561.
nioribus exemptorum causas dijudicent, curatis autem a casibus reservatis absolvendi facultas detur: de cetero omnes libri typis imprimendi Authoris, & typographi nomen præseferant, sintque Episcopi jussu approbati. Denique Basileensis Conventus decretum circa excommunicationes fuit innovatum, sancitumque, quod duntaxat propter graves causas, ac nonnisi præmissa trina monitione anathemata pronuntiari valeant, Regisque patrocinium imploretur, ut illos, qui per integrum annum excommunicatione irretiti permanebunt, ad carceres detrudi jubeat.

Tertium decretum agit de dignitatibus, & Personatibus, qui nonnisi idoneis conferantur subditis, dummodo re ipsa illius Ecclesiæ, cujus sunt dignitates, Canonici existant, iique saltem viginti annos nati residere teneantur: Archidiaconi vero exacte suas peragant visitationes, quibus absolutis rationem reddant Episcopis, atque ad eos majoris momenti causas remittant, quin ipsi censuras Ecclesiasticas infligere valeant.

Quarto decreto, quod Canonicos concernit, illis octodecim annorum ætas præscribitur, atque residere jubentur, exceptis junioribus, si adhuc in qua-

Sæcul. XVI. A.C 1561.

dam Universitate studiis vacaverint; porro Cathedralis Ecclesiæ Theologi suas prælectiones, quibus Canonici assistant, accurate habeant: cum vero juvenes hi Canonici vigesimum ætatis annum attigerint, sacris Ordinibus initientur, ac singulis diebus Dominicis, festisque solemnioribus, ut populo pietatis suæ exemplum præbeant, sacram Synaxin in solemniori sacro recipiant, & Curati suarum Parochiarum possessionem non adeant, nisi prius ab Episcopo, & senioribus Canonicis fuerint examinati, atque approbati: Ceterum hi, qui ex Sedis Apostolicæ privilegio ad beneficia curata vocantur, hisce gratiis non utantur, nisi prius illas exhibuerint Episcopo, qui de æquitate caussæ judicet, simulque, an ejusmodi privilegia in Episcopi præjudicium non cedant, pronuntiet: intra annum autem Parochi sacrum Presbyteratus Ordinem recipiant, atque diligenter resideant, & frequenter etiam sacris operentur, nihilque pro Sacramentorum administratione recipiant, nec non suo gregi Evangelium explicent, modumque orandi edoceant.

Quintum decretum pro Sacerdotio viginti quinque annorum ætatem assignat, præcipitque, ut exhibeatur vel beneficii, vel patrimonii titulus, Episcopus

copus tamen illis, quibus ſacros Ordines confert, Eccleſiam, vel locum pro exercendis ordinis ſui functionibus aſſignare teneatur: ſi vero hunc locum abſque ejus conſenſu dimitterent, interdicto ſubjaceant. Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Sextum decretum reſpicit Monachos, quorum Profeſſioni decimus octavus, Religioſarum vero Virginum decimus ſextus ætatis annus præſcribitur: jubentur quoque Abbates, & Priores monaſteria luſtrare, atque in Regularis, & Monaſticæ diſciplinæ ſtudium inquirere, Monachosque corrigere: Epiſcopi vero corrigant ea, quæ doctrinam, aliaque crimina concernunt: iidem tamen tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati (*) illos quoque, qui nulli Superiori

(*) Cum Continuator Synodum Tridentinam in Galliis non fuiſſe receptam licet perperam aſſerat, mirum plane videtur, quomodo Franciæ Epiſcopi Sedis Apoſtolicæ delegatorum auctoritate pollere potuerint, cum tamen idem Continuator referat, quod prima vice in Concilio Tridentino a Papa Epiſcopi, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati fuerint inſtituti: certe Poſſiacenſis Conventus hanc prærogativam ſuis Epiſcopis attribuere haud poterat, quapropter haud temere conjici poteſt, quod Continuator pleraque decreta in ſuo cere-

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

riori subjacent, visitent. Denique in fine hujus Decreti Monachis studium, & Religiosis Virginibus clausuræ custodia commendatur.

In septimo decreto Abbates, & Priores Commendatarii saltem infra semestre, postquam hæc beneficia obtinuerint, sacros Ordines recipere jubentur, atque media anni parte in suis beneficiis residere, vitamque regularem ducere, ac Religiosam disciplinam ibidem conservare admonentur: insuper Ordinis Superiorem eligendi jus illæsum servatur, ac statuitur, ut in quolibet Ordine quatuor dentur Abbatiæ, quæ tantum a Regularibus possideantur.

Cetera decreta nil nisi præcepta quædam circa Divinum Officium, Ecclesiæque ritus continent, simulque prohibetur, ne sub sacro solemni Missæ privatæ dicantur, aut Concio habeatur: Sacerdotes vero monentur, ut sese, priusquam Altare accedant, probe disponant, exacte Sacrificii verba pronuntient, ac cum gravitate & decentia ritus peragant: cantilenas quoque alias, quam hymnos, & sacra Cantica ad organorum pulsum

cerebro fabricaverit ad ostentandum reformationis studium, præcipue cum nullum omnino Authorem referat, nec Thuanus, vel alii Scriptores de hisce decretis mentionem faciant.

pulsum decantare prohibentur, ac insuper sancitur, ut Officii Ecclesiastici Codices emendentur, & corrigantur, nec in Sodalitatibus convivia, festaque instituantur. Denique præcipitur, ut omnes superstitiosi usus aboleantur, populusque moneatur, quod sacræ imagines ex se ipsis nulla polleant virtute, sed in Ecclesia ideo duntaxat exponantur, ut Christi Domini, ac Sanctorum memoriam refricent: de cetero autem solus Deus sit adorandus, Sanctique velut ejus Amici sint honorandi: eapropter etiam statutum, ut Imagines, quæ quicquam aut indecens, aut risu dignas, vel commentitias historias repræsentant, penitus ab Ecclesiis eliminentur.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

§. XXXVI.

Fidei professio ab eodem Conventu stabilita.

Absolutis hisce decretis annectebatur Fidei Professio hujus tenoris: „Firma fide credimus, ac profitemur, quod „verum Christi Corpus, verusque Sanguis realiter, & transsubstantialiter sub „speciebus panis, & vini per virtutem „Verbi Divini prolati a Sacerdote, qui „solus est Minister ad hoc juxta Christi „Domini legem ordinatus, præsens sit: „fatemur etiam, quod Veteris, & Novi „Testa-

Sæcul. XVI. A C. 1561.

„Teſtamenti Scripturæ divinitus ſint inſpiratæ, ac nonniſi unica detur Eccleſia Catholica, & Apoſtolica ſub uno ſolo Chriſti Vicario, cujus fidem tenere adſtringimur: reverenda etiam eſt certa, ac minime dubia Conciliorum Generalium auctoritas, nec in dubium vocari poſſunt ea, quæ ab illis fuere definita: ſervandæ ſunt quoque traditiones Apoſtolicæ, ſanctorumque Patrum Orthodoxus ſequendus eſt ſenſus: Conſtitutionibus, ac præceptis Eccleſiaſticis obediendum, necnon ſeptem Sacramenta, quoad eorum uſum, virtutem, ac fructum ſunt recipienda, eo modo, quo Eccleſia ſemper ea admiſit, ac hucusque recepit: denique exacte omnia ea, quæ Noſtri Majores religioſe, ſancteque obſervarunt, retinemus, cunctasque cujuscunque generis novitates horrori habendas ducimus, atque monemus, a ſchiſmate eſſe cavendum, omnesque hæreſes deteſtandas, præcipue vero Zwinglii, Calvini, aliorumque ſectariorum, ſicut & Anabaptiſtarum errores.„

§. XXXVII.

Epiſcoporum libellus ſupplex circa uſum calicis Regi porrectus.

Promulgatis hiſce decretis Præſules ea, quæ ſtatuta fuere, a Rege confirmari

firmari petebant, & poſtea die vigeſima quinta Novembris Poſſiaco diſceſſerunt: verum Regina Colloquium re infecta ſolutum ægerrime ferens, exiſtimabat, Calviniſtas ad ſaniora eſſe reducendos, ſi eis hi duo articuli, qui ſacerdotum matrimonia, & Laicorum ſub utraque ſpecie communionem concernunt, concederentur: quapropter Epiſcopos inducere nitebatur, ut porrecto libello ſupplici Regem exorarent, quatenus utrumque hunc articulum apud Papam urgeret. Aſt potiſſimi Poſſiacenſis Conventus Prælati, aliique plures hanc Reginæ petitionem haud gravibus obnoxiam cenſebant difficultatibus, atque ideo ejusmodi libellum eſſe tradendum conſentiebant: verum plures aderant, qui pro obtinendo communionis ſub utraque ſpecie uſu Romanæ Eccleſiæ conſenſum haud neceſſarium fore judicabant, hancque conſuetudinem per Regis edictum revocari poſſe ajebant, eoquod per nullum decretum, aut Eccleſiæ Canonem, ſed duntaxat per contrariam conſuetudinem calicis uſus fuiſſet ademptus, qui ſenſim invaluiſſet: de cetero autem nulla reperiatur lex in jure Eccleſiaſtico, vi cujus priſtinum uſum redintegrare, Epiſcopi prohiberentur: Verum potiſſimi ex Præſulibus adverſæ ſuffragabantur opinioni, in tam peri-

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

periculosa re omnino Sacræ Sedis consilium esse expetendum arbitrati.

§. XXXVIII.

Papa per Regis Oratorem hac de re sollicitatus.

Memoir. pour le Concil. de Trente p. 99. & suiv.

Itaque Rex Romam ad Insulanum, qui erat ipsius Orator, hac de re literis die vigesima quarta Octobris datis eidem negotium dedit, ut de soluto Possiacensi conventu quantocius Papam edoceret: postea tamen Oratori suo injunxit, ut urgente Gallici Regni necessitate Papam sollicitaret, quatenus sacram Cœnam sub utraque panis, & vini specie sumendi facultatem populo tribueret, donec id in Synodo decideretur; eoquod olim idem in primitiva Ecclesia observatum fuisset. His addidit Rex, si vero objiceretur, hanc petitionem in Conciliis fuisse rejectam, tunc respondendum, quod summus Pontifex, cum in plurimis rebus toti regno minus proficuis toties, quoties libuerit, legis gratiam faceret, etiam in hoc maximi momenti negotio suæ potestatis plenitudine, suaque auctoritate uti posset, toti Orbi palam facturus, quantopere pacem, ac Franciæ tranquillitatem exoptaret, cum illa hoc pacto magis certa redderetur: Ceterum Rex de altero articulo, quem Præsules circa Sacerdotum

tum matrimonia libello suo inseruerant, nullam fecit mentionem. Sæc. XVI. A.C. 1561.

§. XXXIX.

Gallici Oratoris responsum ad Regem.

Orator recepta Regis epistola mox ad Papæ alloquium admitti petiit, iludque die sexta Novembris obtinuit, cumque Pius IV. Pontifex Regis petitionem primo non omnino rejecisset, Orator rescripsit, quod cum Papa agere cœpisset, ab eoque hoc tulisset responsum: „Semper ea mihi animo meo in„sedit opinio, quod hic articulus æque, „ac ille de Sacerdotum matrimonio (*) „ non *Mem let. du Visle au Roy du 6. Nov. p. 110.*

(*) Totum hoc responsum mere confictum esse constat, si enim Rex de connubio Sacerdotum in Oratoris epistola nullam fecit mentionem, quis credat, quod Pontifex ipsus de re tam periculosa sponte sua mentionem injicere voluerit? ubinam etiam legitur, quod hic Papa in nupero conclavi ob hanc opinionem pro Lutherano fuerit habitus? apage cum istis fabulis, quas satis frequenter in privatorum scriptis, quæ Gallice *Memoires* vocantur, reperire est, ubi hæreticorum argumenta subdole proponuntur, ac commentitia Pontificum, vel aliorum Virorum illustrium auctoritate fulciuntur.

Sæc. XVI. A.C. 1561.

„non nisi juris sit Ecclesiastici, proin „immutari possit: attamen cum in nupe„ro conclavi hanc meam mentem pan„derem, a nonnullis pro Lutherano ha„bitus sum: quapropter hac in re, quin „cum Cardinalibus fratribus meis con„feram, nil decidere volo: fidem ta„men facio, quod propterea proxime „Patrum Senatum convocaturus sim. „Equidem, addebat Pontifex, Maximi„lianus Bohemiæ Rex Filius meus „eandem quoque petitionem interpose„rat; nolebat enim Religione ductus, „hoc Sacramentum alio, quam Christus „Dominus instituisset, modo recipere, „quam eandem gratiam postea Cæsar „suorum subditorum nomine a me pe„tiit: verum Cardinales semper eorum „precibus obstitere.„ Hæc a Papa fuisse responsa rescripsit Orator, qui se eidem hæc opposuisse Regi nuntiabat: „Ego cum tanta rationum vi summo „Pontifici damna, quibus Franciæ Re„gnum exponeret, proposui, totamque „rem adeo sigillatim explicavi, ut Re„giæ suæ Majestatis voto plene satisfa„ctum iri sperem. „

§. XL.

Regis Franciæ petitio a Pontifice omnino rejecta.

Enim-

Enimvero summus Pontifex die decima Novembris Patrum Purpuratorum Senatum habuit: quapropter Insulanus Regis Orator Cardinales una omnes esse congregatos edoctus, ipsus quoque accessit, ac cum eis de negotio sibi demandato contulit, verum nihil impetrare potuit; illi enim, qui ceteris moderatione prævalebant, responderunt, in tanto negotio maturam adhibendam esse deliberationem, atque sine seria discussione rem haud dijudicandam: se tamen, quicquid salva Religione fieri posset, acturos, quamprimum a Pontifice requisiti fuerint. Verum Cardinalium potissimi hanc rem Ecclesiæ summopere noxiam fore censebant, atque præ ceteris Cardinalis Sancti Angeli palam testabatur, se nunquam consensurum, ut medicinæ loco Gallis tam periculosum propinetur venenum, cum præstet, ut potius absque tali remedio morerentur: porro incassum Orator reponebat, quod legis gratia duntaxat sese ad utriusque speciei usum extenderet, non autem ad id, quid de qualibet credendum sit: verum illi, qui eum loquentem exceperant, magis intenti erant, ut ei contradicerent, quam illius rationes ponderarent. (*)

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

Mem. l. c. lett. du 9. Decembr. p. 115. & suiv.

(*) Perinde acsi rationes pro usu Calicis jam

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Postmodum Cueva Cardinalis natione Hispanus ad Oratorem dicebat: „adeo non huic petitioni deferam, ut „etiam, si Sanctissimi Papæ auctoritate, „ac ceterorum consensu concederetur, „Ecclesiæ Divi Petri gradus conscende„rem, ac palam contra facinoris hujus „indignitatem insurgens exclamarem: „Misericordia! Misericordia!„ cum vero idem Cardinalis addidisset, planum videri, quod Episcopi, cum ejusmodi rem petere audeant, hæresi sint infecti, ad hoc reposuit Orator, quod Prælati, priusquam suam petitionem proponerent, eandem mature ponderarint, ac solidis rationibus ex Theologia petitis corroborarint, ut proin ejus censura nimis præcipiti consilio lata Ecclesiæ Gallicanæ injuriosa esset, illaque proderet, quod horum Præsulum dotes, ac eruditionem penitus ignoraret. Porro Orator totius rei seriem ad Regem perscribens inter alia narrabat, quod hic Cardinalis liberalius suo genio indulge-

jam dudum notæ non fuissent, atque jam a pluribus sæculis longo admodum, ac maturo examine in ipso etiam Concilio Generali non fuissent ponderatæ: Verum nonnulli Principibus adulandi studio abrepti plus ipsa Ecclesia sapere gestiunt.

geret, quam ſano conſilio abundaret. (*) His quoque Inſulanus ſubjunxit ea, quæ ſequuntur: „ego relictis Car„dinalibus Papam, dum ex ſuo cubili „ad Patrum Senatum properaret, præ„ceſſi, eumque comitatus fui, ac rur„ſus, ut hoc negotium decideret, eun„dem inſtanter rogavi: Papa vero me „de prona ſua voluntate certum reddi„dit, & aliquamdiu ſubſiſtens interro„gavit, an rem in Senatu proponi vel„lem? ad hoc autem reſpondi, quod „id nunquam in mente habuerim, ſed „unice inſtare juſſus fuerim apud Sancti„tatem ſuam, cum ipſamet juxta

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

(*) Mirum plane, quod Continuator nunquam alleget, quas demum rationes adeo ſolidas, vel Poſſiacenſes Epiſcopi habuerint, vel Gallicus Orator propoſuerit: de earum tamen ſoliditate dubitandi locus ſupereſt, cum idem Continuator §. XXXVII. referat, etiam circa articulum de uſu Calicis diverſam fuiſſe Epiſcoporum ſententiam, ac eorum potiſſimos putaſſe, in re adeo periculoſa omnino Sedis Apoſtolicæ conſilium, ac ſententiam eſſe expetendam: proin eorum rationes ex Theologia ſuam ſoliditatem accipere haud poterant, cum illa ſolidiſſimum argumentum ſuppeditet ex ſummi Pontificis auctoritate, & communi Eccleſiæ conſenſu, quorum tamen utrumque Epiſcoporum petitioni adverſabatur.

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

„Franciæ Præsulum sententiam sola „sit sufficiens ad annuendum Regis pe„titioni, licet ego mearum partium fore „existimaverim, ut prius Cardinales „de tota rei serie edocerem, eisque „proponerem rationes, quibus Clerus „Gallicanus ad hanc petitionem expo„nendam fuisset permotus. (*)

Hoc cum Oratore colloquium Pontifex usque ad Senatus Sacri portam protrahebat, & postea Pontificiali habitu ornatus suam Cathedram occupabat: vix autem Insulanus Orator ingrediebatur, cum illico redire admonitus discederet, in reditu tamen obvios

(*) Pontificis responsum reticet Continuator, quinimo Papam ad hoc nihil reposuisse, sat vero simile est; haud enim is ignorabat, quod, etsi hanc gratiam solus ex plenitudine suæ auctoritatis faceret, ea nunquam ad universalem, & constantem usum per totum Regnum fuisset deducta; quippe Præsulum vix non omnes Papam errasse mox reposuissent, cum Papam extra Concilium fallibilem esse, Clerus Gallicanus contendat, nisi forte Pontifex credere debuisset, Gallos tenere, quod Papa solus absque Concilio in iis, quæ universæ Ecclesiæ disciplinam concernunt, tunc duntaxat sit infallibilis, dum Gallis, quæ sua sunt, quærentibus annuit: non autem quando decernit, quæ Christi sunt.

vios habuit Burdaſerium, Salviatum, aliumque Cardinalem, qui unaomnes ipſum inviſere juſſi, eundem Sanctitatis ſuæ nomine rogabant, quatenus diſertis verbis declararet, an ſuum negotium in Purpuratorum Senatu proponi vellet, cum ſummus Pontifex illud ſolus decidere nollet: de cetero autem graves obſtarent difficultates, cum in unius ſuffragio ipſius cauſſæ propitio ſpem adeo firmam collocare haud poſſet, ut proin ei auctores eſſent, quatenus ab hac petitione ſua deſiſteret. Verum Inſulanus Regis ſui mandata cauſſatus ajebat, quod nonniſi rem cum Papa agere juſſus eſſet. Porro iidem hi Cardinales reverſi altera jam vice Legato renunciatum mittebantur, quod Pontificius in Francia Legatus nullam de hac Præſulum petitione notitiam dediſſet, proin hac ſuper re ſententiam pronunciare haud congruum foret: nihilominus Orator Cardinalibus expoſuit, quod Reges Legatis, ac Nuntiis communicare haud ſoleant ea arcana, quæ inter ipſos Reges, ac Sanctitatem ſuam agitari oportet, præſertim cum hoc negotium nunc propoſitum ejusmodi eſſet conditionis, ut nullatenus Legatum Pontificium reſpiceret, (*)

(*) Ita eſt: Summi Pontifices ea negotia, quo-

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

§. XLI.

Quintus Synodi Legatus a Papa nominatus.

Mem. pour le Concil. de Trente p. 120.

Hoc Oratoris responso ad Papam delato per eosdem Cardinales Insulano significatum, quod hujus negotii decisionem ad tempus magis opportunum differret: postea unus ex istis Purpuratis cum Legato seorsim conferens eidem exposuit, quod ejus petitio manifesti schismatis periculum minitaretur, nec Pontifex illius precibus deferre posset, nisi a suo obsequio omnes Principes Catholicos alienos redderet, quorum nonnulli sæpius ejusmodi postulata interposuerant. His ita dispositis in eodem Patrum Senatu frequens habebatur mentio de futura Synodo, ad quam summus Pontifex tanquam quintum illius Legatum nominabat Althempsium Cardinalem, qui Constantiæ in suo Episcopatu agebat: insuper Papa præcepit, ut die vigesima tertia Novembris præter jejunia, publicasque preces a Divi Petri Basilica usque ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Populo, ut pro proximo Concilio Sancti Spiritus gratia

quorum definitio Universam Ecclesiam respicit, non solent communicare, minus vero decidere ad propositionem unius Legati.

gratia impetraretur, ſolemnis haberetur ſupplicatio, quam etiam ſummus Pontifex pedes adire pollicitus, cunctis, qui ſacro huic pietatis exercitio vacabunt, pœnarum condonationem ad normam Anni Sacri indulſit. Sæcul. XVI. A C. 1561.

§. XLII.

Colloquium Papæ cum Inſulano circa Communionem ſub utraque ſpecie.

Quamvis Inſulanus petitionem ſuam Pontifici factam omnino rejectam credere debuiſſet, nihilominus denuo colloquium petiit, quo obtento die decima tertia ejusdem Menſis ultimum reſponſum ſibi dari poſtulabat: ut vero Regi ſuo ſatisfieret, rurſus rationes, quas jam antea pro obtinendo ſuo poſtulato allegaverat, recoquere haud dubitabat, illarumque æquitatem, ac neceſſitatem comprobare nitebatur: verum ſummus Pontifex intempeſtiva hac importunitate offenſus ita reſpondit: „ejusmodi preces a Rege interpoſitæ „certo certius inducunt contumaciam, „atque ab Eccleſia ſeparationem: mi„nime autem ab Eccleſia permitti poteſt, „ut Chriſtiani diverſo modo Sacramen„tis utantur: de cetero Imperator æque, „ac Bohemiæ Rex ejus Filius eandem

Mem. ſuite de la lettre de Mr. de l'Isle p. 121.

Sæcul. XVI A.C.1561.

„Communionem sub eadem specie quidem concedi postulabant, a petito tamen suo destitere; eandem ergo submissionem Galliarum quoque Rex profiteatur, eoquod Synodus reliquæ Christianorum parti non multum necessaria, pro Catholicis superflua, parumque a summis Pontificibus exoptata (*) unice ideo convocata fuerit, ut Francici Regni necessitatibus subveniatur.„ Verum ad hæc Orator reposuit

(*) Ecce! quomodo mentita sit iniquitas sibi, quamque apertæ falsitatis arguantur privatæ ejusmodi relationes, quæ Gallice *Memoires* vocantur: quis enim credat, summum Pontificem Pium IV. quem ipsemet Continuator unacum omnibus aliis Scriptoribus omnem lapidem pro convocanda Synodo movisse recensuit, de se, suisque Prædecessoribus Legato respondisse, quod Synodus parum necessaria, superflua, & minus a Pontificibus fuerit exoptata? quis non potius primo obtutu agnoscit contumeliosum animum Continuatoris, ejusque Sociorum? qui toti in eo sunt, ut Pontifices tanquam Conciliorum osores depingant, se vero Synodorum studiosissimos jactitent, non ut ibidem dubia dissolvi gaudeant, sed ut ob Concilia convocandi, ac decidendi difficultates innumeras interea suæ inobedientiæ, ac etiam hæresibus liberum campum relinqui lætentur.

posuit, quod ad indicendam Tridenti- Sæcul. XVI. A. C. 1561.
nam Synodum Sanctitas sua non modo propter Franciæ calamitates, sed etiam ob morem Concilia convocandi in Ecclesia usitatum abs dubio fuerit permota. His dictis Orator discessit, quin tamen petitionis suæ effectum extorquere potuerit.

§. XLIII.

Montberonius ad Philippum II. a Regina excusatum missus.

Cum Regina Franciæ Administratrix sub idem tempus Philippum II. Hispaniæ Regem ob colloquium Possiacense vehementer commotum intelligeret, Jacobum Montberonium Ausentium, qui Reginæ famam repararet, ad eundem ablegabat: verum Legatus ægre ad alloquium admissus, tandemque per crebras sollicitationes Regem conveniendi copiam nactus, admodum remisse ab eo excipiebatur: cum vero ipse & Sebastianus Albaspinæus Lemovicensis Episcopus necessitati id datum, non vero Possiacense hoc colloquium in Protestantium gratiam factum fuisse Philippo exponerent, ac Reginam omissa Nationalis Synodi mentione quamprimum Regni Episcopos Tridentum ad Concilium ibidem indictum mittere paratam affirmarent, Philippus hoc re- *Thuan. l. 28. num. 6.*

sponso

Sæcul. XVI. A.C.1561. sponso parum contentus repoſuit: „hæc „veſtra agendi ratio mihi ſummopere „diſplicet, eo potiſſimum nomine, quod „tunc, ſi Calviniſtæ ad Gallorum exem„plum ejusmodi colloquium in Belgio „peterent, illud declinare haud poſſem, „quin hæretici ad ſeditionem concita„rentur.

§. XLIV.

Franciæ Legatus a Philippo remiſſe exceptus, atque ad Albæ Ducem miſſus.

Thuan. l. c. Poſtea Philippus Rex Montberonium, & Albaſpinæum ad Albæ Ducem, qui tum ſummæ rerum præerat, remiſit: hic vero Dux aliunde primævo naturæ vitio ferox Montberonio hæc in reſponſis dedit: „Rex Catholicus Do„minus meus non ſine ſummo dolore „intellexit, quod in regno, cujus ta„men Principes titulo Regis Chriſtia„niſſimi gloriantur, præcipui Religionis „Articuli tam tepide, ac diſſimulan„ter pertractentur; hinc petit equidem, „ut Rex veſter, qua ſeveritate Henri„cus II. & Franciſcus II. Galliarum Re„ges in Mercuriali, ut vocant, Conventu, „atque in nupera Ambaſiana conjura„tione uſi fuerant, eadem nunc in Se„ctarios animadverteret, nullamque „nec ſanguinis, nec meriti rationem habe-

„haberet; si enim per Reges jam adul- Sæcul. XVI.
„tos, atque ad regimen idoneos hæ- A.C. 1561.
„resis malum etiam armis penitus ex-
„tinqui haud potuit, qua ratione Rex
„puer, & fœmina alienigena illius Tu-
„trix propudiosa sua dissimulatione hæ-
„resum incrementa præpedire valebunt?
„quapropter Rex meus Reginam So-
„crum suam obtestatur, ut semetipsam,
„Regnumque, ac liberos fidei suæ com-
„missos respiciat, maloque indies cre-
„scenti mature remedium opponat: si
„vero, addebat Dux, Regina remedium
„adeo necessarium negligeret, Philip-
„pus ad tanti mali successus tandem
„præpediendos cunctas suas vires im-
„pendere statuit, nec vanas violatæ pa-
„cis criminationes veretur, cum non-
„nisi juveni Carolo regnum firmare in-
„tenderet, quod tamen conservare haud
„posset, nisi rebelles suorum subdito-
„rum animi in avita Religione reti-
„neantur: de cetero Hispanæ copiæ,
„quas Philippus in Gallias mittet, non
„Hispani Regis auspiciis, sed Franciæ
„Regis nutu, ac voluntate rem gerent.„

§. XLV.

Navarræ restitutio incassum a Montberonio petita.

Insuper Montberonio commendatitiæ ad *Thuan. l. 28.*
Hispaniæ Regem tradebantur literæ,
vi

Sæcul. XIV. A.C. 1561.

vi quarum de Navarra Antonio Borbonio reſtituenda ageret: verum Philippus, aut potius ejus nomine Albæ Dux ira, quam ob ejusmodi petitionem conceperat, diſſimulata dicebat, Galliarum Regi de hoc Regno ſatisfactum iri, ſi bellum adverſus hæreticos in Francia excitare, & Condæum, necnon Colinios eidem addictiſſimos ad perniciem usque inſequi non reluctaretur. Accepto hoc reſponſo ſat arrogante Montberonius ineunte Menſe Octobri abire jubebatur: verum ab eo temporis articulo jamjam haud obſcura habebantur indicia illius fœderis, quod ſub poſterioribus Galliarum Regibus adeo celebre in apertas erupit flammas; plures enim ex Franciæ Proceribus, cum Caroli Regis educationem, & Catharinæ ejus Matris Religionem ſibi oppido ſuſpectam haberent, cum Madritenſi aula clandeſtina iniiſſe conſilia credebantur, atque huic ſuſpicioni Legatus in Gallias reverſus plenam fidem faciebat ex ſcripto ipſius Lemovicenſis Epiſcopi teſtimonio, qui ſecreta hæc conſilia teſtabatur, ſubjungens, haud vanam fuiſſe de Arturo Deſiderio Sacerdote, exploratæ falſitatis Viro, quæſtionem non ita pridem habitam.

§. XLVI.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

§. XLVI.

Arturus Desiderius Cleri Gallicani nomine libello supplici ad Regem Hispaniæ instructus.

Hic item Presbyter profligati pudoris homo a quibusdam Sorbonnæ Doctoribus incitatus, ut Religionis jacturam Galliis imminentem præverteret, Hispaniæ Regis patrocinium implorare decreverat: unde vesana temeritate impulsus libellum supplicem, dum Posliacense colloquium celebrabatur, Cleri Gallicani nomine Philippo Regi porrigendum composuit, atque in eo totius Ecclesiastici Ordinis nomine contra Calvinistarum potentiam hujus Principis opem implorabat, simulque suo scripto ea omnia inferebat, quæ Philippum ad Religionis studium excitare, vel Hispanorum ambitionem titillare poterant: inter cetera vero præcipue exaggerabat, quod hæresis indies pluribus in locis tantopere invalesceret, ut a Rege puero, & infirmo, ejusque Consiliariis nunquam remedium satis validum, atque efficax opponi queat; quapropter Rex Catholicus efflictim rogaretur, ut armorum vi auxilium Regi præstaret, simulque consideraret, quod ad exerendam suam bonitatem juxta, ac potentiam nunquam magis opportuna offerri posset occasio, quam

Thuan. hist. l. 28. p. 49.

Sæcul. XVI. A C 1561. quam dum Clerus, atque ex Franciæ Nobilibus plurimi ejus patrocinium implorant, eique vitam, bona, libertatem, ac ſecuritatem commendant, committuntque.

§. XLVII.

Arturus veniam precari a Regio Senatu juſſus.

Thuan. l. 6. Negotium hoc pluribus ea de re conſciis haud ultra ſecretum haberi potuit; itaque Regina de iſto conſilio edocta Arturum, qui ipſus libellum deferre ſpoponderat, in itinere comprehendi clam juſſit; ergo prope Aureliam a Satellitum Præfecto captus ad Reginam deducitur, ejusque juſſu hujus cauſſæ cognitio ad Senatum devolvitur: Deſiderius itaque interrogatus facinoris conſcios prodere cogitur. Cum autem magis exactam hac de re quæſtionem haberi minus tutum crederetur, eoquod quamplurimi primæ Nobilitatis Viri huic negotio impliciti eſſent, hinc Senatus totam rem Reginæ communicabat, quæ ejusdem quoque erat ſententiæ: quapropter Deſiderius duntaxat condemnabatur, ut capite, & pedibus nudus, ac facem ardentem præferens flexis genibus in die, ubi Curiæ congregatæ pro tribunali ſedere ſolent, coram omnibus apparitore verba dictan-

dictante declararet, quod temere, malitioſe, maloque conſilio libellum ſibi nuper ablatum, cujus ipſe in quæſtione mentionem feciſſet, ſcripſerit, atque ad Regem, quo deſtinaſſet, perferre voluerit, eum vero ex animo hujus facinoris pœniteat, veniamque a Deo, Rege, & Senatu precetur: ſancitum inſuper, ut hic libellus præſente Arturo publice dilaceraretur, quo facto reus in Carthuſianorum cœnobium, ut reliquos vitæ ſuæ dies ibidem captivus tranſigeret, deduceretur, (*) verum poſtea Arturus libertatem recuperandi opportunitatem nanciſcebatur. Sæcul. XVI. A.C. 156.

§. XLVIII.

Joannis Tanquerelli Theſes in Sorbonna propugnatæ.

Exeunte hoc anno Joannes Tanquerellus prima Doctoratus laurea in Facultate Theologica Pariſienſi ornatus in quadam concertatione ſcholaſtica hanc enuntiabat propoſitionem: *Pontifex tanquam ſolus Chriſti Vicarius, & Eccle-* *Thuan. l. c. Argentre collect. Jud. tom. I. append. p. 22.*

(*) Ita privati Religionis ſtudioſi puniri, ac potentiores a proſequendo fidei ſtudio deterreri ſolent, ubi hæreſes adhuc ſub cineribus latentes ſenſim in apertas flammas prorumpere incipiunt.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Ecclesiæ Monarcha potestati suæ Sacræ, & profanæ subjectos habet omnes Principes Christianos, suisque præceptis rebelles regno, ditionibus, & dignitatibus exuere potest. Hæc propositio magnum excitabat tumultum, moxque Hospitalius Cancellarius rem edoctus (*) dato diplomate Christophorum Thuanum Præsidem, Carolum Dormanium, & Bartholomæum Fajum Curiæ Consiliarios deputabat, qui facti veritatem inquirerent, remque ad Senatum referrent.

§. XLIX.

Propositio a Senatu damnata, ac satisfactio Sorbonnæ Doctoribus injuncta.

Preuves de libertez de l'Eccliſe Gallic. p. 59. & ſuiv. Argentre tom. 2. p. 301. & ſeq.

His munere suo functis Senatus decrevit, ut Joannes Tanquerellus mulcta honoraria puniretur, atque in Sorbonnæ Schola congregatis omnibus Doctoribus, ac Theologiæ Candidatis, præsente etiam uno Præside, ac nonnullis Consiliariis a Senatu, & Advocato Regio ad id delegatis palam declararet, quod ipsum pœniteret propositionis a se propositæ, eamque falsam esse

(*) Qualis, quantusve fuerit Vir ille, apparuit ex prioribus illius orationibus habitis, necnon ex novæ sectæ studio.

esse fassus sui delicti veniam perdemisse a Rege peteret: cum vero Tanquerellus mature sibi fuga consuluisset, ejus nomine Petrus Gustus Facultatis Bidellus nudo capite stans eandem declarationem fecit die duodecima Decembris præsentibus Thuano Præside, Dormanio, & Fajo Consiliariis, & Burdino Advocato Regio, necnon coram quinquaginta tam Doctoribus, quam Theologiæ Candidatis. Hac retractatione facta Facultatis Doctores de fide, & obsequio erga Regem exacte præfati, ejus, necnon Curiæ mandatis satisfacere se paratos exhibebant, polliciti, quod Tanquerellum ad palinodiam cogere vellent, quamprimum comparitus esset. Demum a Senatu inhibitum, ne inposterum ejusmodi quæstiones agitarentur: Facultati vero injunctum, ut duo e suo Ordine deputati Regem adirent, atque obsecrarent, ut ipsis offensionis, in quam ob id incurrere potuerint, veniam concederet, eosque tanquam humillimos, atque obsequiosissimos subditos habere dignaretur. (*)

Sæc. XVI. A.C. 1561.

(*) Observes velim, quod ejusmodi facta quidam Auctor inter probationes, seu argumenta libertatum Ecclesiæ Gallicanæ recenseat.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

§. L.

Franciſci Grimodeti propoſitiones damnatæ.

Argent. loc. cit. p. 291.

Die decima quinta evoluti Menſis Aprilis eadem Facultas ſex damnabat propoſitiones, quæ ex quodam Franciſci Grimodeti Regii apud Andegavenſes Ordines Advocati ſcripto ad Regem directo decerptæ fuerant: ceterum de Andegavenſibus hiſce comitiis jam anno priori mentionem fecimus: ex his autem propoſitionibus prima erat hæc: *Eccleſiæ Concilium debet eſſe ex omnibus ſuis membris compoſitum, id eſt, cœtus generalis omnium Chriſtianorum, non autem duntaxat Epiſcoporum. Cenſura.* Hæc propoſitio eſt falſa, & ſchismatica. II. *Hæc quæſtio pertinet ad Principes Chriſtianos, Epiſcopos, & ad populum in generali.* Altera hæc propoſitio eadem, qua prior, cenſura perſtringitur. III. *Veteres Reges, ac Principes Chriſtiani conſultum, ac neceſſarium cenſebant, totius Chriſtianæ Reipublicæ Concilium indicere, quando per ſchismata, novasque opiniones Religio erat polluta, ac diviſa.* Hæc propoſitio declarabatur falſa, & ſchismatica. IV. *In noſtra Religione duæ dantur ſectæ, quarum prima eſt illorum, qui ſub obedientia Eccleſiæ Romanæ degunt, altera eorum, qui ſe Evangelicos dicunt.*

Hæc

Hæc propositio, inquit Facultas, est hæretica, & impie imponit Religioni Christianæ. V. *Utraque hæc secta adeo numero deficit, ut dubium sit, quænam illarum sit magis numerosa.* Hæc propositio declaratur temeraria, & manifeste Hæreticis favens. VI. *Alterum Religionis caput consistit in Politia, & disciplina Sacerdotali, quam emendare, & si est corrupta, dirigere, atque in ordinem revocare est in Regum, & Principum Christianorum potestate.* Hæc propositio damnabatur tanquam falsa, schismatica, hæretica, tendensque ad Ecclesiasticæ potestatis eversionem.

§. LI.

Facultatis epistola ad Regem circa necessaria fidem conservandi media.

Eadem Facultas die decima octava Mensis Junii Galliarum Regi sexdecim proposuit articulos, quos contra novos Protestantium errores Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quadragesimo quarto confecit, ac Gallice reddidit. Hosce articulos porrigebat Facultas unacum epistola ad Regem data circa magis opportuna Fidem Apostolicam in Regno conservandi media, atque in hisce literis

Argentre l. c. p. 292. append tom. I. pag. 22.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

ris Doctores Regem rogabant. I. Ne ab eis exigeret, ut cuicunque conventui, vel Nationali Concilio interessent illo tempore, quo summus Pontifex Concilium Generale indicit. II. Eundem Regem monent, quod, cum Concilia Oecumenica semper omnibus dissidiis, quæ etiam hodiedum Ecclesiam scindunt, abunde prospexerint, omnino eorum decretis standum sit. III. Ponderet Rex, quod plurium seditiones exinde fuerint exortæ, quia hæreticorum, qui pene innumeros seducunt, conventicula tolerantur. IV. Pro remedio hisce malis præsentaneo Rex curet, ut Regum Christianissimorum Prædecessorum suorum edicta in usum deducantur, ac ad Officia Ecclesiastica non alii, nisi scientia, morum probitate, ac sana doctrina clari evehantur. V. Nobiles non opprimant Ecclesiasticos, sed potius suæ fidei Professionem in Episcopi manibus emittere compellantur; si vero id recusaverint, tanquam Ecclesiæ rebelles declarentur, necnon juxta Regis arbitrium puniantur. VI. Idem quoque facere teneantur Justitiæ Administri, atque Magistratus. Postea seditiones Cenomani ob quamdam hæreticorum concionem exortas Regi exponebant, simulque rogabant, ut typographis, & Bibliopolis prohibeat, ne

ne exterarum Regionum libros diven- Sæcul. XVI.
derent, donec hi tumultus fuerint ſopiti. A.C. 1561.

§. LII.

Facultatis Articuli circa fidem ad Regem transmiſſi.

Huic epiſtolæ Doctores ſubjunxerunt ſexdecim articulos circa fidem contra illius ævi hæreſes, eorumque primus his erat conceptus verbis. „Credo, „& certa, firmaque fide profiteor una„cum Sancta Eccleſia Catholica ſequen„tes articulos. II. Baptismus eſt om„nibus neceſſarius ad ſalutem, etiam „infantibus, confertque gratiam Spi„ritus Sancti. III. Homo libero ar„bitrio ad bonum, & malum operan„dum eſt præditus, ac cum ſpeciali Dei „auxilio a peccato ad gratiam redire „poteſt. IV. His, qui rationis uſu „pollent, poſt commiſſum quoddam pec„catum lethale neceſſaria eſt pœniten„tia, quæ in contritione, verbali con„feſſione Sacerdoti facienda, & Satis„factione conſiſtit. V. Peccator per „ſolam fidem non juſtificatur: bona au„tem opera ei ſunt adeo neceſſaria, ut „homo ad uſum rationis perveniens „absque illis vitam æternam conſequi „non poſſit. VI. Verum Corpus Chriſti „conſecrandi, atque in Sacramento *Argentre* *p.* 294.

Sæc. XVI. A.C.1561.

„Pœnitentiæ a peccatis absolvendi po-
„testas a Christo Domino data est Sa-
„cerdotibus, qui juxta normam, &
„institutionem ordinati, ac consecrati
„præmissa intentione recta vere Corpus
„Christi consecrant, & pœnitentem ab-
„solvunt. VII. In eadem consecratio-
„ne panis, & vinum convertuntur in
„verum Corpus, & Sanguinem Christi,
„ac post hanc conversionem duntaxat
„remanent panis, & vini species, sub
„quibus verum Christi Domini Corpus
„continetur. VIII. Missæ Sacrificium
„a Christo institutum utile, ac profi-
„cuum est tam vivis, quam defunctis.
„IX. Eucharistiæ Communio sub utra-
„que specie non est Laicis necessaria.
„X. Confirmatio, atque extrema Unctio
„sunt duo Sacramenta a Christo Do-
„mino instituta, per quæ æque, ac per
„cetera quinque nobis gratia confertur.
„XI. Salutare, gratumque Deo opus
„est, honorare, & invocare Beatissi-
„mam Virginem Matrem Dei, ceteros-
„que Cœlites XII. Opus bonum, &
„sanctum est Sacras Christi Crucifixi,
„Beatissimæ Virginis, aliorumque San-
„ctorum imagines venerari, ac coram
„eis genua flectere, ut Deus, sancti-
„que exorentur. XIII. Datur Purga-
„torium, in quo animæ detentæ ora-
„tionibus, jejuniis, eleemosinis, aliis-

que

„que piis operibus adjuvantur, ut ci- Sæcul. XVI.
„tius a ſuis pœnis liberentur. XIV. A.C. 1561.
„In terris datur Eccleſia Univerſalis,
„quæ in ſuis fidei deciſionibus errare
„non poteſt, cui etiam omnes Chriſtia-
„ni obedire tenentur, quæ pariter di-
„cente Chriſto excommunicandi pote-
„ſtatem habet, atque ad illam pertinet
„diſputationes, quæſtiones, controver-
„ſias circa Sacras Paginas definiendi,
„decidendi, & interpretandi auctoritas:
„eadem quoque repræſentatur in Con-
„cilio generali debite, ac legitime con-
„vocato, habetque poſt Chriſtum ali-
„quod caput viſibile, quod eſt Sanctis-
„ſimus Pater Papa noſter, cui omnes
„Chriſtiani obtemperare tenentur. XV.
„Multa dantur credenda, & tenenda,
„quæ diſerte in Sacris Literis non con-
„tinentur. XVI. Traditiones, ac Con-
„ſtitutiones Eccleſiaſticæ, uti ſunt je-
„junia, & ciborum ſelectus, in con-
„ſcientia obſtringunt, omneque ſcan-
„dalum excludunt, uti pariter faciunt
„vota etiam Monaſtica.„

§. LIII.

Ejusdem Facultatis decreta circa Baccalaureos.

Die ſecunda Julii eadem Facultas Sor- *Argentre t. 2. p. 295.*
bonnæ congregata decretum con-
didit, vi cujus Theologiæ Candidatis

Sæcul. XV. A. C. 1561.

prohibuit, ne in ſuis teſibus ullum teſtimonium, aut ſuſpectum, aut falſis Lutheranorum principiis innixum adhibeant. Poſtea Decanus eisdem quædam propoſuit ſtatuta deinceps in eorum diſputationibus, atque reſponſis obſervanda, quorum primum erat: loquantur ſemper latine, nec ſeſe invicem lædant, aut afficiant injuriis. II. Non producant teſtimonium Fabri Stapulenſis, Erasmi, Cajetani, & aliorum ſuſpectorum nominatim. III. Non adducant in ſuis rationibus rationes Lutheranorum. IV. Diſputent juxta ordinem Scholæ, & maneant in ſuis ſedibus. V. Caveant a repetitione ejusdem rationis. VI. Utantur terminis Scholaſticis. VII. Compareant Baccalaurei cum cappis in Scholis, & ſic revertantur in domos ſuas. VIII. Nec cooperti vulgo calottis reſpondeant, aut argumententur. IX. Servent ubique modeſtiam, qualis Theologum decet. X. Non deferant poſitiones, niſi prius approbatas per nominatos a Facultate Doctores. Poſtea easdem theſes tradant apparitori noſtro, qui eas ad Baccalaureos duobus ante reſponſionem diebus deferat. Denique in eodem Facultatis conſeſſu Doctor Darelius retulit, quod unacum Socio ſuo Magiſtro de la Haye quemdam examinaverit librum

librum a Doctore Sanctio editum, cui titulus: *Edicta Principum:* qua relatione percepta dein Facultas decidit, hujus libri impressionem esse permittendam. Sæcul. XVI. A.C. 1561.

§. LIV.

Supplex Facultatis libellus ad Regem pro conservanda fide Catholica.

Denique die quinta Julii in quodam consessu prælegebatur libellus supplex, quo Facultas Regem exorabat, ut in Regno suo Catholicam fidem semper sartam conservare velit: „eapropter hæc exponebat: Majestatis vestræ „Regna, quamdiu ibidem unius fidei, „unius Legis, atque unius Regis unitas floruit, semper laudibus celebrata, „atque exaltata fuere, præcipue, cum „adhuc debita Sacramentis veneratio, ac honor fuit exhibitus, necnon „sacri ritus, ac Ecclesiæ consuetudines fuerunt observatæ, tuusque populus continuata serie a Divo Petro „usque in præsentem diem unum Caput, atque omnium Christianorum „Superiorem agnovit Christi Domini Vicarium in terris: ex adverso autem „ab illo temporis articulo, quo error, „atque hæresis sese diffundere ceperat, „quantocius etiam Regni sui splendor obfu-

Argentre l. c. p. 296.

Sæc. XVI. A. C. 1561.

„obfuſcari, atque imminui cœpit, & „hodiedum omnis generis damnandæ, „ac perniciosæ ſectæ contra Dei hono„rem, potentiam, ſapientiam, boni„tatem, atque incomprehenſibilem Ma„jeſtatem excreſcunt, necnon indies „altiores agunt radices, unde nonniſi „ſchismata, tumultus, ac diſſidia pul„lularunt, vehementerque timendum, „ne Deus ad vindictam commotus vi„neam ſuam tamdiu in Francia planta„tam deſtruat, eamque ad alias Re„giones transplantet, uti in ejusmodi „eventibus ſæpe contigit, atque ipſæ „quoque Sacræ Paginæ teſtantur, ubi „legitur: *Malos male perdet, & vineam ſuam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis.* Pariter verendum „eſt, ne Deus adhuc graviores populi „ſeditiones permittat, quæ extremum „Regno tuo excidium inferre poſſent, „quod tamen hucusque in ſua fide in„tegerrimum, & puriſſimum permanſit, „adeo, ut Divus Hieronymus de eo „affirmare haud dubitaverit, quod ſola „Gallia inter omnes ceteras Regiones „exempta fuerit a Monſtris, id eſt, ab „hæreſibus, quæ myſticum Chriſti Cor„pus monſtro haud abſimile reddunt.„ Reliqua hujus libelli pars eodem ferme concepta eſt ſtylo, ſimulque in Regis memoriam revocantur conciones a S. Dio-

Matth. 21. v. 41.

Dionyſio Divi Pauli diſcipulo habitæ: ea enim adhuc ætate hic idem Sanctus Gallis fidem annuntiaſſe credebatur: Denique propoſito Sancti Ludovici exemplo, ac fidei ſuæ ſtudio Regem exorabat Facultas, ut Regis Chriſtianiſſimi nomen non portet vacuum, ac populum ſuum in Religione, quam a ſuis Majoribus hauſit, conſervet, atque ita Regnum moderetur, ut Eccleſia Gallicana in priſtina ſua Religionis diſciplina perſeveret, nullaque innovatio illuc introducatur. Sæcul. XVI. A.C. 1561.

§. LV.

Quidam Valentinenſis Præſulis libri damnati,

Die quinta Menſis Auguſti eadem Facultas plures damnabat propoſitiones, quas ex Joannis Montluci Valentinenſis Epiſcopi libris ad ſuos Diœceſanos inſcriptis extrahebat, illæque propoſitiones numero erant ſeptem decerptæ ex libro, cui titulus: *Chriſtiana monita Valentinenſis Epiſcopi de fidei præceptis, & Sanctis Sacramentis unacum duabus epiſtolis, quarum prima continet exhortationem pro cujusque conditionis hominibus ad meditationem, & præceptorum Dei obſervantiam: altera vero ſolemnes ſupplicationes, & publicas pœnitentias Chriſtiane exercendi methodum complectitur, præter quosdam* *Argentre p. 296. & ſeq.*

Sæc. XVI. A.C. 1561.

dam sermones circa fidei articulos, atque orationem Dominicam, & denique quasdam preces ex Ecclesiæ orationibus decerptas pro Valentina, & Augostadiana Diœcesi. (*)

Porro harum propositionum prima sequenti perstringitur censura: *Licet loci illi e Sacra Scriptura sumantur, quia tamen non producantur secundum sensum Spiritus Sancti ab Ecclesia receptum, & ab adversariis citari soleant contra honorem Sanctis debitum, contra usum, & venerationem imaginum, contra Sanctitatem Templorum materialium: hinc ea propositio captiose etiam ex ipso contextu inducit simplices in errorem.*

De secunda ita censet Facultas: *subjuncta ratio falsa est, & aperte explicans, non fuisse in veteri lege, nec esse in nova dies alios aliis sanctiores, est hæretica.*

Tertiæ censura est hæc: *illa propositio quoad modum restitutionis rei alienæ, & famæ, quia obligat pœnitentem ad se sine necessitate prodendum, est falsa, & tale præceptum, aut Consilium Sacerdotis quoad modum illum est contra jus naturæ.*

Circa quartam dicitur: *quoniam hæc propositio particulatim commendat omnem*

statum

(*) Hic liber cum Regis privilegio Parisiis apud Vascosanum Anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo primo typis prodiit.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

ſtatum hominum precibus audientium, & eo usque rem producit, ut pro infirmis in agonia moneat preces eſſe fundendas, ut in fide Chriſti decedant, non ſine magna ſuſpicione omittit, preces eſſe fundendas pro defunctis ſecundum ritum Eccleſiæ, & ex conſequenti ſuſpectum ſe reddit Auctor de Purgatorio.

Propoſitio quinta, inquit Facultas, *prohibens eos, qui ſibi ſunt conſcii alicujus culpæ, adeſſe huic Sacro Myſterio Miſſæ, eſt falſa.*

Sexta autem, quæ novum fidelibus Euchariſtiam ſub utraque ſpecie adminiſtrandi modum Gallice præſcripſit, hac notatur cenſura: *Hæc nova forma publice laicis adminiſtrandi Sacramentum Euchariſtiæ linqua vernacula verbis conſecrationis, & ſub utraque ſpecie duplicem continet errorem, explicite quidem Neſtorii damnatum in Concilio Epheſino, ante mille, & centum annos celebrato, & Huſſitarum, & Bohemorum in Concilio Conſtantienſi: implicite vero videtur continere hæreſim Lutheri, & ſequacium exiſtimantium præſentiam Corporis Chriſti in Sacramento in ſolo ejus uſu contineri.*

De ſeptima dicitur: *Hæc admonitio infirmis facta in periculo mortis eſt valde diminuta, & maxime ſuſpecta de Satisfactione, & Purgatorio, præſertim cum in*

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

in toto hoc libro nusquam meminerit Purgatorii.

Denique totus hic liber, *utpote continens propositiones falsas, schismaticas, erroneas, & hæreticas, in quo multa etiam nacta opportunitate omittuntur institutioni Christianorum necessaria, ut in præparatione ad Sacramentum Eucharistiæ nulla fit mentio Confessionis auricularis: in tractatu de infirmis in agonia visitandis nulla similiter fit mentio Confessionis Sacramentalis, in quo libro etiam nihil de Sacramento Confirmationis, & Ordinis, & proinde non satisfacit Auctor titulo, in quo proposuit, se dicturum de Sacramentis, in quo etiam libro nusquam fit mentio præceptorum Ecclesiæ, venerationis Sanctorum, precum faciendarum pro defunctis, hinc est perniciosus, & quam citissime comprimendus, tantum abest, ut domi a Diœcesanis, aut quibusvis aliis sit legendus.*

Sub idem tempus quinque aliæ damnabantur propositiones, ex nonnullis ejusdem Episcopi sermonibus excerptæ, quarum quædam de Religionis articulis, aliæ vero de peccatis contra decem Decalogi præcepta pugnantibus agebant: insuper quosdam errores a Facultate damnatos effutiebat præfatus Episcopus in quodam sermone ad Valentinensem Clerum circa Annum Christi millesimum quingentesimum

tesimum quinquagesimum septimum habito, qui etiam Anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo typis vulgatus est. Ex his prima *propositio*, inquit Facultas, *est captiosa, & diminuta, quæ cum Lutheranis videtur tollere nostra bona opera, & solis Christi meritis attribuere.* Sæc. XVI. A.C. 1561.

Altera, in qua dicitur, quod Magistratus melius faceret, si nullum ad jusjurandum cogeret, *est falsa, & contra rationabilem consuetudinem, & formam interponendi juramentum in contractibus humanis firmandis.*

Tertia videtur revocare populum a precibus publicis. Quarta, ut loquitur facultas, *sub prætextu reprehendendi abusus in modo orandi, captiose contra Sacram Scripturam, contra laudabilem consuetudinem Ecclesiæ, & Christianorum videtur avertere populum a devotione orandi ex consuetudine, & orandi ex præscripto certo precum numero.*

Circa quintam propositionem, in qua Author asserit, quod nos Christiani a Judæis tantum in hoc differamus, quod hi Sabbatum, nos autem diem Dominicam sanctificemus, Facultas eandem censuram esse ferendam pronuntiat, qua secunda prioris libri propositio fuit perstricta.

Saecul. XVI. A. C. 1561.

Pariter alius ejusdem Præsulis liber, qui Anno post Christum natum millesimo quingentesimo sexagesimo primo Parisiensibus literis excusus prodiit, censura notabatur, illique libro sequens erat Titulus: *Valentinensis Episcopi sermones in orationem Dominicam unacum pluribus orationibus, quæ ex Ecclesiæ orationibus sunt depromptæ:* cum ergo hic liber propositionibus falsis æque, ac scandalosis scateret, easdem Facultas ad quinque contraxit, quarum prima declaratur Sacris literis contraria, captiosa, ac consentiens errori Lutheri olim damnato, qui asserit, quod in omni opere bono homo mere passive se habeat, tertia pars est etiam contra Sacram scripturam.

Circa secundæ propositionis censuram Facultas remittit Lectorem ad notam, qua primam propositionem ex prioribus sermonibus decerptam perstringebat. Tertia propositio, in qua dictum: *si id in nobis respicimus, quod est in nobis, non audemus comparere coram Deo*, a Facultate censetur esse falsa, *sic generaliter prolata.*

Eadem quoque censura notatur quarta, quæ ita sonat: in nobis nihil est, quod emendari non meretur. In quinta *propositione Author ita discurrebat: qui per fraudes, dolos, rapinam, & violentiam bona*

bona hujus ſæculi quærunt, Deum offendunt, & Blaſphemant, quotiescunque petunt a Deo panem quotidianum. Hæc propoſitio declaratur *falſa.* Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Denique poſtremus circa peccata contra legis præcepta liber, in quo hujus Prælati ſermones continebantur, pariter fuit condemnatus, atque præfatæ cenſuræ ineunte anno ſequenti ad Regem deferebantur: Facultas autem easdem Synodi Oecumenicæ judicio ſubmittebat.

§. LVI.

Caraffæ juſſu Pontificis capitali ſententia damnati.

Ante aliquot menſes Pius IV. ſeſe iniquitatis, ac licentioſæ vitæ oſorem, juratumque hoſtem eſſe, luculento demonſtrabat argumento, dum Caraffam Cardinalem, ejusque Fratrem ex legum præſcripto mulctari juſſerat, eoquod ambo ſub Pauli IV. Patrui ſui Pontificatu potentia, atque auctoritate ſua fuiſſent abuſi: cum autem judicii acta, quæ cum ſumma ſolertia conficiebantur, ipſus Pontifex ad trutinam vocaret, ambo accuſati mortis pœna digni cenſebantur; quapropter Caraffa Cardinalis profano Judici traditus nocte, quæ ſextam a ſeptima Martii die ſejungit, laqueo ſuffocatus periit: Dux vero Montorius *Thu. n. 9. Ciacon. tom. 3. in Pium IV. p. 870.*

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

ejus frater tertio post Cardinalis supplicium die in ponte arcis Sancti Angeli capite plexus est: utriusque vero corpora in eodem ponte populi conspectui exposita: insuper Alifanus Comes Ducis Sororius, & Leonardus Cardineus capite truncati sunt: obeunte tamen Pio IV. illius successor judicii acta rursus discuti jussit, totamque Caraffarum familiam pristinis honoribus juxta, ac dignitatibus restituit: benignius quoque, quam Caraffas, Pius IV. habuit Cardinalem Alphonsum, qui etiam post Pauli IV. Propatrui sui obitum captus abducebatur, eoquod quædam e Pontificis cubili furripuisse, atque in cædem nobilis fœminæ, quæ Paliani Ducis uxor erat, consensisse accusaretur; eapropter centies mille aureos mulctæ nomine pendere jussus Præfecti dignitate, qua in Camera Apostolica fulgebat, privabatur. Postea Pius IV, ut bellum instigantibus Caraffis Philippo Hispaniæ Regi illatum, minus æquum fuisse ostenderet, hunc Principem esse innocentem declarabat, eumque ab omnibus, quæ Paulus IV. eidem exprobrabat, vindicans Marco Antonio Columnæ Palianum restituit. Ceterum Alphonsus ad Neapolitanum Archiepiscopatum suum secedens, ibidem mentis amaritudine confectus nonnisi expleto vigesimo

mo quinto ætatis ſuæ anno obiit circa Annum Domini milleſimum quingenteſimum ſexageſimum quintum: inſuper Pontifex Scipionem Rebibam Cardinalem utpote Caraffarum conſiliis conſcium, necnon Innocentium Montanum, qui Romana licet purpura donatus licentioſæ vitæ deditus erat, in arce Sancti Angeli includi juſſit, quamvis evoluto unius anni ſpatio uterque in libertatem aſſertus, imo Rebiba etiam Conſtantinopolitano Patriarchatu decoratus eſſet. Sæcul. XVI. A C. 1561.

§. LVII.

Mercurii Cardinalis obitus.

Præter Cardinalem Caraffam ſacrum Collegium hoc anno trium Purpuratorum jacturam planxit, quos inter primus erat Joannes Andreas Mercurius Meſſinæ in Sicilia obſcuro quidem genere ortus, ſed ſingulari epiſtolarum rite conſcribendarum peritia clarus, quapropter cuidam Notario operam ſuam dicabat, poſtea & Romam profectus ad Joannem Mariam Montanum tum Sipontinum Archipræſulem divertit, a quo etiam non modo conſcribendis literis, ſed inſuper difficillimis negotiis præfectus eſt: cum ergo cuncta munia ipſi demandata ſingulari dexteritate perficeret, Montani opera Reggienſis Decanus, *Ciacon. in vitis Pontif. to. 3 p. 775. Rochus Pyrrhus in notit. Eccl. Sicul.*

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

canus, ac demum cedente eodem Montano Sipontinus Archiepiscopus est renuntiatus: postquam vero obeunte Paulo III. Montanus sub nomine Julii III. Divi Petri Cathedram conscenderat, ab eodem Mercurius primo Messinensis Archiepiscopus, & postea unacum aliis Mense Decembri Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo quinquagesimo primo Cardinalis tit. Sanctæ Barbaræ, ac demum S. Cyriaci fuit electus, quo tamen titulo postea dimisso ad illum SS. Quirici, & Julitæ translatus est. Tanti semper fuit apud Julium Papam, ut hic nil absque ejus consilio peragere videretur: tandem Romæ in Palatio Vaticano, ubi habitabat, die Dominica secunda Februarii Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo primo, annos natus quinquaginta obiit, sepultusque fuit in Ecclesia S. Marcelli.

§. LVIII.

Claudii de Givry Cardinalis extrema.

Ciacon. p. 526 San-Marth. in Gallia Christ.

Alter erat Claudius de Longuy, seu de Givry Philippi Longuy Givryensis, & Joannæ Baufremontiæ filius, qui primo Canonicus, postea Archidiaconus, ac demum Anno millesimo quingentesimo decimo tertio cedente Stephano ejus

ejus Patruo Matiſconenſis Epiſcopus renuntiatus eſt: temporis vero progreſſu ad Sedem Lingonenſem, ac demum ad Ambienſem, & Pictavienſem Epiſcopatum fuit translatus, eratque etiam Abbas ad S. Benignum, & Divioni ad S. Stephanum, necnon Pictavii ad S. Cyriacum, aliisque in locis: inſuper idem, cum Matiſconenſis eſſet Epiſcopus, pro Franciſco de Rohan Archiepiſcopo Lugduni Provinciale Concilium celebravit Menſe Martio Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo, atque interfuit Maſſilienſi colloquio, quod Franciſcus I. in eadem urbe cum Clemente VII. ſummo Pontifice habuit, ibidemque Claudius a præfato Papa Menſe Novembri Anno ſupra milleſimum quingenteſimo trigeſimo tertio unacum aliis tribus natione Gallis Cardinalium Collegio fuit adſcriptus. Ceterum Vir erat pietate, necnon ſumma in Eccleſias liberalitate, morumque integritate plurimum commendandus, qui etiam in ævi ſui negotiis ſemper operam ſuam utiliter impendit, tandem autem hoc anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo die octava Auguſti octogenarius deceſſit apud Muſſiacum, indeque Corpus ejus ad Lingones translatum ibidem ad dexterum Majoris Altaris cornu ſepultum fuit. Sæc. XVI. A.C. 1561.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

§. LIX.

Cardinalis Gaddius mortuus.

Ciacon. p. 854 Ughel. Italia Sacra Aubery hist. des Card.

Tertius ex Cardinalibus hoc anno defunctis erat Thaddæus Gaddius Nepos Nicolai Gaddii Cardinalis, qui Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſecundo e vivis exceſſerat. Ejus Familia Medicæorum, Acciajolorum, & Diacettenſium generi ſanguinis conjunctione unita fuit, & ſemper celeberrima exſtitit apud Florentinos, in quorum Metropoli Thaddæus Menſe Septembri Anno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo decimo nono primam lucem aſpexit, atque civilis æque, ac Canonicæ jurisprudentiæ, cui Patavii operam dederat, peritia clariſſimus evaſit: hinc vix percurſo decimo ſexto ætatis ſuæ anno Sancti Leonardi Abbatiam, cum Cardinalis Nicolaus Gaddius ejus Patruus illam cederet, in Apulia obtinuit, & poſtea a Paulo III. Papa in Neapolis Regno ad Coſentinum Archiepiſcopatum, quem idem illius Patruus ſponte abdicaverat, nominatus hanc ſedem nonniſi evoluto vigeſimo ſeptimo ætatis ſuæ anno occupare voluit, quam tamen Eccleſiam tanta ſapientia, ac Religionis ſtudio rexerat, ut Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo Menſe Martio a Paulo

Paulo IV. Pontifice Cardinalis tit. S. Sylveſtri renuntiaretur, hacque dignitate clarus comitiis, in quibus Pius IV. Papa eligebatur, interfuit. Denique Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo die vigeſima ſecunda Octobris in ſua Abbatia ad S. Leonardum in Apulia naturæ debitum ſolvit, & corpus ejus Florentiam translatum in Eccleſia Sanctæ Mariæ novæ Ordinis Fratrum Prædicatorum in Familiæ ſuæ monumento conditum fuit, unacum ſepulcrali inſcriptione, quæ hodiedum viſitur. Sæcul. XVI. A.C. 1561.

§. LX.

Melchioris Wolmari fata.

Hoc item anno celebris Proteſtantium Theologus nomine Melchior Wolmarus anno ætatis ſuæ ſexageſimo quarto Iſenaci obiit: natus is erat apud Helvetios Rotevillæ quodam Longevillæ Ducum oppido: Pariſiis vero primo Jacobi Fabri Stapulenſis, ac poſtea Biturigibus Alciati Magiſterio uſus ſtudiis vacabat, ac Calvinum Græco idiomate imbuebat, quocirca hic idem hæreſiarcha Magiſtro ſuo ſcriptum in ſecundam D. Pauli epiſtolam ad Corinthios commentarium nuncupavit: inſuper Melchior Theodorum Bezam literis inſtituit; hic autem Wolmaro ſua *Thuan. l. 28. Melchior Adam. Beza in Icon.*

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

poemata sub titulo: *Juvenilia*, inscripsit, atque ejusdem Magistri sui lectionibus seductus adulterinæ reformatorum sectæ nomen dedit. Postea Wolmarus ab Ulrico Wirtembergensi Duce in Germaniam accersitur, ac Tubingæ jurisprudentiam tradere jussus diu Professoris munere fungebatur, Græcosque Auctores explicabat, hujus idiomatis adeo gnarus, ut quondam Wirtembergensi Duci fateretur, quod majori cum facilitate in Græco, quam lingua Teuthonica, causam dicere vellet: præterea idem a Margarita Navarræ Regina pingui pensione honorabatur, cum vero jam senio pressus esset, abdicatis omnibus officiis Isenacum secessit, ubi etiam rebus humanis valedixit.

§. LXI.

Magistratuum conatus in reprimendis Calvinistarum crudelitatibus.

Thuan. l. 28. Davilla de bell. civil. l. 2. p. 29. Beza hist. Eccles. l. 4. p. 665.

Cum Protestantes ex Possiacensis colloquii successu petulantiores efficerentur, palam spargere non erubescebant, eorum doctrinam ibidem fuisse approbatam, ac Catholicos ignominiose devictos recessisse: postea hoc mendacio freti majori adhuc arrogantia quam antea, ad populum dicere cæperunt, pluresque Ecclesias sibi violenter vendicarunt:

runt: brevi tamen publica Magistratuum auctoritate hæreticorum audacia infringebatur, ac præprimis omnibus privatis inhibitum, ut non sclopeta secum portarent, illi vero, qui ejusmodi armis essent instructi, eadem ad urbis Prætorium deferrent: insuper alio edicto die secunda Novembris sancitum, ut Protestantes templa hucusque occupata restituerent, indicta tam severa pæna, ut huic legi morem gerere cogerentur: Verum pro tam inveterato malo nimis infirma erant hæc remedia, quocirca Regis jussu ex cunctis regni Curiis Præsides, ac Senatores seligebantur, qui ad oppidum S. Germani in Laja convenirent, malisque universum regnum inundantibus opportuna remedia opponerent, atque ex eorum sententia de reddenda pace, ac tranquillitate per edictum publicum decerneretur: enimvero hoc consilium sat proficuum esse potuisset, ejusque executio in Regni utilitatem cedere sperabatur: verum prosper illius successus plurimorum Procerum discessu præpediebatur, quippe Guisius Dux comperto vix hoc proposito quantocius ab aula unacum Cardinale Fratre suo discessit, & quidem Dux Jonvillam, Cardinalis vero Rhemos contendit, inde mox ambo in Germaniam profecturi; jamjam enim Mont-

Sæcul. XVI. A.C.1561.

Sæc. XVI. A.C. 1561.

Montmorentium Conneſtabilem ad ſua pertraxerant ſtudia.

§. LXII.

Seditio Pariſina in Sancti Marcelliani ſuburbio inchoata.

Thuan. l. c. La Popelin. l. c. Beza hiſt. Eccl. Mezeray. to 2. p. 833.

Interea Calviniſtæ indies majores concitabant tumultus, ac præprimis ſectam ſuam propugnaturi innumeros ferme libellos famoſos in vulgus ſpargebant, eisque Catholicos ipſis obſiſtentes proſcindebant, inſuper in tot locis, tantoque furore ſermones habebant, ut plurimas in Regno Eccleſias erigerent: Poſtmodum aucta temeritate publice in jejunio verno carnibus veſcuntnr, Catholicorum templa vi occupant, ibidemque ſuos cætus agunt, Eccleſias, quæ ipſis uſui eſſe haud poterant, penitus evertunt, Altaria deſtruunt, Sanctorum ſtatuas, atque imagines diffringunt: nec hiſce inſolentiis contenti Gallico etiam carmine divulgant, quod tres præcipui Doctores in Poſſiacenſi colloquio diſputantes ad novam ſectam defeciſſent: præterea per anagramma ex Regis Caroli IX. nomine, quod ipſe idolum, ſeu juxta illos Papatum deſtructurus ſit, conjectabant, ſuarumque Eccleſiarum ſtatum Reginæ Adminiſtratrici exhibebant, profeſſi, quod ſuæ factionis ſocios plusquam duo millia & centum quin-

quinquaginta recenſerent: quinimo im- Sæcul. XVI.
portunis etiam precibus ab illa facultatem impetrabant, ut prope Lutetiam Pariſiorum in duobus locis ſuos cœtus agere poſſent, nimirum, Popincurtiæ extra ſuburbium S. Antonii, necnon in alio loco, qui Patriarchatus vulgo appellatur, atque in Sanmarcelliano ſuburbio juxta Sancti Medardi Eccleſiam erat ſitus. Itaque Proteſtantes primam concitabant ſeditionem in præfato ſuburbio S. Marcelliani vigeſima ſeptima Decembris die, quæ Sancto Joanni ſacra erat: Aſt hoc ipſo tumultu magis adhuc utriusque partis animi ad mutua accendebantur odia: poſtquam enim Joannes Malo ibidem ſuum ſermonem inchoaverat, in Eccleſia S. Medardi ad veſpertinas laudes æs campanum pulſabatur, cum vero campanarum ſonitus huic ſpurio Concionatori moleſtus accideret, ejusque Auditores præpediret, hinc illi duos ex illo cœtu, qui plusquam duobus hæreticorum millibus conſtabat, rogatum ablegant, ut Parochus campanarum pulſum cum tanto fragore æddituis prohibere vellet: cum autem hi duo ablegati repulſam ferrent, rurſus quidam Prætoris, qui ad tumultus impediendos Montmorantii Conneſtabilis juſſu ejusmodi conventiculis intereſſe jubebatur, Apparitor ad Parochum fuit miſſus: A.C. 1561.

Sæcul. XVI. A C 1561.

missus: verum is, cum occlusas Templi portas reperiret, quamvis sæpius se Regis nomine adventasse clamaret, crebra tamen saxorum grandine e templi turre depluente territus sese recipere coactus fuit.

Hac violentia exacerbati Protestantes vindictam parabant, quapropter plusquam quingenti relicta Ministri sui concione Ecclesiam invadunt, portas infringunt, plurimosque tam Viros, quam mulieres ad vespertinum Officium accurrentes trucidant, Altaria evertunt, sanctorum imagines confringunt, sacrasque vestes, ac vasa diripiunt, quinimo ipsum quoque Sanctissimum Sacramentum pedibus conculcant: irrumpit quoque Dandelotus, atque equo vectus, gladiumque manu gestans Ecclesiam ingreditur, tandem & Beza tumultuantium Ducem se constituit: dumque hæretici ad statuas, & imagines evertendas petulanter concurrunt, Sacerdotes, aliique, qui intra Ecclesiam cum illis erant, pro vita pugnantes, cum alia arma non haberent, statuas de altaribus avulsas, ut adversarios suos prævenirent, in illos contorquent: porro pugnantibus supervenit Vigilum Præfectus, equo vectus, templumque ingressus fuit: verum adeo non seditiosos compescere valuit, ut sua etiam præ-

sentia

Sæc XVI. A C 1561.

sentia hæreticorum furorem potius augere videretur: porro ex iis, qui in templo erant, graviter vulnerati fuerunt quinquaginta, ac quatuordecim capti: tandem vero Protestantes Ecclesia potiti, cum interea campanæ minime cessarent, metusque esset, ne ad classicum populus cum armis accurreret, hinc hæretici ignem turri sese subjecturos minitantur, atque ita sedato nonnihil tumultu in urbem secedere cæperunt.

Attamen, cum minime dubitarent, quin omnes cives ob eorum petulantiam in illos essent exacerbati, illi, qui ceteris audacia prævalebant, instructo veluti militum agmine per urbem incedebant, primamque aciem Vigilum Præfectus cum quinquaginta equitibus, & ducentis circiter armatis peditibus ducebat: postremum vero agmen cum suis itidem armatis claudebat quidam Apparitor: in media autem turma erant inermes unacum quatuordecim illis nuper captis, qui bini septem ordinibus seorsim a reliquis, ut ab omnibus dignoscerentur, inter se funibus colligati incedebant, hocque ordine per totam urbem trahebantur in publicos carceres deducti.

Altera die summo mane Protestantes eodem quidem loco, sed majori numero

Sæcul. XVI. A.C. 1561

mero, armisque melius instructi quam pridie, convenere, Concioni suæ interfuturi, qua vix finita eodem ordine ad ædes suas reversi sunt: ast vespere, cum plebs patientiam suam modo adeo injurioso ab hæreticis fatigari indignaretur, coacto circiter quatuor, vel quinque millium agmine unaomnes tumultuariis armis instructi ad eundem locum furore pleni contendunt, & scamna, ipsamque Cathedram, ex qua Ministellus ad populum dicebat, confringunt, subjectoque igne comburunt, unde vicinæ ædes incendio fuerunt absumptæ. Magistratus, quamvis ad nuperam seditionem otiosus substitisset, nunc prompte accurrebat, cum hosce tumultus magis periculosos fore existimaret: itaque adveniente Magistratu cum lictoribus plebs huc, illucque dilapsa est, incendiumque restinctum: porro ea re plurimum aulæ Proceres commovebantur, moxque Burdinus regius Advocatus ad oppidum S. Germani delatus Regem de tota rei serie edocet: igitur rei cognitio criminali Prætori adimitur, & totum negotium Regis jussu Curiæ demandatur, quæ etiam duos selegit Consiliarios Ludovicum Gigantem, & Antonium Fumeum, qui separatim testes audire jubebantur, & quidem Fumeus debebat excipere illos, qui

qui seditionem a Parocho, atque ædituis excitatum mentiebantur: illos vero testes, qui id negabant, Gigas Consiliarius excipiebat, quos inter non pauci, qui testes agebant, de seditione itidem accusati, Senatus decreto in carcerem conjecti sunt, a quo tamen brevi ad Navarræ Regis preces liberati evasere, & quamvis Protestantes totius mali auctores gravissimis pœnis coerceri fuissent promeriti, duo tamen duntaxat, vel tres ex illis debitas pœnas dederunt, ut aliquatenus satisfieret populo, qui ob tam enorme scelus severissimas deposcebat pœnas: insuper inter alios criminalis Prætor unacum Apparitore laqueo fuit suspensus, nondum tamen horum supplicio satiata plebe, e carnificis manu rapti, ac per vicos crudeliter tracti, postremo in profluentem demersi sunt. Porro ob hanc seditionem condebatur Mense Januario quoddam edictum, quod anno sequenti fuit promulgatum. Sæcul. XVI. A.C. 561.

§. LXIII.

Aliæ seditiones a Protestantibus in diversis locis concitatæ.

Sub idem tempus alius a Protestantibus concitabatur tumultus; cum enim hi insuperhabito Regis interdicto Concionem haberent, cives, perinde ac si *Thuan. l. 28. Spond. hunc ann. n. 29 Sacchini hist. Soc. l. 3. art. 70. & seq.*

Sæcul. XVI. A.C. 1561. ad certamen progrederentur, sumptis armis, tympanisque pulsatis impetum faciebant: cum vero hæretici pariter armis essent instructi, Catholici retrocedere coacti sunt, cumque Protestantes superando impares essent, verso in prædam furore quasdam domus diripuerunt. Acrius adhuc Calviniſtæ tumultuabantur Apamiæ in Occidania, ubi non modo Jesuitas, qui Tolosam confugerant, sed & omnes quatuor Mendicantium Ordinum Religiosos, necnon Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum Canonicos urbe excedere compellebant, quibus crudeliter expulsis Calviniſtæ civitatis dominium sibi usurpantes non alia auctoritate, quam omnis generis impietatum licentia suffulti novam suam reformationem ibidem stabilierunt.

§. LXIV.

Scotiæ Ordinum responsio ad Franciæ Oratoris propositiones data.

Thu. l. 29. Adhucdum in Scotia Procerum durabant comitia, dum Jacobus Noallius Burdegalensis Curiæ Senator a Carolo IX. Galliarum Rege Orator missus in hoc Regnum venerat. Hic idem inter primas curas habebat, ut ad alloquium admissus Regni Ordines de Legationis suæ caussa edocere posset: attamen proxi-

proximum præſtolari jubebatur conventum die vigeſima prima Maji celebrandum, quippe Regina tranſmiſſo diplomate cunctis Proceribus ea, quæ e Republica eſſent, in quodam conventu ſtatuendi jus faciebat. Poſtea Orator ad hunc conſeſſum admiſſus, atque auditus legationis ſuæ mandata explicabat, quorum præcipua hæc erant, I. Vetus cum Francia fœdus innovetur, armorum vero ſocietas cum Anglis nuper inita declaretur tanquam irrita. II. Clero bonorum, quæ ipſis ablata fuere, poſſeſſio reſtituatur. Verum Regni Ordines ad hæc reſpondebant: „nos quidem „Gallorum fœdus, quod violaſſe haud „conſcii ſumus, continuare non recuſa„mus, de Anglicano tamen fœdere re„ſcindendo nulla vobis ſpes eſt, ad illud „enim ſervandum recenti beneficio ab „Anglis recepto obſtricti ſumus.„ Ad illum articulum, quo bonorum reſtitutio Sacerdotibus facienda petebatur, nimis acerbe reſpondebant, quod illorum, qui a Catholicis Sacerdotes appellantur, nec ullum munus, nec uſum in Eccleſia agnoſcerent: ne autem verba eorum effectu carere crederentur, ſtatim in eodem conſeſſu, priusquam Regina adventaret, decretum condiderunt, vi cujus omnia paſſim cœnobia everti juſſerunt.

Sæcul XVI. A.C. 1561.

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

§. LXV.

Maria Regina in Scotiam profecta.

Thuan. l. c. Indigna hæc agendi ratio plurimum Mariam Scotiæ Reginam commovebat, tamque acerbo animi dolore afficiebat, ut coram ſuis familiaribus minitaretur, quod ipſa, quamprimum in regnum veniret, Mariæ Anglorum Reginæ exemplum imitari velit: nihilominus preſſa aliquamdiu indignatione ſua, ultionem in tempus magis opportunum differre conſtituit: Interea e Lotharingia, ubi tum agebat, Pariſios delata Regem adiit, illumque uſque ad oppidum S. Germani in Laja comitabatur, ubi tam Regi, quam Reginæ valedicens in Regnum ſuum reverſa eſt, eamque Guiſius Dux, pluresque alii Proceres Caletum usque ſplendido comitatu proſequebantur: Caleto autem ſolventem Renatus Ellabonius Marchio unacum Franciſco Galliarum Priore in Scotiam uſque comitatus eſt, ubi etiam die vigeſima prima Menſis Auguſti advenit.

§. LXVI.

Regina in ſuo adventu indigne habita.

Equidem Regina cum feſtivis populi ſui acclamationibus in Regni ingreſſu excipiebatur, brevi tamen hoſce applauſus

plausus turbabat eventus, qui Mariam Reginam ingenti affecerat dolore; cum enim ejus Sacellanus in sua domo rem divinam peragere vellet, jamque pro sacra hac functione sacerdotales afferrentur vestes, quidam perditæ vitæ hæreticus eo temeritatis prolapsus est, ut cereos accensos ab altari eriperet, eosque confringeret, ac nisi illius petulantia a Viris moderatioribus fuisset cohibita, ipsum etiam Altare, sacrumque apparatum evertisset: porro hic tumultus a Jacobo Stuarto Reginæ fratre erat instructus, acceptam vero injuriam Princeps prudentissima aliquamdiu dissimulabat. Sæcul. XVI. A.C. 1561.

§. LXVII.

Vanus Catholicorum conatus pro Religione orthodoxa in Scotiæ Regno restauranda.

Interea Atholiæ, Cravordiæ, & Sutherlandiæ Comites unacum nonnullis Præsulibus veram Religionem in Scotiam revocare moliebantur: cum vero Jacobus Stuartus Reginæ frater Protestantium sectæ apprime addictus, sua auctoritate pium hoc consilium abs dubio eversurus timeretur, hinc præfati Proceres præprimis omnia præmittebant, quæ magis congrua ipsis ad *Thuan. l. 29.*

Sæcul. XVI. A. C. 1561

hoc videbantur, ut eundem Jacobum a Mariæ Reginæ amicitia avellerent: verum duntaxat consilii sui aliquam partem, eamque nonnisi ægerrime exequi poterant, præcipuus vero, quo Religionem Catholicam restaurare moliebantur, eorum conatus ferme omni successu frustrabatur, quippe nova hæreticorum Reformatio tam severis legibus fuit stabilita, ut soli Reginæ unica duntaxat Missa in suo Sacello peragenda concederetur: quinimo hæc ipsa facultas adhuc ea restricta fuit conditione, ut hoc Sacrificium sine omni pompa fieret: quam in rem promulgabatur edictum, quo Reginæ hæc licentia quidem danda, sed non nisi ad unicam Missam restringenda decernebatur: equidem dum hoc edictum promulgabatur, eidem Jacobus Hamiltonus Araniæ Comes sese opponebat: verum sua repugnantia parum in Religionis negotio proficiebat (*). Porro Regina necessarium

(*) Continuator hoc loco contra Historiæ fidem hallucinatus est, dum Hamiltonum tanquam Catholicum depingit, cum tamen Thuanus l. c. hæc de eo eo referat: *Cum edictum de Missa unica Reginæ permissa publicaretur, Jacobus Hamiltonius, qui e Gallia, ubi jussu Guisianorum captus asservabatur, auffugerat,* con-

Sæc. XVI. A.C.1561.

sarium ducebat, ut continuo Satellitum turma ejus latus stiparet, cum vero id apud Scotos haud usitatum, omnique novitate, quam ipsa introduceret, suos subditos magis irritari prænosset: eapropter, ut suum consilium absque suspicionis metu perficeret, eo usa est artificio, ut a fidis quibusdam hominibus noctu tumultum excitari curaret, perinde acsi Araniæ Comes Reginam, cujus amore immodico tenebatur, quamvis illa ab ipso semper alieno esset animo, per factionis suæ socios in arcem suam abducere aggrederetur. Hoc nuntiato mane custodes ad palatii portam appositi apparuere, qui etiam postea continuo ibidem excubias agebant, Proceribus nihil obluctantibus, eoquod hic rumor sat vero similis videretur, atque Araniæ Comes de ejusmodi consilio multum suspectus foret.

§. LXVIII.

---

contradicere ausus fuit, & Arcimbaldius omnes Pontificios facessere jusserat. Buchananus etiam lib. 17. ita scribit: *cum edictum promulgaretur, qui contradiceret, e tota Nobilitate unus est inventus Comes Araniæ: multum licet dissimulanter indignante Regina:* Ex his clare patet, hunc Comitem in Catholicæ Religionis odium huic licentiæ de Missa celebranda sese opposuisse.

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

§. LXVIII.

Scotiæ Regina ab Eliſabetha ad firmandum Edinenſe foedus ſollicitata.

Buchan. hiſt. Scot. Thuan.

Hæc dum interea gerebantur, Regina ad Eliſabetham Angliæ Reginam Mætellanum Comitem ablegabat, qui Mariam Reginam Edinum veniſſe nuntiaret, ſimulque peteret, ut arctiori concordiæ vinculo Anglos inter, & Scotos facto, per publicum decretum, nullique controverſiæ obnoxium Maria tanquam legitima Angliæ hæres ab Eliſabetha declararetur. Hac propoſitione Anglorum Regina omnino attonita Mætellano Comiti reſpondit, quod aliam a Scotiæ Regina legationem exſpectaſſet, ſpemque concepiſſet, ab illa fœdus, quod Edini nuper initum erat, ratum haberi, cum id ſe facturam, dum adhuc in Galliis agebat, promiſiſſet, ut proin Angliæ Regina ſat mirari haud poſſit, nullam de hoc articulo mentionem fieri. Ad hæc Comes nil intentatum reliquit, ut Mariam Reginam excuſaret, cauſſatus, quod ab adventus ſui die nullum tempus habuerit vacuum, in quo maximi momenti negotia, quibus in Scotiam appulſa infudaret, ad debitam normam revocare potuiſſet. Hoc reſponſo Eliſabetha Regina primo contenta videbatur:

tur; quoniam vero Maria se proximam Regni hæredem declarari petebat, ad hæc Elisabetha respondit: „ Nolo me „periculo exponere, ut solem Orientem „a subditis meis adorari permittam, (*) „nec unquam committam, ut Scotiæ „Regina mihi viventi coronam eripiat, „illud tamen a me expectare poterit, „nunquam a me quicquam fieri, per „quod me fatis functa, ipsius jus in An„gliæ Regnum aliqua ex parte læda„tur, aut imminuatur: vicissim vero æ„quitas petit, ut Maria quoque ob u„surpatum Angliæ Reginæ titulum, & „insignia mihi plene satisfaciat, ac pol„liceatur, quod inposterum ab utroque „abstinere velit. Sæcul. XVI. A C. 1561.

§. LXIX.

Scotiæ Reginæ rationes pro hoc fœdere nullatenus confirmando.

Scotiæ Reginæ ad eludendam Edinensis fœderis confirmationem a se petitam validissimis urgebatur rationibus; probe enim sibi perspectum habebat, quod

(*) Hoc proverbium Scotis erat usitatum, quo indicabant, subditos magis esse propensos, ut solem orientem, quam occidentem adorent, seu potius Regni successori, quam ipsi Regi adhæreant.

Sæc. XVI A.C. 1561.

quod Eliſabetha ex adulterino Henrici VIII. concubitu progenita, nec ex Senatus decreto, nec ex Regis præfati teſtamento natalium jus, quod ipſi natura denegabat, conſequi poſſet: hoc igitur ſtabilito Maria haud ignorabat, quod Angliæ ſceptrum ad ipſam tanquam proximam defunctæ Reginæ hæredem ſit devolutum, ac quamvis Eliſabetha coronam vi uſurparet, eam tamen eidem eripiendi ſpes ſibi repoſita eſſet, opitulantibus Franciæ, & Hiſpaniæ Regibus, ſummo Pontifice, multisque Angliæ Catholicis: ſi vero Edinenſe fœdus ratum haberet, ſciebat, quod haud amplius Angliæ Reginæ titulo uti poſſet, quinimo ſi juramenti Religione, quod ab illo abſtinere vellet, ſeſe obſtringeret, haud immerito timendum, ne poſtea ſuarum partium ſtudioſi illam remiſſiori affectu proſequerentur: inſuper omnibus in comperto erat, quod Franciſcus II, dum hoc fœdus a ſuis Legatis firmari præceperat, nunquam illud ratum haberi intenderit, ſed unice hac agendi ratione fuerit uſus, ut copias ſuas e Scotia, ubi veluti obſeſſæ hærebant, educere, ac viciſſim Eliſabetham ad copias ſuas pariter exinde revocandas compellere poſſet. Altera demum ratio, quæ Mariam ad hanc fœderis repulſam permovebat, magis adhuc valida

da erat; quippe illi Franciæ Legati, qui plenam agendi facultatem habebant, ac fœderi subscribebant, articulis hanc inseri conditionem tolerabant: *inposterum Franciscus, & Maria a Regis, ac Reginæ Angliæ titulo abstinebunt:* Maria vero æquam metuendi ansam habebat, ne hoc verbum, *inposterum* captiose fuisset ideo additum, ut hac ratione dolose induceretur, quatenus perpetuo ob Religionem suam Anglici sceptri juribus nuntium mitteret. Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Hic quoque timor eo minus Mariæ temerarius videbatur, quo clarius Angli demonstrabant, quod circa Anglici sceptri successionem unice insistere vellent Henrici VIII. testamento, in quo Margaritæ Scotiæ Reginæ posteris nulla concedebatur dignitatis prærogativa, sed post Elisabetham confestim Suffolciæ Ducissa nominabatur; quapropter Regina sibi persuasum habebat, quod tunc, si fœdus Edinense eo, quo conceptum erat, modo ratum haberet, spargendi ansam præberet, perinde acsi Henrici VIII. testamento sese conformaret, ex quo maximum tamen ipsi damnum accresceret: nihilominus Regina cum Legationem, quam ad Elisabetham decreverat, sibi parum proficuam cerneret, mox Mætellanum Comitem revocavit.

§. LXX.

Sæcul. XVI A.C 156[1].

§. LXX.

Seditio apud Livones mota.

Neugbau hiſt. Polon. l. 8. Chytræ. Saxon. l. 20. Spond. n. 38.

Sub idem tempus in Livonia Revaliæ Gubernator Erici XIV. Sueciæ Regis nomine Padenſem Abbatiam, pluresque arces ſub variis prætextibus occupabat, his tamen uſurpationibus Poloniæ, & Daniæ Reges, necnon Lubecenſes cives, ceterosque omnes, qui in mari mercaturam agebant, ad ſeditionem contra Ericum concitabat; inde enim Nerbana præpediebatur navigatio, cunctæque naves, quæ antea Nerbam vela faciebant, nunc Revaliam contendere cogebantur: quapropter prima hæc violentia funeſtum æque, ac diuturnum accendit bellum, vi cujus mutato totius Livoniæ ſtatu cives ſeſe Polonis ſubmittere cogebantur.

§. LXXI.

Livones Polonis ſubjecti.

Thuan. l. 28.

Itaque Livones has conditiones acceptare compellebantur. I. Mutatio Principis Livonici apud Cæſarem, aut imperium damno non ſit, ac Confeſſionis Auguſtanæ profeſſio libera permittatur. II. Nobilium privilegia confirmentur. III. Plena jurisdictio juxta leges, & conſuetudines, ac mores antiquos ſervetur ſalvo provocationis jure. IV.

Penes

Sæc. XVI. A.C. 1561.

Penes Magiſtratum Germanicum jus dicendi facultas maneat. V. Magiſter Ordinis Livonici, qui Poruſſico ſub nomine Ordinis Teutonici uniatur, Curlandiæ Dux creetur, eique ditiones novæ hæreditario jure attribuantur. VI. Regi Poloniæ cedatur Transduinana Provincia, necnon Riga cum omni ejus territorio, ac jurisdictione, prout Imperio ſuberat, atque in ea Gotardus Kethlerus novus Dux tanquam Regis Poloniæ Vicarii partes teneat. Alia denique pacta ad compenſationem juris, quod Magno Holſatiæ Duci competebat, pertinentia, necnon immunitatem a bello, debita, & monetam concernentia in eisdem fœderis articulis comprehendebantur.

Hæc pacta fuere firmata Vilnæ die vigeſima nona Novembris, atque circumacto tridui intervallo Nobilitatis privilegia per alia pacta confirmabantur: denique Sigismundus Auguſtus, Poloniæ Rex, Guilielmus Brandeburgicus Rigenſis Archiepiſcopus, & Gotardus prior Ordinis Magiſter fidem ſolemni jurejurando interponebant, eaque de re acta publice conficiebantur, quibus & Rex pollicitus eſt, omnia bona illicite a Livoniæ ditionibus ſeparata, aut per ultimos belli tumultus a Moſcis avulſa ſe recuperaturum, in idque omnes opes ſuas inſumpturum, iisque

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

iisque recuperatis bello ablata antiquis dominis reſtiturum.

Verum huic fœderi ſeſe oppoſuit Chriſtophorus Megalopolitanus Rigenſis Archiepiſcopi Coadjutor, qui alium, præter Imperatorem pro ſummo domino ſuo agnoſcere recuſavit, moxque conſcenſa navi in Germaniam perrexit, ubi cum nullam a Cæſare, & imperii Ordinibus liberandæ Livoniæ ſpem reliquam videret, ad Sueciæ Regem confugit.

§. LXXII.

Ordo Livonicus in Germania extinctus.

Chytreus ib. & in append. p. 974. Thuan. l. 28.

Menſe Martio anni ſequentis executioni fœderis utrinque dabatur initium, ac præprimis Gotardus ſupremus Ordinis Livonici Magiſter ritu ſolemni omnibus dignitatis ſuæ juribus cedebat, eaque in Nicolaum Ratzevilium Vilnæ Præfectum, qui tum præſens aderat, transtulit, ſimulque Crucem, Sigilla, cunctaque diplomata ejusdem Ordinis, qui jam ab anno Chriſti trecenteſimo quinquageſimo ſeptimo a ſummis Pontificibus, atque Imperatoribus fuerat inſtitutus, eidem Ratzevilio conſignavit unacum arcis Rigenſis clavibus, ejusdemque civitatis portis: inſuper Commendatoris officium, jus cudendæ

dendæ monetæ, piſcium vectigalia, aliaque Ordinis jura omnia Regi cedebat: porro Sigismundus Auguſtus exemplo Sigismundi I. Patris ſui, qui eadem ratione olim Poruſſiam imperio ablatam juris Polonici fecerat, abolito Livonico ordine, ac jurisdictione Archiepiſcopali extincta non alio medio Livoniæ tranquillitati conſulebat, niſi ut Regni ſui amplificationi unice intentus etiam Religionem immutaret: denique abdicatione facta Gotardus, uti convenerat, a Ratzevilio regiæ Majeſtatis nomine dux Curlandiæ, ac Semi-Galliæ publice proclamatus eſt, & eidem tanquam hæreditario Domino mox Nobilitas Curlandica, ac Semigallica ſolemni juramento ſeſe obſtringere cogebatur: poſtridie vero ab eodem Ratzevilio Regis itidem nomine Gotardus ſummus Regiæ Majeſtatis Vicarius, ac Livoniæ Gubernator in Rigenſi curia renuntiabatur, clavibus arcis, ac civitatis, quas ei tradiderat, ipſi redditis. Sæcul. XVI. A.C 1561.

§. LXXIII.

Valachia, & Moldavia a Jacobo Pari Marchione occupata.

Sub idem tempus magna inter Valachos regiminis immutatio fuit ſubſecuta, quippe Jacobus natione Græcus, qui uſurpato Heraclidis, & Baſilici *Thuan. l. c. Neugobar hiſt. Pol. l. 8. Iſthuenff hiſt. Hungr. l. 20.*

Sæcul. XVI. A.C.1561.

silici nomine ab antiquis Valachiæ regulis genus suum repetebat, seque Insulæ Samii in Ægæo Despotam, ac Pari Marchionem appellabat, apud Polonos Proceres, apud quos plurimum auctoritate valebat, tantum effecit, ut collectis undique copiis tandem cum suo exercitu Moldaviam invaderet, cui Provinciæ tum quidam Regulus nomine Alexander præerat, ob inauditas crudelitates populo suo maximopere exosus: hunc igitur Lascus, qui ex ceteris Proceribus præcipuus sese Jacobo adjunxerat, die decima octava Novembris adoriebatur, initoque certamine, quamvis viribus impar esset, ipsius tamen exercitum fudit, ac Tyrannum Regno suo exuit, totamque ejus ditionem Jacobo possidendam tradidit: porro novus hic Princeps mox pecunia in omnes Purpuratos, seu Bassas largiter profusa Constantinopolim profectus a Solimano impetravit, ut in novo suo Principatu confirmaretur,

§. LXXIV.

Magni Socinianorum progressus in Polonia.

Bibl. Antitrinit. in epitome Joannis

Cum Sigismundus Augustus omnibus, qui sese ab Ecclesiæ Catholicæ unitate segregabant, quamlibet sectam profitendi libertatem concessisset, Sociniani, seu

seu Unitarii hac Regis indulgentia tuti cum ceteris hæreticis Societatem inibant, donec tandem hi de abominandis Socinianorum erroribus edocti omne cum illis commercium respuerent: itaque novi hi Sectarii a ceteris excluſi pluribus in locis proprias suæ factionis Ecclesias erigebant, atque ab Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo usque ad annum millesimum quingentesimum quinquagesimum quintum tantopere suorum numero excreverant, ut Pindezovæ, Racoviæ, Lublini, Luclaviæ, Kioviæ, Cracoviæ, Novogardiæ, Volniæ, & alibi plures ejusmodi Ecclesias stabilirent, suamque Metropolitanam in urbe Cracoviana præter quoddam Collegium, ac typographiam erigerent: suas tamen Synodos Pindezovæ celebrabant, quapropter haud amplius Ariani, sed Pindezovienses appellabantur, ac sensim suorum potentia adeo prævalebant, ut in Conciliabulis, quæ regnante Sigismundo Augusto unacum spuriæ Reformationis assecliſ in Polonia habebant, semper soli dominarentur: insuper Olesnieskus, cui Pindezova parebat, vir ingenio acer, atque ad quævis audenda proclivis juncta cum Stancaro opera Sacerdotes, & Religiosos aperta vi insectabatur, eis-

Sæcul XVI. A.C.1561.

Stoinii p. 183. & seq. Hist. Ref. Eccl. Pol. c. 4. Stoupp Relig. des Hollandois.

Sæcul. XV A. C. 156

que Pindezova ejectis sese omnium fidei desertorum Patronum palam declarabat, ejusque temeritate animati Blandratus, Gregorius Paulus, Crovicius, Statorius, Schomaunus, Brelius, Tricassius, Lascus, aliique plures Pindezovam contendebant, ut Sanctissimæ Triadis mysterium impugnantes ibidem Ecclesiam conflarent, quæ postea Ministrorum, qui eidem præerant, petulantia, necnon rerum ibidem gestarum raritate adeo celebris evaserat, ut de hac hæreticorum colluvie in Polonia non minus honorifica haberetur mentio, ac quondam de Athenis in Græcia fiebat.

§. LXXV.

Primum Antitrinitariorum conventiculum Pindezovense.

Hist. Ref. l.c

Postquam novi Ariani cum Protestantibus Religionis certamen inire postulabant, primum conventum Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto Pindezovæ sub Olesnieski auspiciis habuerunt, statuentes, ibidem Fratrum Moravorum, qui Valdenses dicebantur, Anapabtistarum, Hussitarum, pluriumque aliorum doctrinam, Religionem, mentemque esse examinandam.

§. LXXVI.

§. LXXVI.

Sæcul. XVI. A.C 1561.

Varsovienſia comitia, & Sceminienſis Synodus.

Anno ſequenti Varſoviæ celebrabantur comitia, in quibus poſt crebras diſceptationes inter Prælatos, & Catholicos contra ſpurios Reformatores habitas, tandem Præſules ſtatuebant, condendum eſſe decretum, vi cujus adulterini Evangelii Præcones, qui in Procerum ædibus, ac caſtris degunt, procurare tenerentur, ut a locorum Epiſcopis inſtituantur, atque approbentur, eo fine, ut deinceps juxta Sanctorum Patrum doctrinam Evangelium prædicent, necnon decimas, aliaque jura Eccleſiaſtica perſolvant: Verum hi, ut ejusmodi decreti vim eluderent, mentiebantur, quod præfati Patres ab Apoſtolicæ fidei puritate, & Virorum Apoſtolicorum, quinimo ab ipſa Nicæni Concilii doctrina receſſerint: porro hoc reſponſo tantum effecere, ut in priſtina, qua fruebantur, libertate relinquerentur, ne ſua Catholici violenter ab eis privarentur: conceſſa igitur hac libertate Pindezovenſes, necnon prætenſi Reformatores Sceminiæ conventum agunt, in quo Petrus Goneſius palam propugnare audebat, quod Pater æternus major ſit Filio, & Spiritu ſancto,

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

solumque Apostolorum Symbolum sit nostræ fidei Regula, inter mera autem hominum commenta reputentur Nicænum, illudque, quod Divo Athanasio adscribitur: insuper affirmabat, quod Sanctissima Trinitas non sit Deus, Filius vero Patre minor existat, sitque quidem Deus verus, talis tamen, qui semper honoravit Patrem suum, a quo id totum, quod est, recepit: idiomatum autem communicationem æque, ac Verbi cum Patre consubstantialitatem nil nisi chimæram dicebat, atque istis omnibus erroribus simul hasce Blasphemias subjungebat, effutiens, Verbum, quod est invisibile, in Virginis sinu transmutatum fuisse in carnem, aut Deum mutatum esse in hominem. Has impietates Gonesius a Serveto mutuabat, easque spurii Reformatores detestabantur, atque inter eos Melanchton, qui adhuc vita superstes erat, in consilium vocatus hanc doctrinam palam Arii hæresin sapere decidebat: ast insuperhabita hac definitione Gonesius nullatenus sententiam suam mutabat.

§. LXXVII.

Aliud Pindezovense Socinianorum conventiculum.

Hist. Ref. l. c. Sandius Bibl. p. 184.

Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo Pindezovæ aliud

Sæcul XVI. A.C.1561.

aliud habebatur colloquium, cui Blandratus, Goneſius, Stancarus, Lismaninus Fratrum Minorum Apoſtata, & Crovicius intererant, quos inter potiſſimi Patrem æternum Filio eſſe ſuperiorem juxta Serveti principia propugnabant, alii vero hanc doctrinam refellebant, unde inter eos ingens exorta eſt verborum contentio: equidem Andreas Subinieſckus Synodi Senior diſſidentes componere adlaborabat, ſeque proſperi ſucceſſus ſpe lactabat, dummodo dogma de Deo uno, ac in Perſonis trino a communi fide penitus eliminaret: ut ergo id aſſequeretur, Menſe Novembri ejusdem anni novum indixit conventum, in quo Joannes Laſcus, Gregorius Paulus, Stanislaus Sarniecus, aliique convenerant: verum rurſus poſt crebras altercationes re infecta diſceſſum eſt: Die autem decima quinta Decembris Miniſtri denuo Briſcii in Lithuania cœtum cogebant, qui jamjam nona, quam celebrarunt, Synodus erat, in qua Goneſius ceteris petulantius declamans parvulorum Baptismum impugnabat, & illum nonniſi humanum eſſe commentum affirmabat, atque librum a ſe hanc in rem compoſitum producebat, quem cum Pindezovienſes prælegi juberent, adulterinæ Reformationis Miniſtri frementes doctri-

Sæcul. XVI A.C. 1561.

nam, ob quam Anabaptiſtæ toties jam fuerant damnati, deteſtabantur, ac Goneſio litem intendere moliebantur: Hieronymus tamen Piecerskius tumultuantes ſedabat, quamvis hæ induciæ nonniſi ideo initæ viderentur, ut poſtea ad acrius utrinque bellum via ſternatur. Interea Goneſius, cum de Trinitatis Myſterio, Perſonarum diſtinctione, idiomatum communicatione, ac duplici natura in Chriſto, aliisque fidei articulis, qui a Proteſtantibus æque, ac a Catholicis recepti ſunt, differeret, cuncta hæc Myſteria negabat, affirmans, ea nonniſi fabulas eſſe Romanorum Præſulum auctoritate in Eccleſiam intruſas.

Verum fictitii Reformatores novis hiſce Goneſii auſibus incitati querelas ſuas innovabant, quapropter hujus conventiculi Præſes ſub anathematis pœna Goneſio inhibere cogebatur, ne impoſterum errores ſuos hucusque propoſitos propugnare præſumeret; (*) at bruta

(*) Si Catholici in Proteſtantes ejusmodi interdictum tuliſſent, in quas, quæſo, querelas ſeſe effudiſſent hi Sectatores, nonne conſcientiis vim inferri, ac Evangelii doctrinam defendendi libertatem adimi fuiſſent vociferati, cum tamen eodem jure hi Antitrinitarii æque, ac Lutherani ſuos errores ex Sacrarum literarum abuſu propugnarent.

bruta erant hæc fulmina; Goneſius enim Reformatorum anathemata in ipſum intentata flocci habebat, Phanaticorum more reſpondens, quod interno Dei lumine illuſtratus potius Deo, quam hominibus obedire teneatur: inde vero Picerskius potens Goneſii fautor coram Synodo contra errores, atque abuſus, quos in veram Eccleſiam irrepſiſſe mentiebatur, declamandi anſam arripuit, tantaque verborum amplitudine, animique vehementia peroravit, ut plures ad ejus ſtudia pertracti doctrinam Goneſii amplecterentur: eapropter inſuperhabito Præſulum ſtudio, ac ſpuriorum Reformatorum molimine, necnon vilipenſa anathematis pœna, quæ in hoſce Trinitatis, ac parvulorum Baptismi hoſtes intentabatur, iidem Goneſii errores circa Patris æterni ſuperioritatem, ac parvulorum Baptisma tam prompte in Pindezovana Eccleſia recipiebantur, ut deinceps infantes haud amplius ſalutari aqua tingerentur. Hujus innovationis potiſſimi Authores creduntur Blandrarus, & Lismaninus, qui etiam de hoc argumento acrem habebat diſputationem cum Gregorio Paulo, qui nondum penitus Antitrinitariorum blasphemiis ſubſcripſerat, nec palam profeſſus erat, Patrem Filio eſſe majorem.

Sæcul. XVI. A.C.1561.

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

§. LXXVIII.

Aliæ Synodi in eadem Urbe celebratæ.

Sandius p. 185.

Cum commentitiæ Reformationis ſocii ſuarum Synodorum decreta, ac cenſuras contra hoſce rebelles vibratas vilipendi ægerrime ferrent, ira commoti Anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono jam decima vice conventum inſtituerunt, ac ſui conciliabuli Præſidem nominarunt Joannem Laſcum, & Sarnicium ambos Proteſtantium ſectæ addictiſſimos, juratosque Pindezovienſium hoſtes. Hi edito decreto omnes Miniſtros ad reddendam doctrinæ ſuæ rationem adigebant, ſed incaſſum omnia, unde die vigeſima ſecunda Novembris eodem Anno rurſus Pindezovæ conventum habebant, in quo tamen Stancarus vehementer declamans propugnabat, quod Chriſtus Dominus duntaxat ſecundum naturam humanam noſter ſit Mediator: nec his contentus, inſuper Remigii Chelmski literas prælegi juſſit, in quibus ſignificatum, quod Poloni Proceres anxiis curis agitarentur, an licitæ ſint preces ad Spiritum Sanctum directæ, eoquod harum precum potiſſimæ in fine referantur ad Patrem per Filium. Fertur, haſce anxietates Proceribus fuiſſe ſuggeſtas per Statorium Theodonis

nis Villanum. Denique Anno Christi milleſimo quingenteſimo ſexageſimo Menſe Septembri Novatores Xianzi alium celebrabant conventum, quem ipſi decimam octavam appellant Synodum, in qua Blandratus tantopere ingenii ſui aciem oſtentabat, ut idem, quamvis eſſet fugitivus, Eccleſiarum tamen, quæ in minori Polonia erant, Senior ſalutaretur. Sæcul. XVI. A. C. 1561.

§. LXXIX.

Decima nona Pindezovienſis Synodus.

Ineunte anno Salutis noſtræ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo die trigeſima Januarii rurſus falſi Reformatores, ac Pindezovienſes decimum nonum Conciliabulum Pindezovæ habebant, ibidemque reſponſum Chelmskio datum, necnon novam prærogativam Blandrato conceſſam diſcutiebant, ibidemque Statorius, qui ſuam doctrinam veluti firmis argumentis ſtabilitam venditare unice geſtiebat, ſibi a probatæ fidei Viris nuntiatum eſſe propoſuit, quod Chelmskius nequaquam de accepto reſponſo contentus eſſet: his etiam addidit: „mihi Chelmskius ſuam hac ſuper „re mentem datis literis aperuit, rem „tamen penitius rimari, aut diſertis „verbis ſententiam ſuam deſuper pan„dere minime auſus eſt: cum vero ho- *Bibl. Ant. p. 185.*

Sæcul. XVI. A. C. 1561

„die ea mihi sors contingat, ut coram „ejusmodi Viris comparere possim, qui „de mea doctrina judicium ferre, eam- „que penetrare valent, atque aliunde „Sacri Evangelii Minister, si opus est, „veritatem propalare nullatenus eru- „bescere debet, hinc enormem committi „idololatriam, si Spiritus Sanctus in- „vocetur, palam profiteor, ac semper „quotiescunque libuerit, demonstrare „paratus sum; quod nullo Sacræ Scri- „pturæ textu comprobari possit Spiri- „tus Sancti Divinitas, nec etiam illius „adoratio. vel invocatio, imo nequi- „dem ipsa fides, qua in eum credere „tenemur.„ Hæc verba, quamvis impietatibus plena, nihilominus quibusdam vero sat similia videbantur, unde ea etiam ab universa Synodo acceptari postulabant: alii vero exinde graviter offensi illorum Authorem in jus vocari petebant, eumque de errore ex Sacro Codice convincere parabant. Verum Statorius, cum verborum abundantia polleret, sacrasque literas ad suum scopum pro suo arbitrio detorquere nosset, ipsus suos adversarios præveniebat, illisque ex ipsismet sacris libris probare nitebatur, quod Spiritus Sanctus nec sit Deus, nec ullo cultu honorandus.

§. LXXX.

§. LXXX.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Statorii blasphemiæ contra Spiritus Sancti Divinitatem.

Ex argumentis, quæ Statorius asserebat, erat primum: Spiritus Sanctus non est Deus; cum enim Apostoli fidelibus de Spiritu Sancto doctrinam traderent, duntaxat illis dixerunt: probate, an Spiritus vester sit ex Deo, vel non: item, videte, an sitis a Spiritu sancto, vel an sitis ex Deo: ergo Apostoli Deum a Spiritu sancto distinguebant. II. Spiritus Sanctus non est Deus, quia non est vita æterna, nec supremum bonum, nec ille finis, ad quem tendere debemus, cum enim Christus Dominus homines doceret, in quonam consistat vita æterna, ac quænam media ad illam conducant, dixit solummodo: *hæc est vita æterna, ut cognoscant te*, (Patrem) *solum Deum verum, & quem misisti, Jesum Christum.* Insuper Christo Domino miracula operante, Evangelistæ nos sedulo admonent, quod eorum plura adhuc patrarit, ut ejus discipuli crederent in illum, quia ipse est Christus Filius Dei vivi, & ut credentes vitam habeant in nomine ejus; in hoc autem loco de Spiritu sancto nec tanquam fine nostro ultimo, nec tanquam medio, per quod ad illum finem

Lubieneski h. st. Ref. Eccl. Polon. cap. 5.

Sæcul. XVI. A C. 1561

nem pervenire possumus, mentio fit. III. Spiritus Sanctus non est Deus, quia non est Trinitatis Persona; Christus enim, dum in cœlum ascenderat, suis Apostolis dicebat: Vado ad Patrem meum, & Patrem vestrum, ad Deum meum, & Deum vestrum: nihil tamen de Spiritu sancto locutus erat. IV. Non est Deus, nec in ipsum, nec ipsi credendum est, quando enim Christus ea, quæ credamus, necnon illum, in quem credendum sit, nos docuit, ajebat quidem: credite in Deum, & credite in me, non autem nobis præceperat, ut etiam in Spiritum sanctum credamus: dum autem Apostoli in Symbolo suo dicunt: *Credo in Spiritum sanctum*, inde haud sequitur, quod hic Spiritus sit Deus; in eodem enim Symbolo etiam in Ecclesiam credere jubemur, nec tamen propterea Ecclesia Deus est, cum Apostoli duntaxat velint, ut credamus, quandam dari virtutem, quam Deus in cordibus nostris excitat, atque ad mensuram iis, quibus vult, concedit, ut distinquamur a Christo Domino, cui Deus hanc virtutem dedit in tota plenitudine sua: quinimo cum Spiritum sanctum nobis det ad mensuram, illumque in plures partes dividat, eo ipso Deus non est, qui ex natura sua partes non habet, nec dividi potest:

non

Sæcul. XVI. A C. 1561.

non igitur, inferebat Statorius, ad Spiritum sanctum, sed ad Patrem solum per Filium, vel ad illum, qui nobis hunc Spiritum sanctum ad mensuram dat, preces nostræ sunt dirigendæ, quinimo si Deus non est, nullus latriæ cultus ei deferendus est.

§. LXXXI.

Vana Protestantium molimina in confutandis hisce erroribus.

Enimvero fictæ Reformationis Ministri plures Sacræ Scripturæ textus producere nitebantur, ut negativa, prout vocant, Statorii argumenta refellerent, quæ quidem reipsa nullatenus contra Spiritus Sancti divinitatem militabant: cum vero Statorio utpote Viro admodum pertinaci illa oppido clara, ac intellectum convincentia viderentur, ad traditionem, atque interpretationes, quas Veteres Sancti Patres hisce textibus accommodabant, recurrere oportebat: verum cum spurii hi Reformatores nil nisi Sacras Literas admitterent, nec etiam in eorum Synodo traditionum, Patrumque auctoritas acceptaretur, hinc eorum disputatio in propudiosam animorum contentionem, ac mutua convitia degenerabat: inde tamen Statorius adeo parum commovebatur, ut potius, cum se nonnisi injuriis

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

riis confutari cerneret, firmiter sibi persuasum haberet, quod pro veritate pugnasset, unde fictitia hac victoria elatus, perinde acsi omnium Magister esset, ulterius perorabat, palam questus de agendi ratione, quam Genevenses Ministri, ac præcipue Calvinus hucusque tenuissent: hunc enim accusabat, quod violatis omnibus charitatis, ac justitiæ legibus Blandratum divexarit, eumque hæresis insimulans, lata sententia, cujus autographum penes se habebat, ac in confessu proferebat, eidem infamiæ notam inusserit. Postmodum hæc sententia prælegebatur, nec deerant, qui eandem æquitati apprime consonam rati multis deprædicarent elogiis: cum igitur Statorius querula voce sua parum proficeret, tandem in hæc verba prorupit: „Calvinum haud decet, ut fra„tres suos Arianæ hæresis insimulet, „cum ipsemet sit Sabellii secta infectus; „admittit enim tres Deos, scripsitque, „Deum non esse genitum, genitum vero „Filium, & Spiritum Sanctum esse pro„ductum: immerito autem Blandratus „æque, ac ego accusamur, & tanquam „heterodoxi traducimur, cum circa „hasce quæstiones controversas non „aliis utamur verbis, quam illis, quæ „a Reformatis Ecclesiis adhibentur: „de cetero, si in Patrem, Filium, & Spiri-

„Spiritum Sanctum credere, ac circa „hoc myſterium ea omnia, quæ de eo „Sacræ Paginæ loquuntur, profiteri, „& præter ea nil aliud admittere, hæ„reticum eſt, tunc ingenue fateor, me „eſſe hæreticum, atque pro defenſione „fictæ hujus hæreſis omnia perpeti pa„ratum eſſe, quæcunque contra fidem „meam invidia, ac hoſtium meorum „malitia concitare poterunt; mihi enim „ſufficit æquum fidei meæ teſtimonium, „quod mea mihi conſcientia ſuppedi„tat.„ (*)

Sæcul XVI. A.C. 1561.

§. LXXXII.

(*) Equidem Statorius haud immerito Calvinum tanquam Sabellianum, atque Arianæ hæreſis reſtauratorem nominabat, quippe ex ipſis Lutheri aſſeclis non pauci, ac præcipue Jacobus Andreas celebris ille Tubinganus Cancellarius teſtantur, in Polonia, Tranſylvania, & Hungaria quamplurimos in Arianismum, imo & Mahometis ſuperſtitionem ideo fuiſſe prolapſos, quia illis Calvinus ſacrilega ſua doctrina latiſſime januam aperuit: inſuper Adamus Neuſſerus quondam Heidelbergenſis Præco, ac primo Lutheranus, poſtea Calviniſta, dein Arianus, ac denique Mahometanus in epiſtola ad Stephanum Gerlachium anno 1574. ſcripſit, neminem ſe vidiſſe, ſuo tempore Arianum factum, qui non prius Calviniſta fuerit: His addit Joſephus Biner in ſuo Apparatu

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

§. LXXXII.

Iidem errores non sine adstantium offensione a Blandrato propugnati.

Lubien. l. c. cap. 5. & 6. Sandius p. 186.

Cum ergo Blandratus amico suo, qui ejus causſam adeo ſtrenue tuebatur, opem ferre ſatageret, pro vindicando

paratu part. 7. l. 2. cap. 3. art. 3. fol. 314. *Adeo nimirum ſcite Calvinus in iis, quæ de Trinitate, Incarnatione, Euchariſtia, Baptismo, Præſcientia, & Prædeſtinatione impie ſcripſit, infelicem hanc gradationem docet, utque præcones Tigurini devotionem ſuam erga Mahometismum toti mundo luculentius oſtenderent, Alcoranum, impoſturis, ſpurcitiis, & blasphemiis plenum, dignum judicarunt, quem per Bibliandrum verſione latina donarent: demonſtrare, credo, volebant, quale Evangelium populo annuntiarent.* Certe Florimundus Ræmundus lib. 4. de ortu hæreſum. cap. 9. prælongam, & exactam parallelam ducit inter Evangelium Mahometis, & id, quod novi iſti Apoſtoli prædicarunt, oſtenditque prolixe ſimilitudinem quoad dogmata, & doctrinam fidei, quoad propagationem violentam, armis, & provinciarum incendiis peractam, quoad variationem ſuæ utriusque Religionis in ſectas innumeras diviſæ &c. exhibet denique idem auctor conatus proteſtantium, ut cum Turcis fœdere jungantur in Chriſtianorum perniciem.

cando honore suo non minus audacter, ac antea Statorius declamabat, præprimis affirmans, quod præter ea, quæ disertis verbis in Sacro Codice continentur, aut saltem clara, ac intellectum convincente, sponteque fluente consecutione deduci queunt, nihil sit credendum, eoquod fides tam in suo, quod habet, motivo, quam objecto simplex, ac divina sit. Huic errori adjecit, quod ea, quæ in Symbolo Apostolorum comprehenduntur, non admodum consona sint Sacris literis, minus vero his consonent illa, quæ continentur in Symbolo Nicæno, vel Constantinopolitano, aut in illo, quod D. Athanasio adscribitur. Verum Hieronymus Ossolinskius Vir Nobilis hanc Blandrati temeritatem indignatus, Synodi nomine eidem, quod perversis a se propugnatis, atque inter fideles disseminatis dogmatibus universo confessui gravem præbuisset offensionem, denuntiabat: ut vero hujus exprobrationis æquitatem comprobaret, in testem advocabat Lismaninum tunc præsentem, qui iniquo ferebat animo, quod Stancarus quemdam perversum librum cuidam fœminæ Nobili legendum dedisset. Ast Lismaninus, cum opinionem Blandrato adversam propugnasse, credi haud vellet, se hac super re in testem

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

fuisse vocatum ægerrime ferebat, moxque Patris æterni prærogativam supra Filium rursus urgere cæpit, hancque blasphemiam Ossolinskio persuadere conatus est, adducta veterum Patrum auctoritate, prout jam antea fecerat in sua epistola ad Joannem Charninskium; unde frequens, eaque accerrima oriebatur verborum altercatio, qua in convitia desinente sese mutua objurgatione tanquam hæreticos traducebant: ceterum hi, qui reliquis magis moderati videbantur, ut contentioni finem imponerent, illos, qui Blandratum, & Lismaninum hæresis postulabant, ad id adigebant, ut læsum honorem eis repararent, ea tamen lege, ut Blandratus fidei professioni subscriberet, quo facto ab hæresis crimine, de quo accusatus esset, immunis haberetur.

§. LXXXIII.

Synodi, & Ratzevilli Palatini epistolæ ad Calvinum.

Cum Calvinus sua arrogantia, ac literis ad Blandrati ignominiam, qua in hoc Pindezovienſi conventiculo obruebatur, haud parum contulisset, hinc hæretici haud abs re fore censebant, ut Synodus datis ad Calvinum, & Bullingerum literis ambos de rei gestæ serie certiores redderent; itaque Lismani-

maninus hasce epistolas consarcinandi provinciam in se suscipit, eas vero Anno sequenti Ezechovius Genevam defert, unacum Ratzevilli Palatini literis, in quibus is hæc significabat: „Blandratum condemnare haud „possum, cum mihi persuasum habeam, „quod is in Deo tres consubstantiales, „coæternos, & coæquales sincera fide „admittat: si vero me nonnulli ad hunc „Virum condemnandum vi adigere „vellent, necesse foret, ut Genevenses, „& Tigurini Ministri hanc doctrinam „prius condemnarent.„ Ex hisce literis colligi videtur, quod Ratzevillus nequaquam solius Calvini judicio stare voluerit, atque illius integritatem ob ejus odium, quo in Blandratum flagrabat, valde suspectam habuerit: porro post tot, tantasque altercationes tandem Synodus solvebatur, haud alio successu, nisi quod Luthoremiskius a Pindezovienſi Ministerio submotus, Superintendens, seu Poloniæ minoris Ecclesiarum Episcopus fuerit nominatus.

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

§. LXXXIV.

Alia Conciliabula Cracoviæ, & Pindezovæ celebrata.

Die decima sexta Septembris eodem anno Sectarii alium Cracoviæ habebant conventum, quem ipsi vigesimam

Epist. Joh. Stoinii apud Sandium p. 186.

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

mam Synodum appellitant: Ibidem Calvini epiſtola, quam Ezechovius Geneva ſecum detulerat, prælegebatur, in qua hic hæreſiarcha ſpuriæ ſuæ Reformationis Eccleſias, ac præcipue Cracovienſem, & Pindezovanam hortabatur, ut Blandratum vigili admodum oculo obſervarent, ſibique ab ejus doctrina ſedulo caverent. Diſplicebant hæ literæ quam plurimis, præprimis Oſſolinskio, qui palam exclamabat: utinam nunquam de Trinitatis myſterio lingua, aut calamo actum fuiſſet! his autem verbis Sanctos Patres, & Concilia, a quibus hoc myſterium edocti ſumus, haud obſcure redarguebat, ſimulque inſinuabat, ſoli ſacræ Scripturæ circa illud eſſe inſiſtendum. Querenti Oſſolinskio mox ſuffragabantur Blandratus, & Lismaninus, qui, cum potiſſimum eorum cauſſam agi cernerent, vociferabantur: „Vah! lo„quantur omnes Doctores de fidei my„ſteriis, quicquid velint: relinquant ta„men nobis unum Deum ſolum, nec „illum dividant, poſtea ſibimetipſis, „per nos licet, fingant talem Media„torem, qualemcunque velint, nulla „nobis de hoc cura eſt.„ Verum cuncti hi clamores, & lamenta nonniſi aerem verberabant; tantum enim prævaluere Calvini literæ, ut Blandratus circa Trinitatis

nitatis Myſterium, & Perſonarum con- Sæcul. XVI. A.C. 1561.
ſubſtantialitatem quoddam ſuæ ortho-
doxiæ ſignum edere cogeretur, quod
& præſtitit, dum fidei normæ in com-
mentitiæ Reformationis Eccleſiis pas-
ſim receptæ ſubſcripſit: crimini autem
dabatur Lismanino, quod circa Patris
æterni prærogativam ſupra Filium lite-
ras ad Joannem Charninskium dediſſet.

Inſuper hoc eodem anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo die decima nona Novembris in præfata Pindezovienſi urbe aliud cogebatur Concilium, in quo Proteſtantes Statorium ob blasphemias nuper contra Spiritus Sancti Divinitatem effuſas caſtigandum eſſe contendebant; quapropter mentem ſuam clarius ſcripto explicare jubebatur: aſt ille nonniſi quantum ad aliqua dogmata explicationem ſubjecerat, necnon hæc, ut ſententiam ſuam vendicaret, expoſuerat: „quoniam Miniſtri de Blandrato con„tenti ejus fidem, quamvis a Calvino „damnatam, commendaſſent, hinc cen„ſeo, me haud amplius circa Ortho„doxiam meam eſſe moleſtandum, præ„cipue cum & ego circa motæ quæſtio„nis articulos fidem a Blandrato mini„me diverſam profitear: ſi vero illi, qui „in Patrem, Filium, & Spiritum San„ctum credunt, dicendi ſunt hæretici,

Sæcul. XVI. A C 1561

„necesse est, ut & ego sim hæreticus, „cum hanc quoque fidem teneam.„ Hoc pacto rursus hoc quoque conventiculum fuit dissolutum.

§. LXXXV.

Socinianismi initia in Transylvania.

Pariter hoc anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo primo Socinianorum hæresis Transylvaniam devastare cæperat; quippe Joannes Sigismundus Zapolius, Joannis Zapolii Scepusi Comitis Filius, ac Transylvaniæ Princeps a Francisco Davide Confessioni augustanæ addicto, ac spuriæ Reformationis Ecclesiarum, ut vocant, Superintendente seductus in Socinianorum errores prolapsus erat. Ceterum hic idem David acri dissidio collidebatur cum Martino Calmonekio Sacramentario, qui insignis Præco, necnon vaferrimus, atque in controversis quæstionibus peritissimus erat, & insuper a Claudiopolitanæ urbis Episcopalis, quæ vulgo Colosvaria appellatur, Gubernatore plurimi habebatur: porro inter ambos hosce viros jurgiorum caussa oriebatur ex adventu hæreticorum quorumdam, qui recens Geneva, ac Tiguro in Transylvaniam delati, suorum dogmatum novitate Protestantium Ecclesias in præfato Principatu

cipatu ſitas tantis involvebant diſſen- Sæcul. XVI.
ſionibus, ut omnes, cui adhærendum, A. C. 1561.
aut quorum opiniones amplectendæ, dubii hærerent; hinc David, ut haſce ambiguitates tolleret, præſente Joanne Sigismundo, ceterisque Proceribus publicum inſtitui colloquium petebat, ac præprimis Martinum Sacramentariorum Præconem omnesque novos hoſce advenas provocabat, poſtulans, ut coram ipſo ſuas propugnarent opiniones: igitur certaminis diſcrimine utrinque acceptato ea proponebatur conditio, ut futuræ diſputationis acta ad Philippum Melanchtonem tunc adhuc vita ſuperſtitem transmitterentur; inter partes enim erat conventum, quod hujus Viri judicio ſtare teneantur. (*)

(*) Proh pudor! Proteſtantes in fidei dubiis judicio ſummi Pontificis ſtare detrectant, & ut ſuis quæſtionibus finem imponant, privati cujusdam Doctoris judicio ſtare non erubeſcunt! ubi jam eſt clarus ille Sacræ Scripturæ ſenſus? ubi privatus eorum Spiritus, unicus controverſiarum judex tantopere ab eis commendatus?

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

§. LXXXVI.

Sigismundi Transylvaniæ Principis epistola ad Wittenbergensem, & Lipsiensem Universitates.

Paulopost Joannes Sigismundus ad Wittenbergensem, & Lipsiensem Universitatem literas perscripsit, in quibus sese ad novos errores admodum propensum exhibebat, ejusque epistolæ sequens erat tenor. „Eo, quo teneris ab „annis purioris doctrinæ studio, atque af„fectu in vos ferimur, nos quoque ad id a„digimur, ut non sine animi amaritudine „novas doctrinas a quibusdam Zwing„lii, & Calvini Sectatoribus in regnum „nostrum (intellige de Hungariæ Regno, cujus duntaxat titulum Solimanus ei reliquerat) sparsas toleraremus: Ve„rum magis adhuc dolor noster auge„scit, dum cernimus, quod fideles nostri „subditi in Hungaria, & Transylvania „tot novarum opinionum diversitate in„ter illos disseminata adeo turbentur, ut „illi quid credere debeant, ipsimet igno„rent; itaque ad subditorum nostrorum „precesin nostra Magyesia civitate con„ventum indiximus, ut tandem, quæ „circa Cænam Domini credenda sint, „dispiciamus &c. Cum autem nobis „persuasum sit, quod vobis magis cele-

„celebres Theologos nullibi reperire „possimus, eapropter ad vos perscri- „bere, ac vestrarum Universitatum ju- „dicium sequi decrevimus, idque con- „sultum fore censuimus, vobisque con- „troversas opiniones transmittimus, ut „desuper disertis verbis ultimam fera- „tis sententiam, quam juxta Dei verbum „instruatis (*) inde enim speramus, fore, „ut vos turbatis conscientiis, atque „Ecclesiis in nostra ditione afflictis tran- „quillitatem reddatis, hacque ratione „opus Deo gratum, vestri Ordinis Chri- „stiani dignum, nostrisque Ecclesiis „proficuum perficiatis, vestraque sen- „tentia grato animo a nobis recipiatur. „Datum Weissemburgi, (quæ Urbs ho- „die Alba Julia appellatur) die vigesi- „ma Septembris anno Domini millesi- „mo quingentesimo sexagesimo primo.„

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

(*) Ergo ne Protestantes Hungariæ, & Transilvaniæ Ministris verbo Dei, ac privato illud intelligendi, ac interpretandi Spiritu caruere? Fortassis Protestantium Religio in Transilvania præter Sacras literas etiam Universitates tanquam Judices fidei infallibiles admittit, proin Religionis summa juxta diversitatem Regionum, temporis, aut circumstantiarum diversam etiam induit essentiam, tandemque in mere politicam, ac humanam transit legem.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sæcul. XVI. A C. 1561.

§. LXXXVII.

Cophti ad Tridentinam Synodum a Papa invitati.

Rain. ann. 1560. n. 77. Simon hist. crit. de la creance & des court. des Nation. du Levant c. 10

Cum summus Pontifex ex omnibus hisce diversis erroribus Ecclesiam devastantibus satis aperte cognosceret, promptam Concilii inchoationem summopere esse necessariam; hinc suis Legatis jamjam Tridentum delatis injungebat, ut ineunte anno sequenti (*) Concilio initium darent: nec his contentus Pontifex, insuper ad hanc Synodum Cophtos pellicere aggrediebatur. Cophti erant Christiani Jacobitæ, seu Monophysitæ in Ægypto habitantes, qui Dioscori Patriarchæ Alexandrini erroribus adhærentes unicam duntaxat in Christo naturam admittebant, eorumque Ecclesia a decem, vel undecim Episcopis, unoque Patriarcha a præfatis Præsulibus, Clero, ac populi Primoribus electo, qui sese Patriarcham Alexandrinum nominabat, regebatur: porro iidem cum Græcis circa præcipuos fidei articulos, præsertim circa opiniones, ritusque, in quibus eorum Eccle-

(*) Observes velim, hæc gesta fuisse anno Domini 1560. ut patet ex Pontificis epistola ad Christophorum Roderiquez Apostolicum in Ægypto Nuntium.

Ecclesia a Latina discrepat, omnino consentiunt, atque a Divi Marci temporibus suorum Patriarcharum successio non fuit interrupta. Sæcul. XVI. A C 1561.

§. LXXXVIII.

Duo Jesuitæ ad Cophtorum Patriarcham a Papa ablegati.

Eo tempore Gabriel Patriarchali dignitate sub Pio IV. fulgebat, datisque ad eundem literis quempiam ad se transmitti petebat, ut de opportunis suam Ecclesiam Romanæ uniendi mediis cum illo conferre posset. Annuit Pius IV. Patriarchæ desideriis, hancque in rem ablegat duos Jesuitas, Christophorum Rodericum natione Hispanum, & Joannem Baptistam Elianum Ægyptium, qui abjurata Judæorum superstitione Christianorum sacra amplexus erat; igitur ambo Venetiis die prima Octobris hoc anno unacum Abrahamo portu solvunt, ac juxta Ægyptiorum Sacerdotum morem vestiti die tertia Novembris Alexandriam veniunt: cum autem Patriarcha Cairi ageret, cum illo nonnisi die vigesima quinta Decembris Dominicæ Nativitati sacra conferre poterant, illumque Virum ætate quidem oppido senem, literarum vero omnino expertem experti sunt, ab eo tamen perbenigne, ac honorifice excepti literas summi

Sacchini hist. Soc. l. 5. n. 135. l. 6. num. 121. Aug. Oldoinus apud Ciacon. in vita Pii IV. p. 880.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

mi Pontificis eidem porrigebant, ex quibus cum Patriarcha, ut Legatum ad Tridentinam Synodum decerneret, a Papa se rogari perlegeret, amplissimis ipsius Pii IV. nomine ei oblatis promissis captus pollicebatur, quod proximo vere quemdam ex suis Episcopis una cum Abrahamo, qui jam Romæ agebat, Tridentum mittere velit: rogatus quoque Patriarcha a Roderico, ut simul etiam quosdam Cophtos juvenes Ecclesiæ Catholicæ doctrinis imbuendos Romam mitteret, respondit, quod hanc petitionem maturius discutere velit; timendum enim, ne Turcæ aliunde gens admodum suspicioſa inde offenderentur.

§. LXXXIX.

Cophtorum errores.

Simon l. c.

Postea Patriarcha hisce duobus Legatis significabat, quod Cophtos ad Romanæ Ecclesiæ unionem revocare, haud adeo magni moliminis res esset, cum aliunde ingenio admodum facili forent, quibus dictis eorum errores enarrans inquiebat: „In more positum „habent eorum mariti, quod repudiatis „uxoribus suis, vivente prima aliam „ducant, suosque infantes masculos, „priusquam illos Baptismo ablui per„mittunt, circumcidant, atque Baptismo per

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

„per immersionem utantur, omnesque, „quotquot ad recipiendum hoc Sacra„mentum offeruntur, trina vice in a„quam demittant, ad primam immer„sionem dicentes: Ego te Baptizo in „nomine Patris, ad secundam, in no„mine Filii, & ad tertiam in nomine „Spiritus Sancti.„ Insuper, addebat Patriarcha:„ Copthi Confirmationis, „Matrimonii, & extremæ unctionis „Sacramenta non admittunt, eorum „autem loco subrogant fidem, jejunium, „atque orationem, negant quoque Spi„ritus Sancti processionem a Filio, & „nonnisi unicam in Christo naturam, „unam voluntatem, atque operationem „profitentur: penitus vero Chalcedonense „Concilium rejiciunt, suosque Diaco„nos in sexto, aut septimo ætatis suæ „anno inaugurant. De cetero circa „Eucharistiam eandem cum Ecclesia „Catholica fidem tenent, consecratio„nis tamen forma paululum a Romana „differt, Sacramque Synaxin sub utra„que specie masculis distribuunt; cum „autem fœminis Sanctuarium ingredi „nunquam concedatur, extra illud au„tem Christi Sanguinem deferre in nul„lo eventu apud illos liceat, hinc Sa„cerdotes ad fœminas nonnisi hostiam „quibusdam Sacri Sanguinis guttis con„spersam deferunt, panem vero con-

secra-

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

„secratum nunquam asservant, nullique „sacrum Viaticum porrigunt, nisi cele„bretur Missæ Sacrificium, quod pro e„jusmodi eventu etiam a non jejunis „Sacerdotibus quacunque hora peragi „potest. Denique Cophtorum doctrina „circa confessionem ab omni errore im„munis est, licet eorum ritus sint admo„dum singulares.

§. XC.

Cophtorum pertinacia in summo Pontifice non agnoscendo.

Cum ambo Legati jamjam reditum pararent, Patriarcha, quid de summo Pontifice sentiret, clarius mèntem suam exsplicabat, asserens, quod nullam obedientiam ei præstare teneatur, nullaque alia præter urbanitatis officia, quæ inter omnes dignitate æquales deferri solent, a se exigendi jus Pontifici competat, eoquod post Chalcedonense Concilium, ac Patriarcharum distinctionem, quilibet in sua Ecclesia supremum sit caput, quinimo si forte Romanus Pontifex erraret, a ceteris judicandus foret. „Equidem, prosequebatur Patriarcha, ipsus ego Abrahamo, „quoniam illum in Italiam pergendi, „ac Romam proficiscendi desiderium in„cesserat, literas commendatitias dede„ram: si vero ipse plura, quam in hisce „lite-

Sacchini l. 6. n. 124.

„literis continentur, forte protulerit, „ea nonnisi ex proprio suo genio addi- „dit, quæ tamen nullatenus a me pro- „lata haberi cupio.„ Ad hæc subri- dens sic respondit Abrahamus: „in cer- „tis occasionibus veritatem dissimulare, „imo & mentiri licitum est, idque ipse- „met D. Paulus fecerat, dicens, quod om- „nibus omnia factus sit: quinimo ex- „stat quidam liber, in quo scriptum est, „quod idem Apostolus cum Paganis Pa- „ganus fuerit, atque idola adoraverit, „ut Idololatras ab hac superstitione ab- „straheret.„ Ad hasce impietates ex- horruit Rodericus, earumque falsitatem prolixo sermone demonstravit. Postea Nuntii rursus omne adhibebant studium, ut Patriarcham a suis erroribus revo- carent: cum autem ejus pertinaciam nullo pacto frangi posse cernerent, tan- dem inde recesserunt, & quidem Joan- nes Baptista Elianus non sine maxi- ma difficultate Alexandriam attingere poterat, eoquod ejus mater, ceterique Judæi nullatenus tolerare vellent, ut ipse in Christi fide persisteret.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

§. XCI.

Hispanorum Præsulum petitio de ge- stando habitu, vulgo Mozzetta *dicto.*

Pluri-

Sæcul. XVI. A.C. 1501.

Pluribus Hiſpaniæ Epiſcopis jamjam Tridentum venientibus, duo ex illis magnam Legatis Pontificiis moleſtiam inferebant; quidam enim ex illis nomine Petrus Guerrerus Granatenſis Archiepiſcopus, magni quidem, ſed pertinacis conſilii Vir, qui jam ſub Julio II. Synodo interfuit, ſuo, ſuæque Nationis Præſulum nomine facultatem petebat, vi cujus breve quoddam Palliolum vulgo *Mozzetta* dictum deferre poſſent, eoquod in Hiſpaniis ejusmodi veſtem etiam extra ſuas Diæceſes geſtandi mos eſſet: verum hanc facultatem cuipiam Epiſcopo concedere, recens prohibebantur Legati, & quidem ex duplici hac ratione, eoquod Italiæ conſuetudo repugnaret, necnon ceterarum nationum Epiſcopis id in uſu non eſſet, adeoque indecorum fuiſſet diſcrimen, ſi eo ſolum habitu conſpicui cernerentur pauci quidam Hiſpani: inſuper etiam obſtabat, quod in duabus poſtremis Synodi convocationibus, quarum ritus retinendi erant, iidem ipſi Hiſpani ab eo abſtinuiſſent, ac exemplum ab ipſis recenter adductum de Epiſcopis Regularibus, qui ubique locorum palliolum iſtud geſtant, vim non haberet, cum in illis id non prærogativa dignitatis eſſet, ſed teſſera religioſæ familiæ, & hujusce rei cauſſa nun-

Pall. l. 15. n. 5. & 6.

Lit. Borrom. Mont. 6. Decemb.

nunquam utantur Carbasina, quam Vulgus *Rocchettum* appellat. Sæc. XVI. A.C 1561.

Hanc tamen prohibitionem Legati publicam reddere nolebant, spe freti, quod Hispani longe facilius lenitate, ac officiosa comitate in obsequio contineri possent: quapropter duntaxat totius hujus causæ seriem Romam perscribebant.

§. XCII.

Episcopi post varias Curiæ Romanæ oppositiones votis damnati.

Altera die sexta Decembris ad Legatos adveniebat Nuntius, qui Borromæi Cardinalis responsum ad literas hac super reRomam datas tradebat, porro hunc in modum ab eo erat rescriptum: summo Pontifici haud molestum acciderat Epomium passim permittere cunctis Hispaniæ Episcopis, perinde ac si in propriis Diœcesibus suis munia Episcopalia obirent, sed super eo Cardinalium sententias percipere voluit: qui interim illud Hispanis Præsulibus haud interdicebant. *Pallav. n. 6. lit. Borrom. die 14. Decembr.*

Mox igitur Legati Hispaniæ Episcopis hanc responsionem nuntiabant, quæ etiam summa lætitia fuit excepta, quamvis hoc gaudium brevi in novam verteretur sollicitudinem; nam quinto a data prima epistola die, seu undecimo De-

Sæcul. XVI. A. C. 1560.

cembris Cardinales in quodam generali conſeſſu decernebant, ut hæc veſtis omnibus Epiſcopis, nullo excepto, ac nequidem Hiſpanis Præſulibus interdiceretur: ſcripſit itaque Borromæus ad Legatos die decima quarta ejusdem Menſis, eisque hæc ſignificavit: quamquam Pontifex Cardinalibus inſinuaverit proclivem animum, quem gerebat Hiſpaniæ Prælatis gratificandi, ſacri tamen Collegii ſententiæ concordes pro repulſa fuerunt: perpenderunt enim Cardinales, par non eſſe, ut in gratiam paucorum, etſi ſummi meriti Antiſtitum, conſueta reliquorum omnium veſtis variaretur, aut quibusdam paucis alius a reliquis habitus indulgeretur.

Porro cum Legati datis Romam literis rurſus pro Hiſpanis inſtarent, eisdem facultas, quam petebant, concedebatur, hacque ratione tumultus, ac diſſidia, quæ forte ex repulſa oriri potuiſſent, præpediebantur.

§. XCIII.

Primatus Bracarenſis Archiepiſcopi in dubium vocatus.

Pallav. l. 15. c. 13. n. 8. Vie de D. Barthel. des Martyrs l. 2. c. 6.

Alterum, quod Legatos magis adhuc turbabat, erat negotium Bartholomæi de Martyribus Bracarenſis Archiepiſcopi, qui ſibi in Luſitania, totaque Hiſpania Primatis jus ita tribuebat, ut cunctis

ctis præcederet Archiepiscopis, etiamsi illo priores hanc dignitatem fuissent adepti: porro quamvis adversus illum allegarentur exempla aliorum Primatum, ac præcipue Sueciæ, quæ a priscis Gothia appellabatur, necnon Hiberniæ, aliarumque Regionum, quæ in Synodo sub Paulo III. celebrata juxta antiquitatis suæ ordinem inter Episcopos consederant, Bartholomæus tamen propugnabat, quod ex ejusmodi exemplo nihil inferri, minus vero ex paucorum, qui allegantur, obsequendi studio tam nocivum universo Primatum Ordini damnum irrogari possit, cum Primates sint Patriarchis æquales, cunctis vero Archiepiscopis, qui Primates non sunt, superiores: quapropter cum Legati honorem deferre vellent tanto Præsuli, quem ob proprii meriti eminentiam, ac dignitatis suæ prærogativam singulari veneratione dignum existimabant, eapropter hac super re Romam perscripserunt, præcipue autem Cardinalis Moronus ex Legatis unus Pontificis jussu nullum non movebat lapidem, ut Sebastiano Leccavelæ ex eadem S. Dominici familia, natione Græco, Naxi in maris Ægei Insula Archiepiscopo persuaderet, quatenus Bracarensi Archipræsuli cederet, quod ipse lubens præstiterat: non tamen adeo facilem sese præbebat

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Litt. Legat. ad Borrom. 14. Dec.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Granatensis Archiepiscopus, qui nullum alium Primatem in Hispania præter Toletanum esse contendebat; eo enim tempore hæc controversia sub Honorii III. Pontificatu cæpta nondum erat decisa.

Equidem Pontifex ab initio Bracarensis Archiepiscopi causæ favere videbatur, sibi tamen accuratius examen instituendi, ac rei peritorum consilium expetendi jus reservabat, ubi vero suos Consiliarios postea convocavit, rem oppido dubiam esse comperit: quapropter novum examen institui præcepit, quo comperto Cardinalis Borromæus die sexta Decembris Tridentum hæc perscripsit: „res hæc a Pontifice decide„tur in proximo Purpuratorum conses„su, sed non ita validæ amplius viden„tur Lusitani Archiepiscopi rationes, ut „antea visæ fuerant, quoniam nequi„dem in Lusitaniæ Regno Bracarensem „Primatum recipi probatur, ac subinde „oportet iteratas dilationes utriusque „Regis Hispani, ac Lusitani Oratoribus „concedi, quin eorum votis satisfie„ri valeret.

Postea a Romana curia injunctum est Legatis, ut interea rem, quantum possent, retardare, ac contendentium animos conciliare studerent: quapropter nihil a Legatis omissum, ut Bartholomæum

mæum placarent, eique persuaderent, quatenus sepositа omni lite pro more in duabus aliis ejusdem Synodi congregationibus usitato illum occuparet locum, quem ei electionis suæ antiquitas tribueret. Ad hæc respondit Archiepiscopus, quod eorum sententiæ lubens acquiesceret, nisi jamjam ad Lusitaniæ Oratorem literas Romam dedisset, ac proin vel a Papa, vel a Synodo, quamprimum inchoabitur, causse suæ decisionem exspectare cogeretur, interea vero a publicis functionibus haud gravate abstinere vellet. Sæcul. XVI. A. C. 1561.

§. XCIV.

Ejusdem Archiepiscopi epistola in eadem caussa.

Percipiamus jam ea, quæ Bartholomæus de Martyribus hac in caussa perscripserat, ubi in sua epistola totius rei gestæ seriem accurate exposuit: *Vie de Barth. l. 2. c. 6*

„Ad Regem, inquiebat ille, ea omnia „perscribam, quæ pro tuendo Ecclesiæ „meæ Primatu, ad quem per speciale „Regiæ Majestatis suæ mandatum no„minatus fui, hucusque gessi: ce„terum exorta est primo quædam con„tentio, an omnibus Archiepiscopis, qui „Primates non sunt, præcedam, ubi pu„gnabant suæ ultro, citroque rationes: „mihi tamen præcipue objiciebatur,

Sæcul. XVI. A C. 1561.

„quod Primatus mei jura tanquam cer-
„ta non agnoſcantur, cum ſummi Pon-
„tifices litem inter Bracarenſem, & To-
„letanum Archiepiſcopos hac de re mo-
„tam hucusque nulla ſententia decide-
„rint: cum ergo tota res ad ſummi
„Pontificis tribunal devolveretur, Sancti-
„tas ſua per quemdam Cardinalem illi
„Archiepiſcopo, qui ex omnibus Triden-
„ti præſentibus antiquior eſt, ac unice
„mecum de ſedis prærogativa conten-
„dere potuit, præcepit, ut mihi locum
„cederet, atque in hoc negotio Lauren-
„tius Lopeſius Tabara Regius apud ſum-
„mum Pontificem Orator potens præ-
„ſtitit auxilium: quocirca omnibus Ar-
„chiepiſcopis priorem obtineo locum, at-
„que ea prærogativa gaudeo in omni-
„bus conſeſſibus, quos in Eccleſiis cele-
„bramus, atque ideo hodierna etiam
„die, qua ſolemne ſacrum pro defun-
„ctis habetur, ſolus Patriarcha Jeroſo-
„lymitanus me præcedit.„

§. XCV.

Pontificis diploma circa hanc controverſiam.

Collect. Conc. Labb. to. 14. pag. 839.

Cum Legati hanc litem componendi difficultatem probe cognoſcerent, hujus negotii deciſionem, ut ſupra meminimus, Pontificis judicio relinquebant; hic vero die trigeſima prima Decembris

cembris hanc in rem diploma edidit his verbis conceptum: *Ad tollendam omnem controversiam materiarum, quæ inter Prælatos, ad celebrationem sacri Oecumenici, & Generalis Concilii, in civitate Tridentina pro tempore congregatos, super eorum præcedentia forte jam sunt exortæ, & indies oriri possunt, volumus, ac vobis per præsentes mandamus, ut omnes, & singulos Prælatos prædictos, videlicet venerabiles fratres, Patriarchas primo, secundo Archiepiscopos, tertio autem loco Episcopos, in quibusvis actibus publicis, secundum gradum, & ordinem suarum ad eorum Ecclesias promotionum, ita ut, qui primus promotus ad eas fuerit, in suo quisque Ordine prior existat, incedere, sedere, ac locum habere, nulla habita ratione ad ipsorum dignitates primatiales, sive veræ, sive prætensæ illæ fuerint, auctoritate nostra faciatis.* Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Hoc diplomate in Episcoporum consessu perlecto Bartholomæus de Martyribus, cum Papæ decisionem Primatialibus Ecclesiis damno futuram censeret, & aliunde in omni occasione cum libertate vere Episcopali, atque Apostolica agere assuetus esset, illius explicationem omnino petendam judicavit, hancque ob rem Legatos his verbis alloquebatur: „Omnino cavendum, ne „tam sancta Synodus a violatis prima-

Sæcul. XVI. A.C.1561.

„rum totius orbis Ecclesiarum juribus „inchoetur, quapropter vos omnes oro, „atque obtestor, ut nunc, cujus mentis „Pontifex in suo diplomate fuerit, ex„splicare velitis: mihi enim firmiter „persuasum habeo, quod tam laudandum „Pontificis studium, quo ad sacræ Sy„nodi convocationem fertur, pariter i„psum inducat, ut legitimam cujusli„bet Episcopi dignitatem, illiusque con„servationem æque, ac proprii sui ho„noris integritatem cordi habere fata„gat: porro id eo certius spero, quo sir„mius perspectum mihi est, quod sum„mus Pontifex eandem foveat animi „sententiam, qua inclaruit Gregorius „Magnus Papa, qui solitus erat dicere, quod ipsius gloria non sit alia, quam „gloria universalis Ecclesiæ, ipsiusque „honor consistat in conservandis hono„ribus, ac dignitatibus cuilibet Episco„po debitis.„

§. XCVI.

Hujus diplomatis dilucidatio ab Archiepiscopo petita.

Vie de Barth.l.2.c.6

His addebat Archiepiscopus; „si dun„taxat de me, aut privato meo „commodo ageretur, omnibus cedere „paratus essem: cum vero de Ecclesiæ „mihi commissæ prærogativa quæstio „movetur, ex Dei, ac sacrorum Cano„num

„num præscripto, necnon Sanctorum „exemplis, quæ in ejusmodi eventibus „exstant, illud jus, cujus depositum mi„hi creditum est, conservare, illudque „ad Episcopos meos Successores devol„vere teneor, prout etiam mei Præde„cessores illud in me transmiserunt.„ Denique suas rationes tanta animi constantia, simulque tam rara moderatione, ac circumspectione proferebat, ut Legati verborum pondere, atque auctoritate commoti hæc responderent: *Cum dubitari possit, an ex prædicto decreto Sanctissimi Domini nostri aliquod præjudicium generetur Primatibus supradictis in proprietate, seu possessione suarum primatiarum, sive verarum, sive prætensarum: nos Hercules tituli Sanctæ Mariæ Novæ de Mantua, Hieronymus tituli Sanctæ Susannæ Seripandus, Stanislaus tituli Sancti Laurentii in Palisperna, Varmiensis, ac Ludovicus tituli Sancti Cyriaci in Thermis, Simonetta nuncupatus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinales, Sacri Oecumenici Concilii Tridentini Præsidentes, & Apostolici de latere Legati, declaramus, quod mens Sanctissimi Domini nostri, & nostra sit, quod per hoc Decretum nulli jus de novo acquiratur, nullique præjudicium generetur, nulliusque jus in proprietate, possessione lædatur, atque demum in omnibus, & per omnia unusquis-*

Sæcul. XVI. A.C.1561.

Sæcul.XVI. A.C.1561.

quisque Primas, verus, vel prætensus, in eodem statu post hoc Concilium remaneat, in quo antea permanebat.

His addebant Legati, quod eandem declarationem scripto tradere velint. Archiepiscopus hoc responso contentus hæc asseruit: „cum salvum sit Eccle„siæ meæ jus, haud dissimulare possum „ardens meum desiderium, quo unice „exopto cuncta, quæ ad pacem in Sy„nodo conservandam conducent, pro „viribus meis conferre, ac proin sedulo „curare volo, ut omnes altercandi, aut „dissidia inter Episcopos fors movendi „occasiones præverterentur.„ Hac itaque ratione totum hoc negotium feliciter compositum est.

§. XCVII.

Sextus Legatus reliquis quinque jam nominatis a Papa adjunctus.

Pall. c. 13. n. 10.

Ceterum Papa ad Legatos præfatum diploma recta dirigebat, atque in eo sigillatim omnes nominabantur Legati, ne quidem excepto Cardinale Puteo, qui tamen tunc absens erat, ac propter adversam valetudinem vix ullam spem reliquam fecerat, fore, ut Synodo interesse posset, quocirca summus Pontifex sextum Legatum Marcum Siricium Altempsium Nepotem suum, ac Constantiensem Episcopum nominabat, spe fretus,

tus, quod quamvis ea, quæ ad obeundam sublimem hanc dignitatem necessaria foret, peritiæ, ac doctrinæ eminentia in Altempsio deesset, nihilominus generis sui nobilitas ad sibi conciliandos Germanorum animos haud parum conferre posset; quippe ex illustrissima Imperii familia ortum trahebat. Sæcul. XVI. A.C.1561.

Posthæc circa finem Novembris summus Pontifex tria decreta in publico Patrum Senatu promulgabat, & quidem primo sanciebat, ut tunc, si durante Synodo sedes vacaret, novi Pontificis electio ad Collegium, non ad Concilium pertineret, prout pariter in præcedentibus Patrum congressibus statutum fuerat. Altero declaratum fuit, quod non liceat Pontifici successorem, adjutoremve cum futura successione sibi deligere, etiamsi Cardinales omnes assentirentur. Tertio prohibitum fuit, ne jus suffragii haberent in Concilio alii, nisi Episcopi, qui illic aderant, prout jam a Paulo III. sancitum fuerat.

§. XCVIII.

Duo Poloniæ Episcopi Tridentum venientes.

Mense Decembri duo e Polonia Præsules venere Tridentum, qui cum Lega-

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

Legatos salutassent, & Cleri sui obsequium, ac submissionem Sedi Apostolicæ debitam testati essent, exponebant, quibus artibus Lutherani doctrinam suam in Poloniam inducere attentarint, & quænam fundamenta hactenus jecerint, necnon quam attenti ad prævertendas eorum machinationes ipsorum Episcopi excubent, qui quidem omnes flagrarent desiderio sistendi se Concilio, & præsentia sua promovendi causam omnium communem, sed ob hæreticorum molimina a suis Ecclesiæ abesse haud possent, cum ad veræ doctrinæ hostes, eorumque conatus continuo invigilare cogantur: de cetero autem inquiebant ab illis promitti, quod suos Procuratores, qui eorum loco sententiam proferrent, mittere velint, cum autem hi duo Episcopi ipsimet ejusmodi essent Procuratores, seu ipsis ceterorum omnium nomine agendi facultas data fuisset, hinc petebant, ut liceret ipsis per Procuratores auctoritate munitos Synodo intervenire, & una cum Prælatis, qui sunt præsentes, ferre suffragia: insuper volebant, ut singulis, qui ab Episcopis legitima de caussa impeditis mandata perferrent, jus suffragii non denegetur. Ad hæc a Legatis responsum est, quod matura deliberatione opus esset, priusquam de ea re statueretur:

tur: idcirco mox, quid peteretur, nuntiarunt Pontifici, qui confeſtim Purpuratorum Senatum convocavit, ubi tamen hæc propoſitio fuit rejecta, eoquod jam in prima Tridentinæ Synodi convocatione ſub Paulo III. ſtatutum fuiſſet, ne decreta fierent per Nationum, ſed ſingulorum Præſulum ſuffragia, nihilominus ſummus Pontifex Legatis injungebat, ut Polonos omni verborum benignitate complecterentur, eis tamen hæc exponerent: „Concilium illud cum „eo, quod a Paulo III. cœptum eſt, idem, „ejusque continuatio, proin cum eadem „agendi forma, & ordine ibi inchoa„retur, ac utiliter uſurparetur, idcirco „poſtmodum etiam quoad omnia pro„ſequendum eſt: jam vero inter alia id „receptum fuit, quod abſentium ſuffragia „non computentur, nulloque loco ha„beantur, hinc nec id in ipſorum gratiam „infringi poteſt, niſi cum magna re„rum perturbatione id ipſum aliis na„tionibus permittatur: ſi quid autem „Poloni poſtulant, quod ipſorum proprie „intereſt, neque in aliis Regnis turbarum, „motuumque occaſiones excitat, id lu„bentiſſime eis indulgebitur propter nobiliſſimæ illius nationis merita.„ Ex hac reſponſione creditum eſt, quod Polonis ſatisfieret: ii tamen poſt paucos dies quæſito negotii ibidem peragendi ob-

Sæc. XVI. A C. 1561.

Sæc. XVI. A. C. 1561.

obtentu Venetias profecti sunt, Tridentum amplius non revertentes (*).

§. XCIX.

Ferrarienſis Cardinalis innocentia datis ad Papam literis vindicata.

Pall. c. 14. n. 7. & 8.

Interea Romæ adverſus Cardinalem Ferrarienſem, qui in Galliis legatione fungebatur, querelæ movebantur, nam cum Navarræ Regina cujusdam Miniſtelli modeſtiam, ac moderationem plurimum exaggeraret, ac Ferrarienſem Cardinalem ad excipiendam hujus Præconis concionem induceret, ea res Romæ in ſiniſtram partem vertebatur, atque hoc obſequendi ſtudium Legato in crimen dabatur: ut vero Cardinalis ſuam agendi rationem vindicaret, literas ad Papam dedit, easque per Niquetum Abbatem deferendas curavit: inſuper Sanctacrucium, qui in Franciæ aula Papæ Legatus erat, rogabat, ut ipſe deſuper ad Pontificem ſcriberet: annuit Sanctacrucius, nuntiavitque Pontifici, narratum ſibi fuiſſe a præcipuis Aulæ Miniſtris, quod nihil magis profuiſſet ad leniendum, inclinandumque animum

(*) Intererat tamen ſub Pio IV. Tridentinæ Synodo duo alii Poloniæ Epiſcopi Valentinus Herbutus Præmiſilenſis, & Stanislaus Faleſchi Theodoſienſis.

animum Joannæ Navarræ Reginæ ad partem Catholicam, quam exhibita humanitas in ea inviſenda, ejusque concionatore auſcultando: verum Pontifex, qui ad eam uſque diem legatum ſuum in Patrum Senatu ſæpius defenderat, nunc tamen palam Niqueto Abbati declarabat, quod poſtremum facinus ſibi ſummopere diſpliceat, eoquod negotia Religionis non ea norma ſint tractanda, qua res politicæ, præcipue cum Francia, prout ipſemet Cardinalis ſatis aperte conſpexerat, adeo præceps in fidei exitium ruat, ut jam de ea deſperatum ſit, niſi proxima ruina per extremam ſeveritatem præpediatur. Sæcul. XVI. A.C. 1561.

§. C.

Ferrarienſis epiſtola hac de re ad Cardinalem Borromæum.

Poſtquam Cardinalis Legatus per ſuum Procuratorem de Pontificis reſponſo certior fuerat factus, prolixa admodum epiſtola ad Cardinalem Borromæum data ſuam agendi rationem vindicare nitebatur, exponens, quod Francia tantis premeretur malis, & illis nulla alia remedia, quam quæ ipſe adhibuiſſet, opponi potuerint: his dictis in ſua epiſtola ſubjunxit. „Equidem Franciæ Epi„ſcopi nondum ad Synodum profecti „ſunt, ſed hæc cunctatio nec Reginæ regnanti, *Pall. n. 12.*

Sæcul. XVI A.C.1561.

„regnanti, nec Navarræ Regi imputari „poteſt, ſed potius cuncta obſtacula pro„veniunt a Regis Senatu, qui ſeſe ho„rum diſceſſui opponit, cum ex Viris „ſuæ jurisdictionis tenaciſſimis conſtet, „aliunde vero eorum potiſſimi novis „ſpuriæ reformationis erroribus imbuti „ſint, nihilominus ſpe fretus vivo, fore, „ut Galli Sedis Apoſtolicæ auctorita„tem revereri cogantur; licet enim ma„lum ſane graviſſimum premat, non „tamen res Religionis in Francia adeo „collapſæ ſunt, ut de ejus ſalute deſpe„randum eſſet: ut tamen ab hoc regno „extremum avertatur exitium, lenita„tem potius adhibendam cenſeo, Hi„ſpanosque præpediendos, ne ſe rebus „Franciam concernentibus ingerant, „quoniam ipſi potius ad illius ruinam „intenti ſunt: de cetero Roma redu„cem expecto Abbatem Niquetum, ut „de ſummi Pontificis mente certior fa„ctus, conſilia per eum data exactius „amplecti valeam: ſi vero alium Lega„tum rebus gerendis me magis ido„neum decernere, Sanctitati ſuæ placue„rit, lubens ei locum cedo, dummodo „Sacræ Sedis commodo, ac gloriæ con„ſultum ſit: ſpero tamen, per ipſos re„rum eventus innocentiam meam vin„dicatum, atque abundanter, quidquid „apud

„apud ſummum Pontificem benevolen- Sæcul XVI.
„tiæ, ac gratiæ amiſi, repenſum iri.„ A.C.1561.

§. CI.

Conſilium de maturanda Synodo Cardinalibus a Papa propoſitum.

Porro ſummus Pontifex in proximo, quem tranſmiſſis hiſce literis celebrabat, Patrum Senatu Cardinalibus hæc propoſuit: „ Tam Sacræ Sedis, „quam veſtræ dignitatis honori adver„ſatur, quod alii pro veſtra emendatio„ne regulas præſcribant, atque in præ„ſenti rerum viciſſitudine, ubi unaomnes „reformationem depoſcunt, petitionem „adeo æquam rejicere haud conſultum „eſt: attamen, ut eorum votis ſatisfiat, „medium maxime opportunum cenſeo, „ſi propria cujuslibet reformatio calu„mniantium querelas præveniat: inde „enim non modo proſperum in moder„no rerum ſtatu ſucceſſum ſperare licet, „ſed etiam vos veſtro exemplo aliis præ„lucentes honorem veſtrum augere po„teritis: præprimis vero ſacræ Pœni„tentiariæ, ac Datariæ tribunalia, quibus „nobiliores Aulæ noſtræ Prælati præ„ſunt, emendanda judico, & poſtea ani„mum meum ad alia ejusmodi nego„tia adjiciam: „ Hanc in rem Pontifex quosdam Cardinales, qui reformationi inſudarent, nominabat, & ſimul expo-

Sæcul. XVI A.C. 1561.

nebat rationes, quæ Synodi inchoationem haud amplius differendam suaderent, eoquod, inquiebat ipse, „ultramontani, quo magis deprimendæ auctoritati Sedis Apostolicæ intenti probantur, „eo amplius etiam hæc consilia excoquendi, ac malum inferendi spatium „nanciscantur: unde timendum quoque „foret, ne & ceteras etiam Nationes „suis involvant erroribus: ex quibus omnibus aperte constat, quod Sacræ „Sedis incolumitas a prompta Synodi „celebratione dependeat.„

§. CII.

Legatorum consultatio de argumentis in Concilio proponendis.

Pallav. l. 15. c. 15. l. c.

Aderant Tridenti eo tempore quatuor duntaxat Legati, cum Altempsius nondum adventasset, & Puteus ob adversam valetudinem absens esset: porro illi ad Synodum necessaria parantes præprimis de materiis ibidem proponendis, necnon de ordine servando deliberabant, hancque in rem duo capita Borromæo Cardinali efficacius commendabant, quorum primum erat, ut religiosum servetur silentium, ne decretis intempestive divulgatis calumniandi ansa præberetur: II. suadebant, ut Pontifex, si quempiam articulum Cardinalibus ad deliberandum desuper fors

Romæ

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Romæ sit propositurus, eundem tanquam suam decisionem proferret, non autem illum a Legatis profectum indicaret, ut hac ratione Legati a sacri Collegii querela, vel æmulatione immunes fierent, nec illis imputaretur, perinde acsi Purpuratos edocere auderent. Ceterum Pius IV. in sua epistola, quam sociis suis tradendam Simonettæ Legato dederat, confirmabat mandatum, vi cujus præsens Concilium tanquam prioris continuatio respiceretur, ac decreta jam antea facta duntaxat pro confirmatis haberentur, de qua re jam dudum Pius Philippum Hispaniæ Regem certiorem fecerat: cum vero inde, ne hæretici tam Germani, quam Galli hac propositione offensi a Synodi accessu retraherentur, timendum veniret, atque aliunde Legatorum animus non is esset, ut palam proponerent continuationem eorum fidei capitum, quæ a priori Concilio examinanda supererant; id enim manifestum fuisset argumentum, quod hæc decreta omnino intacta relinqui vellent, hinc præprimis putabant, quod librorum prohibitorum index prosequendus esset, hancque in rem proferendæ forent Papæ literæ, quibus hunc laborem Pontificia auctoritate aggredi monebantur.

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Verum Legati paulo post ab hoc consilio resiliere, utpote animadvertentes, quod hosce libros hæreticos proscribere haud possent, quin simul illorum Authores damnarent: hac autem agendi ratione Protestantes a Synodi accessu absterrerentur, cum tamen, ut Tridentum venirent, nil intentatum relinqueretur: eapropter Legati datis ad Papam literis argumentorum selectum Synodi Patribus relinqui petebant, certum siquidem erat, quod hi capitum jam decisorum continuationem selecturi essent, hocque pacto id, quod intendebant, consequerentur, simulque omnem contra Papam, cum id jussisse haud crederetur, querendi ansam hæreticis præriperent, ac luculentum libertatis in Synodo solemniter concessæ specimen ederent: priusquam vero ad hasce literas responsum acciperent, Cardinalis Borromæus eis significabat, quod summus Pontifex Synodi initium ad quosdam dies differre, in eorum arbitrio relinqueret, quamvis illam in die tribus sanctis Regibus sacro inchoare jussi essent, concepta spe, quod intra breve temporis spatium Cæsaris Oratores adventuri essent.

Pallav. lit. Legat. ad Borrom. 14 Decembr. 1561.

§. CIII.

Legatorum monita Episcopis data.

Enim-

Enimvero Imperatoris Legati ad Oratorem Romæ agentem perſcribebant, quod jamjam iter aggreſſi media Januarii parte nondum evoluta Tridentum venire vellent: accepto hoc nuntio ſummus Pontifex Synodi initium absque ulteriori dilatione decernere ſtatuit, ac Marchionem Piſcarium, qui Philippi II. Legatus ad Concilium nominabatur, impenſe ſollicitabat, ut maturato itinere Concilii initio intereſſet, nec minus Papa Venetos rogabat, ut & ipſi ſuos quoque Oratores eo ablegarent, ſicque hæc ſolemnitas cum majori pompa, ac Majeſtate celebrari poſſet: poſtquam igitur Legati cuncta ad Synodum præſtituta die inchoandam neceſſaria paraſſent, haud abs re fore cenſebant, ut Epiſcopis, ex quibus Concilium conſtabat, prius quædam darent monita, quorum præcipua erant hæc. I. Concilii Tridentini decreta cuſtodiantur de modeſtia, & pietate in cunctis actionibus exhibenda. II. In templa convenientes ſilentium ſervent, adeo, ut Ceremoniarium Magiſtri ea, quæ ſui eſſent muneris, absque ſtrepitu peragant, & quoad fieri poſſet, per nutus potius, quam per verba: III. Præſules a nimia epularum lautitia abſtineant, & ſobria, parcaque menſa utantur, eamque condiant ſacræ Scriptu-

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Pallav. c. 15. n. 3.

Sæc. XVI. A.C. 1561.

ræ lectionibus instar Agaparum, ab antiquis Synodis permissarum, recolentes memoria, a Redemptore in fine Cœnæ institutam Eucharistiam fuisse, ut ostenderet, christianorum cœnas ita temperatas habendas esse, ut ipsi postea ad celebranda Sacramenta idonei reperiantur.

§. CIV.

Hispanorum contentio de Synodi continuatione.

Pallav. c. 15. §. 4.

Cum pro urgendo Concilii initio omnium studia ferverent, Granatensis Archiepiscopus quoddam suscitabat dubium, quod præprimis dissolvendum credebatur; hic enim Simonettæ Cardinali significabat, quod inaudiisset, quod velint Præsides in prima Congregatione generali ambiguis, atque æquivocis uti vocibus, ut discerni nequeat, an nova hæc Synodus esset, vel utrum prioris Tridenti habitæ continuatio: his præmissis declarabat, id in caussa fuisse, ut Episcopi ab Hispania tardius discessissent, atque in Regis consilio quamplures eorum discessui sese oppositissent, quamvis Papa per literas Regi datas declarasset, quod velit hanc Synodum nuperi Concilii continuationem esse, cui quoque sententiæ in Regis Senatu mox ceteri adhæserint, cum sanctitatis suæ pro-

promiſſa nullo pacto violanda ſcirent: proin ſi præprimis hic articulus clare, ac dilucide non exſplicetur, nec ipſe, nec alii Nationis ſuæ Epiſcopi, quieto animo perſiſterent. Verum ad hæc reſpondit Legatus: „ſemper conſtans eſt „Pontificis voluntas: diploma vero eam „loquendi rationem uſurpaverat, ne „Proteſtantes alienarentur, ſimulque „Cæſari ſatisfieret, prout Rex Catholi„cus ejus Nepos deſideraverat, hinc „Hiſpani permittebant, ut in diplomate „nulla fiat mutatio primo bimeſtri, vel „ſaltem uſque ad primæ ſeſſionis finem, „cum timendum eſſet, ne exinde Con„cilii auctoritas labefactetur, ejusque „honor imminuatur.„ Sæcul. XVI. A.C. 1561.

Videbatur Granatenſis Archipræſul huic reſponſo acquieſcere, nec amplius rem urgere: attamen paucis poſt diebus, præſente Madrutio Cardinale omnes quatuor Legatos adiit, & ſuam petitionem inſtauravit, illamque poſtea vehementius ſeorſim Simonettæ, & Seripando Cardinalibus inculcavit, hæc exponens: „quæ ad Deum & Religio„nem ſpectant, claris, non autem ambi„guis verbis ſunt exponenda; mihi e„nim, cum adhuc in Hiſpaniis agerem, „meosque Fratres ad Tridentinæ Syno„di acceſſum hortarer, horum plures „hæc objectabant verba: *Quid ſi Triden-*

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

„*ti comperies, continuationem præteritæ* „*Synodi non intendi, visne eo pergere,* „*confestim inde reversurus:* insuper ipsa „Cæsaris oppositio auget apertæ decla- „rationis necessitatem; cum enim Hi- „spani suspicionem conceperint, eorum „opinionem dissipare, ac sedare necesse „est, hinc oportet claras adhibere vo- „ces, quibus sincera mens patefiat, nam „secus innumeris altercationibus janua „aperitur.„ Ad hæc respondebant Legati, quod ea declaratio in favorem Cæsaris, cujus precibus deferre oportet, fuerit omissa, hacque agendi ratione facilius hæreticos conciliari posse speretur, atque ex Pontificis benevolentia concessum, ut per aliquot dies hæc declaratio differretur, cum Papa omnem querendi ansam præripere vellet Gallis, brevi adventuris, cum hi articulum tanti momenti ipsis non auditis decisum fuisse abs dubio quererentur: si vero Granatensis Archiepiscopus suæ Nationis Episcoporum nomine litem intentare velit, demandatæ sibi hujus facultatis literas exhibeat: si vero proprio nomine altercatur, Synodi responsum expectet, nec sibi tam facile persuadeat, omnes Hispaniæ Episcopos in ipsius sententiam ituros. Ceterum hæc eadem causa rursus agitabatur in prima Congregatione generali, brevi tamen

men memorabimus, quod Hiſpani Præſules a ſua petitione reſilierint, ne Cæſaris indignationem incurrerent, nec Franciæ Regem, & Germanos offenderent, ſimulque Proteſtantibus omnem calumniandi anſam ſubmoverent: hanc tamen adjiciebant conditionem, ut nullum proferatur verbum, quo nova Synodus ſignificaretur, aut quicquam continuationi petitæ contrarium exprimeretur. Hæc omnia geſta fuere ad Menſis Januarii initium paucis ante primam congregationem diebus, nam ea die decimo octavo ejusdem Menſis ante inchoationem Synodi habebatur. Sæcul. XVI. A.C. 1561.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ
LIBER CLVIII.

PIUS IV. PONTIF. MAXIMUS, FERD. I. OCC. IMP.

§. I.

Congregatio ante Tridentinæ Synodi initium habita.

Sæcul. XVI. A. C. 1562.

Cum pro continuando Tridenti Concilio cuncta essent dispositа, die decima quinta Januarii hoc anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo secundo Legati generalem habebant Patrum conventum in quo Præsidum munere fungebantur, nonnisi quatuor, Hercules Mantuanus, Hieronymus Seripandus, Stanislaus Osius, & Ludovicus Simonetta; nondum enim advenerat Marcus Siricius Altempsius Papæ Nepos: hi itaque præter plures, quam centum Episcopos in primi Legati ædibus congregati hoc ordine considebant: primas sedes occupabant Legati, illisque proximus erat Madrutius Cardinalis, ex utroque autem latere infe-

Pall. hist. Conc. Trid. l. 15. c. 15. n. 9. & seq.

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

inferiores ſedes tenebant Oratores, circa quos collocabantur ſcamna pro Præſulibus, inter quos primi ſedebant Patriarchæ, & poſt hos Archiepiſcopi, ac demum Epiſcopi juxta electionis ſuæ antiquitatem: Denique ſequebantur Abbates, ac ſupremi Sacrorum Ordinum Præfecti, quos inter Jacobus Laineſius Jeſuitarum Generalis infimum tenebat locum, eoquod lis oriretur, an inter Regulares, vel inter ceteros colloçandus eſſet.

§. II.

Argumenta in hoc conventu agitata.

Cunctis conſidentibus Cardinalis Mantuanus primus Papæ Legatus invocato Sancti Spiritus auxilio ſermonem exorſus Papam laudibus celebrabat, cauſſas exponens, ob quas Synodum convocaſſet, ejusque inchoationem aliquamdiu diſtuliſſet: poſtea autem Patres hortabatur, ut divinam opem implorarent precibus, jejuniis, eleemoſynis, ac frequenti Sacrorum Myſteriorum celebratione. Abſoluta hac Oratione a Maſſarelo, qui Synodo a ſecretis erat, recitari juſſit Legationis ſuæ diploma anno priori die decima Martii datum præter tres alias Papæ literas, quarum prima die quinta ejusdem Menſis ſcripta Pontifex Legatis pote-

Sæcul XVI. A. C. 1562.

potestatem concesserat, ut hæreticorum libros, quamdiu Synodus duraret, legendi facultatem cunctis Synodi Patribus impertiri possent: Altero diplomate die vigesima tertia Martii dato eos, qui hæresim clam abjurarent, absolvendi potestas iisdem legatis dabatur: Tertio denique, quod ultima Decembris die editum fuit, quo ordine Præsules sederent, declarabatur.

§. III.

Hispanorum petitio circa Synodi continuationem a Legato concessa.

Fallav. c 15. num. 8. Mem. pour le Concil. de Trente p. 152.

Cum Hispaniæ Episcopi instare pergerent, ut novam Synodum nullatenus celebrari, sed duntaxat Tridentinam continuari in decreto exponeretur, hinc primus Legatus, ut hi ab importuna hac petitione desisterent, eisdem pollicebatur, nullam vocem, quæ novum Concilium indicaret, adhibendam, nullumque præjudicium inferendum esse Regis Franciæ petitioni, ne Cæsar offenderetur, simulque omnis querendi ansa Protestantibus præriperetur; itaque inter eos conventum, quod duntaxat apponenda sint hæc verba: *Celebratio Concilii omni quacunque suspensione sublata.* Sedato hoc motu primus Legatus monebat, omnino decentiæ legibus requiri, ut singulis diebus festis

Sacrum

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

Sacrum ſolemne celebraretur, eique cuncti Præſules una congregati intereſſent, coram quibus æque, ac coram Pontifice latinus ſermo haberetur: cum vero contingere poſſet, ut ad ejusmodi ſermones deſtinati ea, quæ tempori, loco, ſuisque Auditoribus magis congrua forent, ignorare poſſent, hinc idem propoſuit, quemdam nominandum eſſe Prælatum, qui, ut alias Magiſter S. Palatii aſſolet, cuncta publice proponenda recognoſcat, atque emendet: porro hujus muneris cura demandata fuerat Ægidio Foſcarario Ordinis S. Dominici Religioſo, ac Mutinenſi Epiſcopo, qui Inquiſitionis juſſu olim in Moroni Cardinalis cauſſa cuſtodiæ dabatur. Denique idem Legatus pro Synodi initio diem decimam octavam Januarii præfigebat.

§. IV.

Seſſio Tridentinæ Synodi decima Septima, ac prima ſub Pio IV.

Præſtituta inchoandæ Synodi dies erat Dominica dicata Cathedræ Divi Petri Romæ: Seſſio autem, quæ eadem die habebatur, numero decima ſeptima erat a primo Concilii initio ſub Paulo III. itaque omnes Prælati, quorum centum duodecim recenſebantur, unacum omnibus, quibus Synodum accedendi jus competebat, in Eccleſia Divi Petri convene-

Labbe Collect. Conc. tom. 14. p. 840. & 1249.

Pallav. c. 15. n. 13. & c. 16. n. 4.

Sæcul XVI A.C.1562.

venerant, inde vero ſupplicum more ad Cathedrale proceſſerant Templum, ubi ſingulis ſuas ſedes occupantibus Mantuanus Cardinalis Sacrum de Spiritu ſancto decantabat, & Caſparus Foſſus ex ordine Fratrum Minimorum Rhegini in Calabria Archiepiſcopus ſermonem habuit, atque in ſuæ orationis argumentum ſelegit Eccleſiæ auctoritatem, atque Apoſtolos imitandi neceſſitatem, qui etiam hortabatur Patres, ut ſua, qua pollerent, prudentia, & doctrina errores eradicarent, veritates Catholicas ſtabilirent, pacemque Eccleſiæ rederent, cum in ejusmodi Conciliorum celebratione ipſemet Spiritus Sanctus hoſce fines ſibi proponeret: poſtea demonſtratum ibat, quod Petra, ſuper quam Chriſtus Dominus ſuam Eccleſiam fundaverat, ſit ipſemet Divus Petrus, ejusque Succeſſores, ſolaque Eccleſia Romana nunquam a vera fide deviaverit, cum tamen reliquæ omnes etiam ab Apoſtolis fundatæ, atque adminiſtratæ erraverint; quippe inquiebat ipſe, Eccleſia Jeroſolymitana a Sancto Jacobo, Aſiana a Sancto Joanne, Achaiæ Eccleſia a Sancto Andrea, Indiana a Sancto Thoma, Æthiopienſis a S. Matthæo, Perſiana a Sancto Juda, Phrygia a Divo Philippo adminiſtrata, ac omnes hæ, aliæque Eccleſiæ a ſide

ſenſim

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

senſim defecerunt, ſola autem Eccleſia Romana, adverſus quam portæ inferi nunquam prævalebunt, ſemper ſancta, & immaculata permanſit. Denique ad orationis ſuæ finem Synodi Patres hortabatur, ut cœpta adverſus Proteſtantes ſtrenue proſequerentur. Porro hic ſermo mox typis vulgabatur. (*)

§. V.

Decretum pro continuando, atque inchoando Concilio.

Abſoluto hoc ſermone Mantuanus Cardinalis, qui rem Divinam peregerat, Hymnum de Spiritu Sancto intonabat, quo finito, cunctisque conſidentibus Angelus Maſſarelus Thelaſinus in Apprutio Epiſcopus, ac Synodi Secretarius prælegit diploma de Synodo convocanda die vigeſima nona Novembris Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo editum, quod jam ſupra retulimus, eoque recitato Rheginus Archiepiſcopus decretum de continuanda Synodo prælegit his verbis conceptum: *Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini, Reverendique Patres: placetne vobis ad laudem, & gloriam Sanctæ individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*

Vid. Lib. CLIV. §. 126.

(*) Pallavicinus duntaxat Præſulum centum ſex numerat præter Mantuæ Ducem.

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

Sancti, ad incrementum, & exaltationem fidei, & Religionis Christianæ, sacrum, Oecumenicum, & generale Concilium Tridentinum, in Spiritu Sancto legitime congregatum, ab hodierno die, qui est decimus octavus mensis Januarii, anni a Nativitate Domini millesimi quingentesimi sexagesimi secundi, Cathedræ Romanæ beati Petri Apostolorum Principis consecrato, sublata quacunque suspensione, juxta formam, & tenorem literarum Sanctissimi Domini nostri Pii quarti Pontificis Maximi celebrari, & in eo ea debito servato ordine tractari, quæ proponentibus Legatis, ac Præsidentibus ad horum temporum levandas calamitates, sedandas de Religione controversias, coercendas linguas dolosas, depravatorum morum abusus corrigendos, Ecclesiæ veram, atque Christianam pacem conciliandam, apta, & idonea ipsi Sanctæ Synodo videbuntur.

Hoc finito, Patres unaomnes respondebant, *Placet.*

§. VI.

Hispanorum Præsulum oppositio contra hæc decreti verba: Proponentibus Legatis.

Huic decreto quatuor obluctabantur Hispaniæ Præsules, iique erant Petrus Guerrerus Granatensis Archiepiscopus, Franciscus Blanco Aurienſis Epi-

Episcopus, Andreas de Cuesta Episcopus Legionensis, & Antonius Gorromerus Præsul Almerienſis, qui omnes contra illa verba, *proponentibus Legatis*, quæ in præfato Decreto a Legatis fuere appoſita, acriter obſtrepebant, contendentes, quod hæc clauſula, utpote nova, admitti non valeat, aliunde vero in Synodi Oecumenicæ ignominiam cedat: verum ſpreta eorum cavillatione hæc verba retinebantur, & poſtmodum alterum legebatur decretum, quo Seſſio ſequens ad vigeſimam ſextam Martii diem indicebatur: denique recitatum fuit tertium diploma de ordine, ac loco, quem Primates in hac Synodo tenerent. Sæcul. XVI. A.C.1562.

§. VII.

Conventus in oppido S. Germani in Laja ob Calvini hæreſin celebratus.

Cum interea Tridenti pro eliminanda hæreſi nil intentatum relinqueretur, in Francia Calvini Sectatores indies magis, magisque ſuam hæreſin propagabant, eorumque numerus a Poſſiacenſis colloquii tempore adeo excreverat, ut palam ſuam rabiem exerere haud erubeſcerent, atque audacter liberam, nullaque conditione reſtrictam ſua conciliabula agendi facultatem ſibi *Thuan. l. 29. num. 3.*

Sæcul. XV. A. C. 1562.

concedi peterent, quamvis jam antea per nimiam indulgentiam ſigillatim illis nuntiatum fuiſſet, quod nulla eis moleſtia ſit inferenda, dummodo in privatorum ædibus illorum haud plures quam viginti duo convenirent, ſuosque ibi cœtus agerent: cum igitur timendum eſſet, ne creſcente temeritate novam concitarent ſeditionem, niſi petulanti eorum petitioni cederetur, hinc Regina Mater inſtigante Hoſpitalio Cancellario Principibus, Ducibus, & Franciæ Paribus, ac Mareſcallis, ceterisque Regni Miniſtris injungebat, ut die ſexta Januarii ad S. Germani oppidum in Laja convenirent, hacque ſuper re deliberarent: Verum Montmorentius futuri ſucceſſus haud ignarus huic colloquio intereſſe noluit, pariterque Guiſius Dux, ac Cardinalis Lotharingius ejus frater ab hoc oppido ſtudioſe recedebant.

Rex poſtquam præprimis hujus confeſſus cauſſas paucis expoſuerat, Cancellarius illius verba excipiens inter alia demonſtratum ibat, quod hucusque pœnarum ſeveritas Proteſtantes adeo non ad officium revocaverit, ut illorum numero magis, magisque aucto, ſi durius cum illis deinceps ageretur, Parentes contra filios, atque uxores contra Maritos ſuos ad ſumenda arma com-

compellere neceſſe foret: „Attamen, Sæcul. XVI.
„proſequebatur Cancellarius, non jam A C. 1562.
„agendum, nec etiam, quænam ex
„duabus Religionibus verior ſit, conſe-
„rendum, aut decidendum, ſed unice
„attendendum eſt, ut perpendatis, an
„e Regis, ac ſubditorum re eſſe exiſti-
„metis Calviniſtarum cœtus permitti,
„vel vetari: agere enim de conſtituenda
„Religione longe aliud eſt, quam de
„republica ordinanda conferre; quippe
„multi poſſunt eſſe boni cives, qui mi-
„nime ſunt Chriſtiani, nec deſinit eſſe
„Gallus, Regisque ſubditus, qui per
„anathemata ab Eccleſia ſejunctus eſt,
„ſique Regni leges matrimonia inter
„diverſæ Religionis homines rata ha-
„bent, cur non & illæ quicquam a ſuo
„rigore remittant pro conſequendo tanti
„momenti bono, quale eſt unio, ac
„concordia inter Catholicos, & Calvi-
„niſtas.„ Abſoluto hoc ſermone Can-
cellarius ſuffragia collegit, quorum po-
tiſſima eo abiere, ut Julianum edictum,
quo omnes Sectariorum cœtus prohibe-
bantur, revocaretur, iſtique pariter
ſententiæ Mareſcallus Santandreanus,
& Cardinalis Turnonius acceſſere.

§. VIII.

Edictum in Menſe Januario pro Proteſtantibus conditum.

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

Davila l. 2. p. 93. & seq. Mem. du Clergé t. 6. p. 505. Recueil. de tout ce qui s'est fait contre les Protest. par le Fevre p. 15.

Prævalente hac sententia Cancellarius edictum proponebat, quod etiam die decima septima Januarii editum sexdecim complectebatur articulos, quorum tamen præcipuos duntaxat inpræsentiarum referimus. I. Ad sedandos tumultus, ac seditiones in Regno excitatas, necnon per siniſtra consilia, & per populi duritiem, ac rebellionem magis indies auctas, novæ Religionis Sectatores Ecclesias, domos, prædia, decimas, ceteraque Ecclesiasticorum bona, quæ Catholicis inique eripuerunt, restituant, iisque deinceps tranquillam horum bonorum possessionem relinquant. II. Cruces, Sacrasque imagines imposterum non evertant, nilque aliud moliantur, quod ad offensionem publicam vergat, qui secus fecerint, capitis pœna absque spe veniæ, aut gratiæ plectantur. III. Protestantibus intra urbes templa aperire, vel in illis cœtus agere non licebit, extra urbium ambitum tamen ejusmodi conventus habere poterunt usque ad Concilii Generalis sanctionem. Aliud insuper promulgabatur edictum, vi cujus Magistratibus, aliisque prohibitum, ne in Sectæ suæ exercitio Calviniſtas molestent, donec Religionis controversiæ Universalis Concilii decreto componantur: interea vero omnes pœnæ per decretum

cretum Julianum latæ ſuſpendantur: porro in eodem edicto paulo inferius ſancitum. I. Nullas Synodos, aut colloquia Proteſtantes celebrent, niſi Magiſtratu conſentiente, ac præſente quodam Regis Miniſtro. II. Nullos novos Magiſtratus creent, aut leges, ac ſtatuta facere eis liceat. III. Siquid eis in diſciplina ſtatuere viſum fuerit, rem ad Magiſtratum referant, ut ipſius auctoritate decreta ea, ſi opus fuerit, confirmentur, vel rejiciantur. IV. Nulli delectus, aut fœdera ad privatas injurias depellendas, vel inferendas, ineantur. V. Nullæ item pecuniarum impoſitiones, aut exactiones fiant, ſi quas autem in eleemoſynas fieri oporteret, eæ a volentibus tantum exigantur. VI. Civiles leges, imo & Eccleſiæ Romanæ Sanctiones, ac præcipue eæ, quæ de feriis ſunt, necnon de vinculis conſanquinitatis in matrimoniis contrahendis ſerventur. VII. Paſtores eorum Magiſtratui ad edicti obſervationem fidem obſtringant, polliceanturque, ſe nullam doctrinam Dei Verbo adverſam populum edocturos, nihilque, quod Nicæno Concilio, ſymbolo, & libris veteris, & novi teſtamenti adverſetur, dicturos. VIII. A conviciis contra Catholicos, Miſſæ Sacrificium, aut Romanæ Eccleſiæ ritus in ſuis

Sæcul. XVI. A C. 1562.

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

Concionibus abstineant. IX. Nec etiam a Parochia in Parochiam circumvagentur invitis Dynastis, ac Parochis ad populum dicturi: eapropter Parochi in suis Ecclesiis residere teneantur, secus eorum beneficia tanquam vacantia, aliisque conferenda habebuntur. Denique eodem edicto declaratur, seditiosos morte esse plectendos, cum tamen antea nonnisi ad pecuniarum mulctam fuissent condemnati.

§. IX.

Parisiensis Regius Senatus nonnisi trino mandato compulsus hoc edictum ad acta refert.

Benoit hist. de l'édit de Nantes t. 1. pag. 29. Belcar. l.c.

Hoc edictum quantocius ad Regios Senatus transmissum confestim a Tolosana Curia die sexta proximi Mensis Februarii confirmabatur: verum Parisiensis Senatus, cum pro Religione Catholica ad præcipuas Regni leges accommodanda immotum semper præseferret studium, adversus hoc edictum scripto suas exposuit rationes, quæ etiam per Christophorum Thuanum ejusdem cognominis Historici Parentem, necnon per Jacobum Violam Consiliarium Regi tradebantur, atque in illis Regiæ suæ Majestati gravibus verbis hæc proponebantur: „nullo pacto fieri „potest, ut duæ Religiones simul in eodem

Sæcul. XVI. A. C. 1562.

„eodem Regno diu consistant, idque „minus tolerandum est, postquam pro„mulgata fuerat lex, quæ sectam re„cens introductam profitendi libertatem „indulsit: nunc enim haud immerito „timendum, ne ex ejusmodi hæresis „licentia, si diutius grassari permitti„tur, mala adhuc magis funesta, ac tu„multus pene innumeri oriantur.

Nihilominus his rationibus Aula nequaquam absterrebatur, quo minus præfatum edictum ad acta referri præciperet: quinimo eadem adhuc die Parisiensis Senatus iterato mandato hanc legem confirmare jubebatur, cum vero secundæ huic jussioni morem haud gereret, Rex tertio etiam mandato, quod Rupesius ad Yonem Princeps detulerat, die sexta Martii Senatui significari præcepit, quod omnino sua jussa ad effectum deduci postulet, eo potissimum nomine, quod hoc edictum nonnisi sub spe futuræ decisionis a Generali Concilio ferendæ interea conditum fuerit, vel nisi Rex aliter circa illud decreverit, de cetero autem nequaquam duas Religiones in Regno suo approbare, sed duntaxat Romanæ Ecclesiæ fidem conservare intendat, in qua natus æque, ac sui Prædecessores etiam decedere exoptat. Facta hac Regis pollicitatione Senatus aquievit, atque edictum ad acta retulit,

Sæcul. XVI A. C. 1562.

adjectis tamen hisce conditionibus. I. Hujus edicti confirmationem Senatus duntaxat Regi obtemperandi studio, ac temporis necessitati cedendi animo admittit. II. Hæc submissio nequaquam approbationis loco habeatur. III. Hoc denique edictum duntaxat vim suam tamdiu obtineat, donec Rex aliter decreverit. Verum Divionensis Senatus nullo pacto ad confirmandum hoc edictum adigi poterat: ceteræ vero Curiæ, ad Parisiensis Senatus exemplum, illud pluribus clausulis restringebant.

§. X.

Regina per Lansacum Romam ablegatum coram Pontifice sese excusans.

Instruct. & missiv. des Rois sur le Concil. de Trente 1613. p. 62. & seq. Mem. pour le Concil. de Trente Paris 1654. p. 136. & suiv.

Cum nimia hæc Aulæ Gallicæ indulgentia, qua hæreticis cedebat, summum Pontificem æqua indignatione commoveret, Regina Franciæ Administratrix verita, ne Papa hujus edicti indignitate exacerbatus animum suum penitus ab ea averteret, Ludovico Sangelasio Lansaco negotium dedit, ut Romam profectus suam Insulano, qui jam ibidem agebat, operam jungeret, & summo Pontifici hæc exponeret: „Gaudium Franciæ, ac Navarræ „Regem Reginæ Avunculum affligit si-

nistra

„nistra opinio, qua illos Sanctitas sua „hæreticis propensos esse autumat, cum „tamen ambo polliceantur, se nihil in„tentatum relicturos, ut hæresis Regno „eliminetur, cui negotio jamjam, præ„cipue vero Galliarum Rex operam „suam impendit, indulgentia tamen „ad tempus esse utendum existimat, „ne malo, dum remedium paratur, „aucto ad interiores Regni ditiones „suscitetur bellum eo magis funestum, „quo difficilius calamitates inde exortæ „sopiri poterunt: de cetero ipsamet Regina immotum venerationis, ac debitæ obedientiæ studium erga Sanctitatem vestram profitetur.„ Insuper eadem Regni administratrix Lansaco injungebat, ut hæc Pontifici significaret: „quam„vis facultates Cardinali Ferrariensi „Pontificio in Francia Legato concessæ „adversentur illis omnibus, quæ ex „Parisiensis Curiæ sententia in Aure„lianensibus Ordinum comitiis fuere „decreta: nihilominus Rex propter ob„sequendi studium, quo Sanctitatem „vestram, cunctaque ejus mandata re„veretur, biduo abhinc præfatas Le„gati facultates recipi, ac confirmari „jussit.„ Denique in Lansaci mandato addita fuere quædam monita circa Annatas in Galliis abolitas, quem Gallorum ausum Pontifex ægerrime ferebat,

Sæc. XVI. A.C. 1562.

Sæcul. XVI. A. C. 1562.

insuper Lansacus agere jubebatur de indulto, quod Papa restringere voluit, quamvis id Caroli IX. Prædecessores absque limitatione obtinuissent. Acceptis itaque hisce mandatis Lansacus e Galliis discedens die decima septima Februarii Romam pervenit, die decima nona ejusdem Mensis ad Pontificis alloquium admissus.

§. XI.

Papæ responsum ad Reginæ Matris Legatum.

Instruct. l. c. pag. 72. Mem. l. c. p. 153.

Hisce Regis rationibus Papa nonnihil placatus videbatur: hæc tamen Lansaco proponebat: „Nullum non movi „lapidem, atque etiam Sacræ Sedis „Apostolicæ dignitati haud parum de„rogare non dubitavi, ut Germaniæ „Protestantes ad Concilium allicerem, „quam ob rem omnem, quam petere „possunt, securitatem illis æque, ac „Franciæ Protestantibus procurare pa„ratus sum: iniquum tamen reputo, „quod Synodus perversis eorum ma„chinationibus cedat: quapropter e„tiamsi Tridentum venire recusaverint, „Synodus tamen ea, quæ jamjam fe„liciter incæpit, pari studio prosque„tur: ad illam quoque Imperator, & „Hispaniæ Rex jam suos ablegarunt „Episcopos, & desiderantur duntaxat Fran-

„Franciæ Præſules, quibus præ cete- Sæcul. XVI.
„ris Synodi auxilium eſt neceſſarium: A.C. 1562.
„quinimo Regem deceret, ut quanto-
„cius Regni ſui Epiſcopos Tridentum
„proficiſci juberet, hocque pacto hoſti-
„bus ſuis de eo querendi anſam præri-
„peret.„ Verum cum Lanſacus Ponti-
fici expoſuiſſet, quod Rex in nupero
conventu apud Sanctum Germanum in
Laja habito non ea quidem, quæ de-
ſideraverat, egiſſet, ſed illa, quæ ad
ſedandos tumultus interim magis op-
portuna cenſuerat, donec aliter proſpe-
ctum foret per generale Concilium, ad
quod Rex viginti quatuor Epiſcopos
jamjam itineri accinctos unacum Can-
dalio Oratore ſuo nominaſſet, ad hæc
Lanſaci verba reſpondit Pontifex: „haud
„parum Regni Gallici diſſidia, & tu-
„multus anxium me reddunt, & huc-
„usque quidem de Regis voluntate piam
„fovebam opinionem, nec etiamnum
„illius agendi rationem ſuſpectam ha-
„beo, ſpe firma fretus, quod Chriſtiani
„Principis partes adimplere totis viri-
„bus ſatagat, cunctaque ad Dei hono-
„rem, ſuæque Eccleſiæ incrementum
„dirigere velit: de cetero autem nu-
„perum edictum in oppido Sancti Ger-
„mani in Laja conſarcinatum minime
„tolerare poſſum, Deumque exoro, ut
„tot malorum Auctoribus veniam im-
pertiri

Sæc. XVI A.C.1562

„pertiri dignetur.„ Postea Lansacus expleto demandatæ Legationis suæ negotio, in Franciam circa finem Mensis Martii reversus est, quem etiam Carolus IX. Tridentum, ubi Synodus continuabatur, cum ceteris ablegabat.

§. XII.

Synodi Patrum Congregatio in Legati Palatio.

Pallav. c. 18. num. 1. & seq.

Finita Sessione decima septima primus Legatus ad vigesimam septimam Januarii diem generalem Patrum conventum in suo palatio celebrandum indixit, ut ibidem de argumentis in proxima Sessione definiendis deliberaretur: cum autem in priori Congregatione jam fuisset decretum, quod de rebus fidei conservationem, morumque emendationem concernentibus agendum esset, hinc ad puritatem fidei reddendam præ ceteris omnibus magis expedire credebatur, si libri a diversis Authoribus sub primis hæresum auspiciis scripti examinarentur, simulque censuræ, quibus in variis Provinciis Catholici ejusmodi libros perstrinxerant, discuterentur, ac demum Synodus desuper decretum promulgaret, quod ab omnibus, postquam singuli hac super re sententiam suam edixissent, exacte observaretur: porro alterum caput, quod examini fuerat

fuerat subjectum, versabatur circa quæstionem, an in alio decreto omnes illi, quos ea res concernit, allegare oporteret, ne fors se non fuisse auditos conqueri possent. Denique tertio loco proponebatur, utrum hæreticis fidei publicæ literæ sint offerendæ, iique, ut ad Ecclesiæ Catholicæ sinum redeant, invitandi, facta pollicitatione, eos omni lenitate habendos, dummodo Synodi auctoritatem admittere vellent. Sæcul XVI. A.C. 1562.

§. XIII.

Consultatio Patrum circa Indicem librorum prohibitorum.

Circa primam quæstionem de librorum examine variæ erant Patrum sententiæ, quarum plures non sine acri studio urgebantur, ac præprimis Marcus Antonius Elius Patriarcha Jerosolymitanus verba faciens non minus hujus laboris utilitatem, quam difficultatem exponebat, tandem vero concludebat, haud abs re esse, si libri sanam doctrinam continentes, atque ad pietatem conservandam utiles ab iis, qui erroribus scatent, discernerentur: de cetero autem tam copiosam eruditionem, solertiam, ac studium ad felicem hujus examinis successum requiri ajebat, ut hunc laborem præ omnibus difficillimum haberet: hinc ad hoc negotium *Pallav. l. c. Sarpius l. 6.*

Sæcul. XIV. A.C. 1562.

gotium Patres præ reliquis maxime idoneos esse seligendos censebat.

Elium perorantem excipiebat Daniel Barbarus Aquilejensis Patriarchæ Coadjutor, qui hujus erat opinionis, Pauli IV. Indicem multis in locis esse corrigendum, eoquod libros probis moribus adversos eadem perstrinxisset censura, ac libros, qui fidei dogmata impugnarent, non minus autem bono Regimini pernicioſum dicebat, si crimina relinquerentur impunita, quam si omnia scelera, gravia, & levia promiscue æquali vindicarentur pœna: Granatensis vero Archiepiscopus censuit, hunc laborem a Synodo non esse suscipiendum, cum ejusmodi examen Patres ab aliis majoris momenti negotiis averteret. His subjunxit Bracarensis Archiepiscopus, hanc curam opportunius comittendam esse in Italia Universitati Bononiensi, in Galliis Parisiensi, in Hispaniis Salmanticensi, ac denique in Lusitania Complutensi Academiæ. Verum eorum opinioni adversabatur Laurentius Ariani in Neapolis Regno Episcopus, existimans, quod hujus laboris difficultati omnino prævaleret utilitas, quæ ex ejusmodi examine in Ecclesiam redundaret, præsertim cum in laboris juvamen haud incongrue Tridentum convocari possint illi, quos Paulus IV. jam-

jam

Sæc. XVI. A.C. 1562.

jam in concinnando ſuo Indice adhibuiſſet: porro Ægidius Foſcararius Mutinenſis Epiſcopus alia hanc operam diminuendi media ſuggeſſit, proponens, de veteribus libris, qui apocryphi habentur, non eſſe agendum, ſed duntaxat illos fore examinandos, qui a recentium hæreſum temporibus conſcripti fuiſſent.

Mutinenſis Epiſcopi ſententiæ acceſſerat quoque Marcus Laureus Campanæ in Neapolis Regno Epiſcopus, addidit tamen, in hoc Indice a Synodi Patribus nonniſi ea adducenda opera, quæ manifeſtam continent hæreſin: cetera vero quorumdam Doctorum, qui ad id ſpeciatim nominentur, cenſuræ relinquenda: verum Juſtinianus Fratrum Prædicatorum Magiſter generalis cenſebat, quod inter eos, qui ad concinnandum hunc Indicem nominandi ſint, nullus ex Regularibus ſeligeretur, ſed potius expediret, ut Univerſitates ſcriptotenus rogarentur, quatenus catalogos a ſe jam compoſitos Tridentum transmittant. Denique Chriſtophorus Paduanus Fratrum Eremitarum S. Auguſtini Præpoſitus nullum novum Indicem eſſe conficiendum, ſed illum, quem Paulus IV. edidit, eſſe retinendum, atque emendandum arbitrabatur: alii vero in eam abiere ſententiam, quod idem

Sæcul. XVI A.C. 1562.

idem Pauli IV. Index nulla mutatione facta acceptetur, cum nulla etiam correctione egeret: non deerant tamen, qui hunc Indicem esse rejiciendum, nec alium componendum contendebant.

§. XIV.

Patrum sententiæ circa Authorum citationem.

Pallav. c. 19. num. 11. *Sarpius l. 6. p. 457.*

Cum in secundo articulo ibidem examinando de Authoribus, quorum interest, allegandis ageretur, statutumque esset, illos in decreto esse nominandos, ne perinde, acsi auditi non fuissent, querendi ansam haberent, hinc Cavensis Episcopus hæc proposuit: „duo „sunt genera Auctorum, nam eorum „quidam sunt ab Ecclesia segregati, alii „autem eidem uniti: porro de primis „nullam curam esse habendam censeo, „quia juxta D. Paulum semetipsos, sua„que opera ab Ecclesia deficientes con„demnarunt: ceteri vero vel jam sunt „mortui, vel adhuc vita superstites: hi „ergo citandi, atque audiendi sunt, „nam alias eorum libri jure damnari „nequeunt, quia de illorum agitur ho„nore: mortuis autem, cum illorum „parum interfit, libere inferri poterit, „quidquid ad publicam utilitatem ce„dere videbitur, quin ullius offensio „timenda sit.„ Alius Episcopus subjunxit,

subjunxit, hanc quoque judicii rationem esse servandam circa ceteros Catholicos jam defunctos ob eorum Parentes, ac discipulos, in quos tam defuncti gloria, quam ignominia redundare videretur, & quamvis illorum nullus in vivis esset, solam tamen defuncti memoriam judicio haud subjiciendam inquiebat, nisi prius ab aliis defendatur. Sæcul. XVI. A.C. 1562.

Alphonsus Rossettus Comacienſis Episcopus, aliique censebant, quod non modo honestas, atque utilitas publica, sed etiam juxta nonnullos æquitas deposcat, ut Doctores vocati doctrinæ suæ rationem reddant, eorumque explicationes, atque argumenta audiantur: Verum huic opinioni Joannes Baptista Castanea Rossanæ in Calabria Episcopus, qui evolutis quibusdam annis postea ad D. Petri Cathedram assumpto Urbani VII. nomine fuerat assumptus, adversabatur, ejusque sententiæ Augustinus Boncompagnus, pluresque alii adstipulati sunt, propugnantes, quod a Gelasio Papa, prout in jure Canonico significatum haberetur, fuisset factum, ut hæreticorum libri, quin eorum vindiciæ essent auditæ, fuerint condemnati, cum non de eorum personis, sed libris ageretur, nec illorum authores condemnentur, sed lex, qua eorum opera tanquam Reipublicæ noxia prohiberentur, *Canon.* Sancta *Distinct.* 15.

Sæcul. XVI A. C. 1562. ſtabiliatur, prout fieri ſoleat in Regno rite adminiſtrato, in quo non merces civibus nocivæ tolerantur, ſed proſcribuntur, quin in opifices, qui eas confeciſſent, inquireretur.

§. XV.

Patrum conſultatio circa fidei publicæ literas hæreticis concedendas.

Pallav. c. 19. n. 12. Circa tertium articulum, qui ſecuritatis literas hæreticis tradendas concernebat, quorumdam Patrum, uti Aſaphenſis Epiſcopi, aliorumque opinio erat, in hiſce literis apponendam eſſe hanc clauſulam, *dummodo errores ſuos abjurandi, non autem altercandi animo ad Synodum venire intendant:* alii vero putabant, hæreticos duntaxat eſſe obſtringendos, ut in publicis congreſſibus a convitiis, atque injuriis abſtinerent: Verum Ludovicus Beccatellus Raguſinus Archiepiſcopus unacum pluribus aliis, qui ejusdem erant ſententiæ, hortabatur Patres, ut ingenti uterentur moderatione tam in publicæ fidei literis Proteſtantibus absque reſtrictione, uti promiſſum fuiſſet, indulgendis, quam in adhortatione, qua præter factam veniæ ſpem, ut ad ſinum Eccleſiæ revertantur, monendi ſint: inſuper, cum

ad

ad Synodum invitarentur, odiosum *hæretici* nomen omittatur, ne ejusmodi invitatio præseferre videatur injuriam, qua potius a Synodo arceri, quam allici credantur. Sæcul. XVI. A.C. 1562.

Equidem hoc consilium ad prudentiæ leges compositum videbatur, necnon Cardinalis Mantuani primi Legati sententiæ consonum erat, nihilominus Simonetta Cardinalis propugnabat, quod nimia hac generalis veniæ facilitas, ac impunitatis spes pro tam enormibus delictis abs dubio innumeris ad libere peccandum illecebra foret: econtra vero suppliciorum acerbitas, etsi ejusmodi pœnas mererentur, dura, atque ingrata accideret, ad innumeros tamen in officio, atque obedientia retinendos requireretur: ut proin ad clementiam ostendendam sufficeret illam impertiri iis, qui veniam peterent: ceteris vero, qui misericordiam nec implorarent, nec sibi gratiam fieri vellent, eam indulgere haud consultum videretur, cum alias, si alia via incederetur, sane hæresis inter leviſſima haberetur crimina, ac proin hominibus, ut a recta semita deviarent, janua aperiretur.

Alii judicabant, hæreticis omnino, omnique tempore publicæ securitatis literas esse denegandas, atque in suæ opinionis argumentum adducebant, quod

Sæcul.XVI. A C.1562.

in prima hujus Synodi celebratione nulla de ejusmodi impunitate mentio fuerit facta, eoquod non modo inutilis, sed etiam nullo pacto conveniens censeretur, quamvis enim in secunda Concilii convocatione sub Julio III. publicæ fidei tabulæ, eoquod eas Cæsar, & Saxoniæ Elector Mauritius nomine omnium Protestantium petiissent, fuerint concessæ, nunc vero adeo non ab hæreticis ejusmodi securitatis sponsionem exigi dicebant, ut etiam Germaniæ, & Franciæ Protestantes palam profiteantur, quod hujus Synodi convocationem tanquam legitimam nunquam agnoscere velint. Pariter Hispaniæ Episcopi hasce tabulas expediri renuebant, veriti, ne sacræ Inquisitioni derogaretur, pluresque hæretici occulti promissæ securitatis fiducia freti palam suæ sectæ venenum evomerent, ac Tridentum delati suos errores impune spargerent, certi, quod per Inquisitores ad judicium vocari nequirent. Variis hisce opinionibus Legati satis dubii hærebant, quæ consilia caperent, ignari: quapropter frequentes habebant congregationes, in quarum una decretum, nominandos esse Deputatos, qui librorum prohibitorum catalogum conficerent: de cetero autem circa publicæ fidei literas ad deliberandum

dum ob emergentes difficultates tempus esse indulgendum. Sæc. XVI. A.C 1562.

§. XVI.

Patres ad concinnandum Catalogum, seu Indicem selecti.

Itaque consentiente potissima parte ex Synodi Patribus octodecim nominabantur, qui præfatum Catalogum, seu librorum Indicem conficerent, iisque data est facultas, ut quosdam Theologos, vel alios, quos huic labori idoneos censebunt, sibi socios adjungere possent: electi autem erant sequentes Georgius Dracovitius Quinqueecclesiensis Episcopus Martinusii Cardinalis Nepos, ac pro Hungaria Ferdinandi Cæsaris Legatus & Joannes Travisanus Patriarcha Venetus, & quatuor Archiepiscopi, quos inter etiam numerabatur Bartholomæus de Martyribus Braccarensis Archipræsul, præter novem Episcopos, unum Abbatem, ac duorum S. Ordinum Generales, quorum primus erat Fratrum Minorum de Observantia Minister, alter vero Fratrum Eremitarum S. Augustini Præpositus, hisque ita nominatis hæc præfigebatur conditio, ut hic Index nonnisi absoluto Concilio publici juris fieret, ne exinde Protestantium animi exacerbarentur. *Pall. c. 19. n. 13. & 14. Spond. hoc ann. n. 17.*

Sæcul. XVI. A. C. 1562.

§. XVII.

Legati ad Synodum delati, atque a Patribus excepti.

Pall. c. 20. n. 1 Die ultima Januarii tanquam Ferdinandi Hungariæ Regis Orator advenerat Antonius Miglitzius Pragenſis Archiepiſcopus, qui jubebatur ſuam operam jungere Quinqueeccleſienſi Epiſcopo, a quo etiam extra urbem obviam procedente excipiebatur, nec minus ſalutatus fuit a quinque Epiſcopis, ac quamplurimis Miniſtris, quos Legati deputabant. Præfigebatur ſolemni alloquio ſexta Februarii dies, in qua Miglitzius, & Dracovitius in generali Congregatione exciperentur: aſt Ferdinandus Martinez Maſcaragnes Luſitaniæ Regis Orator, cum nonniſi tertio milliari Tridento diſtaret, atque Pragenſem Archiepiſcopum, & Quinqueeccleſienſem Præſulem tanquam Hungariæ Regis Legatos proxime excipiendos intelligeret, miſſis ad Legatos nuntiis rogabat, ne Dracovitium ſe ipſo priorem ad confeſſum admittere vellent, eo quod eis legitimas demandatæ ſibi facultatis literas ſui Principis exhibere non valeat, ac non niſi privato mandato Tridentum venire, & cum Cæſaris Oratoribus agere juſſus ſit: aliunde vero hic Præſul nequaquam Imperatoris, ſed

sed duntaxat Hungariæ Regis personam repræsentet, hinc cum Lusitaniæ Rex se Ferdinando Hungariæ Rege superiorem credat, illius quoque Legatus Quinque-ecclesiensem Episcopum præcedere permittatur. Sæcul. XVI. A.C. 1562.

Hæc Præsulis petitio nonnihil turbabat Legatos; verebantur enim, ne vana præcedendi ambitio Lusitanos a Synodo arceret, hinc totam rei seriem Pontifici datis literis significabant, supplices, ut hac super re jussa sua transmitteret, nec Concilii auctoritatem in discrimen adduceret: præterea eidem exponebant, quod inter Franciæ, & Hispaniæ Legatos proxime venturos eandem de loci prærogativa contentionem prævideren, ac proin rogarent, ut ipsius hoc negotium dirimere vellet, quin illius decisionem Patribus relinqueret: attamen Legati, priusquam Papa responsum daret, quinque Episcopos, nimirum Antonium Elium Jerosolymitanum Patriarcham, Castaneam Rossanum Episcopum, Augustinum, Boncompagnum, & Palleottum nominabant, ut circa tria hæc capita deliberarent, & quidem I. discuterent, an Dracovitius admittatur, etiamsi nullo alio esset instructus mandato, quam solis literis, quas Imperator ad illum in Hungariam miserat. II. Utrum illum ante Lusita- *Pall. n. 2. & 3*

Sæcul. XVI A.C. 1562.

num Oratorem excipere conveniret. III. Utrinam ex illis honoratior locus esset tribuendus. Ad primum caput respondebant Episcopi, quod publici mandati literis exterior forma haud majorem tribuat auctoritatem, ut proin Dracovitius tanquam Hungariæ Regis Orator ad Synodum recipi possit, cum illius literæ a Cæsare fuissent subscriptæ. Circa secundum articulum convenerunt, eum Lusitaniæ Legato esse præferendum, cum illo prior etiam Tridentum venisset, idque fieret pro consuetudine Curiæ Romanæ, quæ Legatos, qui prius Romam venerunt, etiam priores ad publicum alloquium admittere solet: Tertiam autem quæstionem dirimere renuebant Præsules, cauſſati, quod hoc dubium jam in Concilio sub Julio III. fuisset decisum: illud tamen consilium tunc initum præsenti temporis vicissitudini minime conveniret, quapropter potius Ecclesiastici Oratores ceteris priores ad latus dexterum collocentur, in ferendis autem suffragiis juxta electionis suæ antiquitatem incedant, cum tum non tanquam Episcopi, sed ut Legati agant: Laici vero Oratores ad sinistram sedeant, præcedantque Ecclesiasticos, qui non sunt Legati, exceptis quibusdam Ecclesiæ solemnitatibus, in quibus Episcopi Pontificios habitus, mitras-

trasque geſtare tenentur: porro id ipſum poſtea in Synodo fuit obſervatum. Sæcul. XVI. A.C. 1562.

§. XVIII.

Ferdinandi Cæſaris tanquam Hungariæ Regis Oratores in Synodo excepti.

Die ſexta Februarii Ferdinandi Hungariæ Regis Oratores mox recipiendi jam jam cum magnifico comitatu in Legati Pontificii ædibus convenerant: cum vero locum Cardinale Madrutio honoratiorem occupare, ſolisque Papæ Legatis cedere, ſe a Cæſare juſſos fuiſſe aſſererent, illis in reſponſis datum, quod Ferdinandi mandata haud aliter, quam Caroli V. juſſa ſuis Legatis data ſint interpretanda, ac proin tunc, ſi præter Legatos nullus alius intereſſet Cardinalis, primum a Pontificiis locum Ferdinandi Oratoribus tribuatur, unde factum, ut iſti cedere obſtringerentur, quando Tridentinus, & Paccecus Cardinales aſſiſtebant. Oratoribus hac ratione placatis ad eorum receptionem procedebatur, duoque Epiſcopi fuere ablegati, qui eos ad Synodum deducerent, ad quam cum omnibus illis, qui ingredi petebant, introducti fuere, ubi poſtea Pragenſis Archiepiſcopus mandati ſui literas porrexit, quæ demum publice fuerunt recitatæ. *Inſtruct. p. 81*

Sæcul XVI. A. C. 1562.

His finitis Quinqueeccleſienſis Epiſcopus pariter Cæſaris epiſtolam, quæ itidem perlecta fuerat, exhibuit, & ſuum erga Patres obſequium, ac veneratione teſtatus pollicitus eſt, quod ſuam illis operam pro Eccleſiæ incremento jungere vellet. Abſolutis hiſce ſolemniis receſſerunt ambo Oratores, & Patres Maſſarelo, qui Synodo a ſecretis erat, deſuper eorum ſententiam rogante, hoſce Legatos eſſe recipiendos, conſenſerunt omnes, exceptis tribus Luſitanis Braccarenſi Archiepiſcopo, Caſparo Cabalio Leriano Antiſtite, & Joanne Xates Conimbricenſi Epiſcopo, qui ſeſe opponentes palam declarabant, quod alloquium Quinqueeccleſienſi Epiſcopo tanquam Hungariæ Regis Oratori conceſſum nullatenus Luſitaniæ Regis prærogativæ fraudi eſſe poſſet: eorum tamen repugnantia nullatenus obſtabat, quo minus ambo Oratores ad conſeſſum redire juberentur, quibus Maſſarelus prælegerat Patrum reſponſa, quæ Cæſaris commendatione, ac Oratorum ab eo miſſorum laudibus abundabant: porro cuncta hucusque geſta dein a Scribis ad acta fuere relata.

§. XIX.

Luſitaniæ Orator in Synodo receptus.

Altera

Altera die septima Februarii duo Episcopi a Legatis deputati unacum quadraginta aliis extra urbis portam procedebant, Ferdinandum Martinez Mascarenium Sebastiani Lusitaniæ Regis Oratorem excepturi: postridie vero scilicet octava ejusdem Mensis die Ferdinandus ad quamdam Congregationem admissus tanquam Regis Legatus agnoscebatur, perlectoque ejus mandato, quidam Doctor, qui cum eo venerat, verba faciens sat prolixum habuit sermonem, in quo Synodi, præcipue autem Tridentinæ utilitatem commendans hæc addebat: „ Rex meus certo spe„rat, Concilii hujus ope, & opera cun„ctas Religionis controversias direm„ptum, Ordinemque Ecclesiasticum ad „Evangelii puritatem revocatum iri: „quam ob rem is Ferdinandum tanquam „Regiæ pietatis testem, suæque erga „Ecclesiam submissionis obsidem ad Sy„nodum misit, nec minus Lusitaniæ „quoque Episcopi, qui jam advenerunt, „ac brevi venturi sunt, Regis obsequium „testabuntur.„ Postea plurimum deprædicabat priscorum Lusitaniæ Regum pietatem, studiumque, quo animati tot Orientis Provincias Sedis Apostolicæ imperio subjecerunt, præcipue cum ipsemet Sebastianus Rex heroicas Majorum suorum virtutes pari zelo imitetur: neque

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

que jactatam relinquebat hic Doctor ipsius Mascarenii Oratoris nobilitatem, præclarasque animi dotes, tandemque Patres hortabatur, ut illum benigne exciperent, siquid forte de Lusitanæ Ecclesiæ negotiis agendum occurreret.

Labbe Collect. Conc. tom. 14. p. 1146.

Ad hæc Synodi Promotor hunc in modum respondit: „Mandatum, & li„teræ Sereniſſimi Portugalliæ Regis, „quæ modo a Dominatione vestra ex„hibitæ in hoc sacro loco recitatæ fue„runt, nec non ea, quæ ornatissima ora„tione exposita sunt, huic sanctæ Syno„do jucundissimum nuntium attulerunt, „cum declararent eximiam quamdam, „ac perpetuam clarissimorum Portu„galliæ Regum, ac præcipue Sereniſſi„mi Sebastiani Regis in Deum pieta„tem, insigne in Rempublicam Christia„nam studium, ac summam erga hoc oe„cumenicum, & generale Concilium „observantiam, licet nihil novi huic „sanctæ Synodo allatum sit; nemo enim „est, cui compertissima non sunt præcla„ra Regum Lusitaniæ facinora ad chri„stianam Religionem, veramque Christi fi„dem in Orientis partibus propagandam; „non minor tamen Majestati suæ, majori„busque ejus piissimis, & clarissimis Re„gibus laus, & gloria hac tempestate „debetur, quod in his calamitosis tem„poribus, tot dissidiis, totque in Eccle„sia

„sia exortis hæresibus, Regna, & ditio- Sæc. XVI.
„nem suam in orthodoxa fide, Ecclesiæ- A.C. 1562.
„que Catholicæ unitate, uti vere chri-
„stianos Principes decet, semper conser-
„vaverint, atque in barbaris, & idolorum
„cultui deditis nationibus ad veram Re-
„ligionem traducendis strenuam operam
„impenderint: quam ob rem hæc san-
„cta Synodus Deo, & Patri Domini no-
„stri Jesu Christi meritas de his omni-
„bus gratias agit, Dominationemque
„vestram, tum ipsius Regis caussa, tum
„ob singularem ejus prudentiam, ac san-
„guinis splendorem grato, ac benevolo
„animo recipit: regium vero mandatum,
„quantum de jure debet, admittit.

§. XX.

Alius quidam Cæsaris Orator exceptus.

Die nona Februarii Sigismundus Thuun, qui Miglizii Pragensis Archiepiscopi in legatione socius nomine Ferdinandi Cæsaris pridie Tridentum delatus erat, in quadam Congregatione recipiebatur, atque tanquam Legatus agnoscebatur, cujus æque, ac Miglitii mandata, cum jamjam in quodam Patrum conventu die sexta ejusdem Mensis fuerint perlecta, haud ultra recitabantur, sed ipsi Legati absque nova pompa fuere excepti: igitur die decima tertia

Pallav. n. 5. Labb. l. c. p. 1135.

Sæc. XVI. A. C. 1562.

tertia Februarii omnibus in primi Legati domo congregatis ambo Cæsaris Oratores, Miglitius, ac Thuunus Ferdinandi Principis sui nomine quædam postulata scripto exhibebant, quapropter Synodi Præsides hac super re datis literis Papam consulere altera die cogebantur, ut ante ultimam Congregationem, quæ sessioni proximæ præmitteretur, responsum accipere possent: porro hæ Oratorum literæ quinque continebant articulos, quorum summam huc referimus.

Die 18. Febr. 1562. fusius in documentis datis a Cæsar. Orat. 1. Jan. apud Labb.

I. Pontificis Legati, cum haud ignorare possint nefanda Protestantium molimina, quibus Synodi celebrationem eludere nituntur, omnem sua consilia exequendi prætextum submovere studeant, atque ideo sedulo devitent hæc verba: *Concilii continuatio*, aut alias ejusmodi voces, quarum nulla fiat mentio in Sessione sequenti, si tamen hos hæreticos ad Synodum allicere velint.

II. Examen doctrinæ, atque articulorum fidem concernentium tamdiu, quamdiu poterunt, differant, nec etiam proximam Sessionem die præstituta habeant, cum plurium Principum Oratores nondum adveniissent: si vero Patres Sessionem celebrari omnino vellent, nec ea ulterius prorogari valeat, saltem ibi nonnisi negotia generalia, minus-

minusque principalia proponantur, nullo autem pacto de rebus majoris momenti agatur. Sæcul. XVI. A.C. 1562.

III. Pariter in librorum prohibitorum Indice, in quo concinando jam plures Patres insudare jubebantur, nulla fiat mentio de Confessione Augustana: si enim illa proscriberetur, Protestantes non modo ad Synodum venire renuerent, sed forte etiam ad ausus Religioni oppido funestos provocarentur, vindictæ sumendæ desiderio eo magis accensi, quo petulantius ingentes tumultus in Galliis exortos in rem suam vertere possent. *Acta Conc. Trist. Astulph servant.*

IV. Omni studio arcana serventur decreta in Congregationibus condenda, nulloque pacto de iis mentio fiat, priusquam in Sessionibus fuissent promulgata.

V. Circa publicæ securitatis literas, quas Synodus Protestantibus daret, Cæsar postulat, ut illis diploma juxta eorum vota amplissimum concedatur, cum id omnino necessarium foret, omnesque Patres in hoc consensisse viderentur. „ Adimpletis hisce conditio„nibus, prosequebantur Legati, injun„ctum est nobis a Cæsare Domino no„stro, ut Legatos, quotiescunque vocati „fuerimus, adeamus, ac nulli parca„mus labori, quatenus illos nostris con„filiis

Sæc. XVI. A C 1562

„filiis adjuvemus, junctaque cum eis „opera plene uniti agamus.„

§. XXI.

Legatorum responsum ad hasce Oratorum propositiones.

Pallav. c. 20. n. 7. Rayn. hoc anu. n. 17.

Ad hasce propositiones Legati, ut respondere possent, aliquot dierum spatium sibi concedi postulabant, cumque circa hæc postulata Romam scripsissent, accepto Pontificis responso Oratores monebant, quod circa libellum ab eis porrectum mentem suam aperire parati essent: itaque eadem die Cæsaris Legati in Cardinalis Mantuani primi Legati Pontificii domo conveniunt, ubi conventu habito illis circa quinque propositiones ab eis factas, & quidem ad primam responsum dabant hunc in modum: „ *Illustrissimi, & Reverendissimi „DD. Oratores, quod petant Dominationes „vestræ, ne qua fiat in prima Sessione con- „tinuationis mentio, non gravatim illis „concedetur, neque in ea quidquam tracta- „bitur, quod ad continuationem pertinere „videri possit, aut ullam significationem „habeat: quod vero præterea, quod secun- „dam concernit propositionem, rejici cu- „piant Sessionem ad 27. Februarii indi- „ctam in aliud longius tempus, id facere „nobis integrum non est, quandoquidem con- „ficiendi decreti de Indice corrigendo non- „nullis*

„nullis ex Patribus mandatum esse non i- Sæcul. XVI.
„gnorant, quod in prædicta Sessione publi- A.C. 1562
„cari oportebit; hoc autem in Cæsareæ
„Majestatis gratiam libenter faciemus, ut
„amplius aliquod spatium demus proximæ
„futuræ Sessioni; interjecto vero tempore,
„quibus de rebus tractandum sit, & qui dies
„illi præfigendus, una cum Patribus deli-
„berabitur, ita tamen, ut nihil pertracte-
„tur, quod ullo pacto animos irritare, vel
„perturbare posset.

Ceterum Imperatoris Oratores Sessionis ad diem vigesimam sextam Februarii indictæ prorogationem eo ex capite petebant, quod exitum præstolarentur comitiorum, quæ Cæsar in Germania convocaverat, atque in illis, quicquid Protestantes ad Synodi accessum permovere posset, adhibere decreverat: ex altera vero parte timendum erat, ne Hispani, ac Galli, si hæc dilatio concedatur, a Concilio recederent, quapropter Patres illam admittere recusabant, ad tertiam vero petitionem hæc respondebant: *De damnanda statim ab initio Confessione Augustana ne cogitatum quidem est a nobis unquam, quandoquidem de librorum prohibitorum indice, nisi sub fine Concilii, nihil decernetur; quam ob rem, & in hoc libenter Dominationibus vestris gratificabimur, prout promisimus.* Quarto, quod Cæsar admo-

Sæc. XVI. A. C. 1562.

nere voluerit, *ut ratio ineatur, qua provideri possit, ut ea, quæ tractantur in Congregationibus, non promulgentur, dabitur a nobis opera, ut, quoad fieri poterit, provideatur, cum ipsimet hujus consilii necessitatem agnoscamus: unde toti in eo erimus, ut de decretis, priusquam in Sessionibus promulgentur, nulla mentio fiat.*

Denique ad quintam petitionem circa publicæ securitatis diploma Legati hæc responderunt: *salvum conductum dabimus, quemadmodum alias a Protestantibus petitus, & illis concessus fuit in amplissima forma: quod idem facturam quoque Majestatem Cæsaream confidimus, ut omnis querendi ansa Protestantibus præripiatur.*

His dictis Legati Oratoribus declarabant, quod Cæsari summas rependerent grates, eoquod Legatis suis præcepisset, ut Pontificis Legatos suis consiliis juvarent, vicissim vero ipsi eorum operam semper gratam habere vellent.

§. XXIII.

Epistola Francisci Vargæ ad Granatensem Archiepiscopum.

Pallav. c. 20. n. 9.

Sub idem tempus Vargas Orator ad Granatensem Archiepiscopum literas dabat, quibus de Hispanis Præsulibus querebatur, quod ea, qua debuissent, animi

nimi firmitate suæ petitioni, qua Synodum nuper inchoatam veluti *Tridentinæ continuationem* declarari postulabant, non institissent, simulque ea verba: *Proponentibus Legatis* decreto inseri permisissent, cum tamen illis Catholici irritari, Protestantes vero in suspicionem induci possent, perinde acsi Legati in hac Synodo pro summo imperio res decidere prætenderent: insuper hic idem Orator in sua epistola hortabatur Episcopos, ut in proxima Sessione hæc verba corrigi curarent, vel, si eorum petito non satisfiat, unaomnes a confessu recederent: si tamen ejusmodi consilium nimis acerbum videretur, eos admonebat, ut saltem Sessionis prorogationem usque ad Hispani Oratoris adventum, vel hucusque gestorum abrogationem peterent, quamvis ea omnia, prout putabat Vargas, suapte natura pro irritis essent habenda, cum Synodi opus non sit, nec a legitima auctoritate, ac jurisdictione profectum: Verum Hispani, exceptis paucis, huic consilio non acquievere, acGranatensi Archiepiscopo, qui ad eos hujus epistolæ summam perscripserat, responderunt, quod Regis voluntati ea qua par est, promptitudine morem gerere parati essent, nullatenus tamen in animum inducere possent, ut

Sæcul. XVI. A. C. 1562.

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

Licentiati (*) Vargæ opinionem, quam certe mandati loco habere nequirent, ſequerentur, de cetero autem ſufficeret, quod Patres promiſiſſent, Inquiſitionis tribunali nihil derogatum iri. His interea geſtis Legati Seſſionem uſque ad decimum quartum Maji diem eſſe differendam proponebant, cauſſati, quod hac ratione ſatisfieret non modo Cæſareis, trimeſtris prorogationem petentibus, ſed etiam Papæ votis, qui Seſſionem uſque ad primam Martii diem differri permiſerat: Verum hanc moram Hiſpani quidam Præſules, nonnulli Luſitani, pluresque Itali damnabant, exponentes, malis, quæ Eccleſiam agitant, promptum opponendum eſſe remedium, cum calamitates per longiorem moram haud ſanandæ viderentur. His repoſuitDracovitius Quinqueeccleſienſis Epiſcopus: „ſi Synodi Patres ſuas Diœ„ceſes in Germania haberent, propria „experientia edocti ſcirent, quod præ„ceps conſilium, & præmaturus fervor „ingentium malorum cauſſa exiſtat.

His

(*) Pallavicinus ad hoc verbum ſequentia obſervat: *Licentiati vocantur apud Hiſpanos, qui peractis diſciplinarum ſtudiis merentur quidem lauream, ſed quo ſumptibus pro ea obtinenda immodicis parcant, inferiori titulo contenti ſunt.*

His quoque Mantuanus Cardinalis primus Legatus addebat, a se animadverti, quod pluribus, suum zelum exerendi occasionem hac mora Tridenti surripi, molestum accideret, cum tamen ingens exinde emolumentum traheretur, eoquod Cæsaris voto satisfieret, simulque Synodi Patrum causa vindicaretur adversus eos, qui abs dubio observarent, capitali, quo Synodum in hæreticos ferri, credunt, odio nonnisi summo charitatis ac lenitatis affectu responderi. Huic Legati sententiæ Patrum quamplurimi acquievere. Sæcul. XVI. A.C. 1562.

§. XXIV.

Congregatio Sessioni præmissa.

Denique Congregatio, quæ Sessionem proxime præcederet, habita est vigesima quarta Februarii die, qua Quinqueeccleſienſis Episcopus sua mandata, agendique facultates adhuc magis legitimas, quam antea in Conventu die sexta ejusdem Mensis exhibuerat, Synodi Patribus tradebat, simulque prolixo sermone Ferdinandum Principem suum comparabat Constantino Magno, eoquod & ipse pari Religionis studio animatus esset, eumque Deus ad præsentis ævi miserias potenter sublevandas selegisset. His præmissis cunctos labores, quos idem glorioſiſſimus Cæsar ad

Sæcul. XVI A. C. 1562.

Synodi convocationem contulerat, recenſebat, ſimulque commendabat illius ſtudium, ac magnum Legatos ſuos præ ceteris aliis Principibus ad Synodum mittendi ardorem, non modo quatenus eſſet Hungariæ Rex, ſed etiam tanquam Imperator: denique orationi ſuæ finem imponens Synodi Patribus grates rependit, quod ipſum tanquam Legatum recipere, & agnoſcere voluerint, etſi tantum Cæſaris epiſtola munitus fuiſſet, priusquam legitima agendi mandata ab eodem recepiſſet. Abſoluto hoc ſermone recitabatur decretum in proxima Seſſione promulgandum, quod Deputati verbis omnino generalibus conceperant, partim ne Germanos publicationem Indicis differri petentes offenderent: partim vero id fecerant, eoquod tanti moliminis negotium pro maturiori diſcuſſione longioris temporis ſpatium depoſceret.

§. XXV.

Primi Legati monitum ad Synodi Patres de ſervando ſilentio.

Raynald ad ann 1562. num. 18. Sarpius hiſt. Conc. Trid. l. 6. p. 460.

Poſtmodum pollicitatio Cæſareis facta, vi cujus Religioſum ſilentium Patribus ſummopere commendandum ſpondebatur, integra prorſus fide adimplebatur per Cardinalem Mantuanum, qui cum maxima gravitate, ac modeſtia hujus

Sæcul. XVI. A. C. 1561.

hujus rei neceſſitatem exponens declarabat, quod præmatura decretorum divulgatione totius negotii ſpem everti, merito timendum eſſet: (*) „quinimo, „inquiebat Mantuanus, etſi hoc quidem „periculum non immineret, certe con„ſilia, quo tectiora habentur, eo ma„jori apud homines opinione ſunt, ac „reverentia, atque ex adverſo, ſi in„tempeſtiva eorum fit promulgatio, „ſæpe præceps ejusmodi feſtinatio in „Conventus ignominiam cedit, ſemper„que aliqui in congreſſibus reperiuntur, „qui nec ea, qua decet, circumſpectio„ne utuntur, nec decori ſatis conſu„lentes, evulgatis ejusmodi ſanctioni„bus univerſo conſeſſui labem aliquam „adſpergunt, neque ullum fere eſt col„legium, aut Concilium ſive Eccleſia„ſticum, ſive fæculare, ſive exiguum, „ſive frequens, cui non ſuæ taciturni„tatis leges ſunt indictæ, & jurisju„randi vinculo, aut pœnarum denun„ciationibus plurimum firmatæ: iſta

(*) Obſervandum, quod Continuator hoc Legati monitum nimis fideliter ex Sarpio ſuo deſcripſerit, illud vero, quod Raynaldus, licet illum primo loco allegarit, ex ſuo originali adduxit, omnino prætermittendum cenſuerit, quia Sarpii verba calumniantibus ampliorem ſuppeditant materiam.

Sæcul XVI A. C. 1562

„vero Synodus viris adeo prudentibus „constat, ut ii nullo, nisi proprii ju„dicii vinculo, constringi debeant: „porro hæc non tam Patrum, quam col„legarum, imo mei ipsius gratia dico, „eoquod deceat unumquemque sibi ipsi „officii sui esse monitorem.„ Post hæc commemoratis difficultatibus, quæ in agitanda quæstione de securitatis literis inciderant, singulos hortatus est, ut in eam nihilominus cuncti cogitationes omnes conferrent; nam si ante Sessionem plene de hoc articulo nihil statui posset, tunc, dicebat, clausula decreto apponenda foret, vi cujus etiam in Congregatione extra Confessum hujus securitatis literas concedi posse declaretur.

Ceterum cum Papa Synodum retardari ægre ferret, ad suos Legatos perscripsit, quod haud æquum sit, ut Episcopi præcipue pro pertractandis rebus, quæ jamjam antea per tot alia Concilia decisæ fuissent, tanto tempore extra suas diœceses morentur, quapropter Sessiones prosequi deceat: nec his contentus Pontifex, insuper studiose Hispaniæ Regi cuncta, quæ petierat, concessit, ut illum ad sua pertraheret studia, eoque induceret, ut Rex suis Episcopis præciperet, quatenus in Synodo

nodo ſeſe magis dociles, minusque obſtinatos exhibeant. Sæcul. XVI. A.C. 1562.

§. XXVI.

Synodi Seſſio decima octava, atque ſecunda ſub Pio IV.

Præfixa die vigeſima ſexta Februarii Seſſio celebrabatur decima octava, quæ ſub Pio IV. ſecunda erat: ubi mane Patribus omnibus in majori Eccleſia congregatis Antonius Elius Jeroſolymitanus Patriarcha rem divinam ſolemni ritu decantabat, orationem vero latinam habebat Antonius Caucus Patrarum Archiepiſcopus, alias dictus Archipræſul Corcyrenſis, qui molimina, quibus hæretici ſuam Sectam propagare, atque augere nituntur, fuſius enarrabat, & Patres, ut eorum auſibus obſiſterent, his verbis hortabatur: *In ea proh dolor! miſerrima incidimus tempora, ut, quod ſine lacrimis enarrare non poſſum, immenſa flagitia, & ſacrilegia, ex nefanda recentiori hac Lutherana hæreſi, cujus quidem extirpandæ cauſſa huc convenimus, in Dei Eccleſia orta eſſe videamus, nempe Eccleſiarum bona direpta, templa ſolo æquata, Monaſteria non ſolum proventibus ſuis, & incolis deſtituta, verum etiam funditus everſa, Sanctiſſimum Chriſti Vicarium, verumque Petri Succeſſorem Pontificem optimum Maximum, Epiſcopos, reli-*

Pallav. l. 15. cap. 21. n 1. & ſeq. Labb. p. 841.

Sæc. XVI. A.C.1562

quosque Dei Sacerdotes neglectos, honoribus debitis privatos, maximis affectos contumeliis, injuriisque lacessitos, Deo dicatas Virgines stupratas, earumque bona ablata, venerandas Sanctorum imagines rejectas, & eorum cineres contemptos, Sacramenta Ecclesiæ explosa, atque conculcata, Sacros denique Ecclesiasticos Canones, ac Constitutiones igni traditas, ritusque omnes divinos penitus sublatos: Verum enimvero antiquas hæreses extinctas jam, Manichæi, Joviniani, Vigilantii, Pelagii, Euthychetis, Felicis, Albigensium, Waldensium, Berengarii, Marsilii Patavini, Joannis Wicleffi, Joannis Hus, Hieronymi de Praga, & ceterorum a Sanctis Patribus nostris in Conciliis sæpius confutatas, & toties rejectas sustinere voluerunt infelicissimi homines isti, & Divina, Christianaque dogmata a Christo Servatore nostro instituta, ac ab eisdem Sanctis Patribus nobis per manus tradita, divinitusque a Conciliis sancita, & a Pontificibus Sanctissimis confirmata evertere, vanaque esse, ac inutilia nobis effutire non dubitarunt, latamque viam, quæ ad infernum ducit, Christi Doctrinæ immemores, & Epicureorum mores secuti sibi construxerunt, de quibus sensisse mihi videtur Petrus *Apostolus inquiens:* venient in novissimis diebus in deceptione illusores juxta proprias concupi-

2. *Petr.* 3. *vers.* 3.

cupiscentias ambulantes, *hinc tam longe, lateque pervagatum est incendium, &c.* Sæcul. XVI. A.C. 1562.

§. XXVII.

Dissidium inter Lusitaniæ, & Hungariæ Regum Oratores.

Peracta re divina, precibusque pro more recitatis in hac Sessione præprimis Oratorum mandata, ac publicæ facultatis literæ prælegebantur, & quidem primo Massarelus, qui Patribus ab epistolis erat, recitabat duo illa mandata, quorum unum Ferdinandus Cæsar nomine Imperii Miglitio Pragensi Archiepiscopo, ac Sigismundo de Thun ejus socio, alterum vero pro Hungariæ Regno Dracovitio Quinqueecclesiensi Episcopo dederat: verum Mascarenius Lusitaniæ Orator demandatæ sibi facultatis diploma nec tradere, nec prælegi voluit, questus, quod per nuperam mandati lectionem suo Regi Hungariæ Rex fuisset antepositus, hac autem ratione suo Principi ingens honoris damnum inferretur: ast Massarelus eidem reponebat, hac mandatorum recitatione Regis Lusitaniæ prærogativis omnino nil derogari, cum Romanæ curiæ mos suaderet, ut illorum Oratorum, qui primi Romam perveniunt, mandata prius prælegerentur, quæ etiam consuetudo in præsenti Concilio obser- *Pallav. l. c.*

vata

Sæcul. XVI A. C. 1562

vata esset: cum autem hic Lusitanus nec latini, nec Itali sermonis gnarus esset, propositis Massareli rationibus, quas neutiquam comprehenderat, nullatenus cedebat, sed aucta animi sui commotione iram haud ponebat, donec Legati Pompæum Zambeccari Sulmonæ in Apprutio, ac Neapolis Regno Antistitem Lusitani idiomatis probe gnarum, necnon Casparum Casalium S. Augustini Religiosum, & Lerienſem Episcopum rogarent, ut Interpretes agerent, atque Oratori rem explicarent: quo facto Lusitaniæ Orator suam agendi facultatem exhibuit, ea lege, ut Secretarius, priusquam hoc diploma prælegeret, palam testaretur, quod Hungariæ Regis literas non alia ex causſa prius recitasset, quam ex hac, quod illius Orator Tridentum prior adventasset, hæcque agendi ratio nullatenus Lusitaniæ Regis dignitati, qua Hungariæ Regem præcedit, deroget.

Verum Dracovitius, qui e regione Lusitani Oratoris consederat, ac non sine indignatione hanc contentionem adeo frivolis rationibus innixam perceperat, ne ejus adversarius emendationem in suo mandato per Massarelum prælecto factam in rem suam verteret, veritus, adversus hucusque acta, & alia similia inposterum agenda reclamabat:

mabat: mox tamen Madrutius Cardinalis propius Quinqueecclesiensem Episcopum accedens eidem exponebat, quod tum utilissima ratione Ferdinando Domino suo inservire posset, si potius Concilii utilitatem totis viribus promoveret, quam vanis oppositionibus tempus frustra tereret. Huic monito quantocius acquievit Dracovitius, auctoritate, Regisque sui dignitate palam amplis elogiis celebrata. Sæc. XVI. A.C. 1562.

Postea diversæ prælegebantur literæ Pontificis, qui librorum prohibitorum indicem conficiendi curam Synodo remittebat, eoque facto aliud recitatum fuit ejusdem Papæ diploma circa Stationes pro more Romano durante verno jejunio Tridentinis concessas: denique tertium producebatur diploma de ordine, quem Episcopi juxta electionis suæ antiquitatem servarent, nulla habita ratione privilegiorum, quæ Primates obtenderent: his ita dispositis Patriarcha Jerosolymitanus, qui rem divinam solemni ritu peregerat, conscenso suggestu sequens decretum de librorum prohibitorum Indice prælegit.

§. XXVIII.

Decretum de librorum delectu, & omnibus ad Concilium fide publica invitandis.

Sacro-

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

Sacrosancta Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem Apostolicæ Sedis legatis, non humanis quidem viribus confisa, sed Domini nostri Jesu Christi, qui os, & Sapientiam Ecclesiæ suæ daturum se promisit, ope, & auxilio freta, illud præcipue cogitat, ut Catholicæ fidei doctrinam, multorum inter se dissidentium opinionibus, pluribus locis inquinatam, & obscuratam, in suam puritatem, & splendorem aliquando restituat, & mores, qui a veteri instituto deflexerunt, ad meliorem vitæ rationem revocet, corque Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres convertat: cum itaque omnium primum animadverterit, hoc tempore suspectorum, ac pernicioſorum librorum, quibus doctrina impura continetur, & longe, lateque diffunditur, numerum nimis excrevisse, quod quidem in causſa fuit, ut multæ censuræ in variis Provinciis, & præsertim in alma Urbe Romana, pio quodam Zelo editæ fuerint, neque tamen huic tam magno, ac pernicioso morbo salutarem ullam profuisse medicinam, censuit, ut delecti ad hanc disquisitionem Patres de censuris, librisque, quid facto opus esset, diligenter considerarent, atque etiam ad eandem Sanctam Synodum suo tempore referrent, quo facilius ipsa possit varias, & peregrinas doctrinas, tanquam Zizania, a Christianæ veritatis tritico

tritico ſeparare, deque his commodius deliberare, & ſtatuere, quæ ad ſcrupulum ex complurium animis eximendum, & tollendas multarum querelarum cauſſas magis opportuna videbuntur. Hæc autem omnia ad notitiam quorumcunque deducta eſſe vult, prout etiam præſenti decreto deducit: ut, ſi quis ad ſe pertinere aliquo modo putaverit, quæ vel de hoc librorum, & cenſurarum negotio, vel de aliis, quæ in hoc generali Concilio tractanda prædixit, non dubitet a Sancta Synodo ſe benigne auditum iri.

Quoniam vero eadem Sancta Synodus ex corde optat, Deumque enixe rogat, quæ ad pacem ſunt Eccleſiæ, ut univerſi communem Matrem in terris agnoſcentes, quæ, quos peperit, obliviſci non poteſt, unanimes uno ore glorificemus Deum, & Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, per viſcera miſericordiæ ejusdem Dei, & Domini noſtri omnes, qui nobiſcum Communionem non habent, ad concordiam, & reconciliationem, & ut ad hanc Sanctam Synodum veniant, invitat, atque hortatur, atque charitatem, quod eſt vinculum perfectionis, amplectantur, pacemque Chriſti exultantem in cordibus ſuis præſeferant, in quam vocati ſunt in uno corpore. Hanc ergo non humanam, ſed Spiritus Sancti vocem audientes ne obdurent corda ſua, ſed in ſuo ſenſu non ambulantes, neque ſibi placentes, ſed ad tam piam, & ſalutarem Matris ſuæ admonitionem

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

nem excitentur, & convertantur: omnibus enim charitatis officiis Sancta Synodus eos, ut invitat, ita complectetur.

Insuper eadem Sancta Synodus decrevit, fidem publicam in Congregatione Generali concedi posse, & eandem vim habituram, ejusdemque roboris, & momenti futuram, ac si in publica Sessione data, & decreta fuisset.

Postmodum indicta Sessione proxima idem Præsul, qui prius decretum recitaverat, sequens quoque prælegit: *Eadem Sacrosancta Synodus Tridentina, in Spiritu Sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem Apostolicæ Sedis legatis, statuit, & decrevit, proximam futuram Sessionem habendam, & celebrandam esse feria quinta post Sacratissimum festum Ascensionis Domini, quæ erit die decima quarta Mensis Maij.*

§. XXIX.

Difficultates a Granatensi Archiepiscopo contra hoc decretum propositæ.

Pallav. c. 21. num. 3.

Utrumque hoc decretum ab omnibus fuit approbatum, excepto Archiepiscopo Granatensi, qui solus inter Hispanos veterem de Synodi titulo cavillationem innovabat, hæc verba adjici postulans: *Universam Ecclesiam repræsentans*, prout in recentioribus Conciliis fuisset

fuisset usurpatum: porro inter illos, qui hoc decretum ratum habebant duo, vel tres inveniebantur, qui suum suffragium quibusdam levis omnino momenti conditionibus temperare satagebant, & quidem Jacobus Gilbertus Noguera Hispanus, Alliphæ in Terra-Laboris Episcopus obsistebat illis decreti verbis, in quibus dictum: *Catholicæ fidei doctrinam multorum inter se dissidentium opinionibus inquinatam fuisse.* Sæcul. XVI. A.C. 1562.

Circa alterum decretum, quo Sessio proxima ad decimam quartam Maij diem indicebatur, duodecim Episcopi ferme omnes, aut Hispani, aut Lusitani contendebant, adjecta clausula esse declarandum, quibus negotiis Synodi Patres per trimestre, quod usque ad Sessionem interfluit, intenti esse deberent, ne illis objici posset, quod otio, ac voluptatibus tabescentes Tridenti hæsissent, quam ob rem quorumdam erat opinio, quod interea utilia proponantur statuta circa morum emendationem: porro solus Joannes Beroaldus Panormitanus ad Sanctam Agatham Episcopus porrecto Patribus libello, ne Sessionem tamdiu differrent, rogabat, demonstrans, quod tanta mora nullatenus ad revocandos hæreticos conducat, plurimum vero Catholicis noceat.

Sæcul. XVI. A.C. 1562. Verum his rationibus flocci habitis Legati seſſione finita discesserunt.

§. XXX.

Publicæ securitatis literæ Galliarum Reginæ jussu immutatæ.

Pallav. l. 16. c. 3. n. 8. His ita peractis unica Patrum sollicitudo eo erat intenta, ut promissæ securitatis literæ conficerentur, quarum norma jam ineunte Mense Januario ad Ferrariensem Cardinalem Franciæ Legatum fuerat transmissa, ut Regi, ejusque Matri Reginæ exhiberentur, eorumque consensus desuper exquireretur: cum autem Cardinalis ob podagræ dolores lecto affixus hæreret, hinc datis ad Reginam literis hoc diploma misit, ut illud examinari juberet, quæ etiam elapsis aliquot diebus eundem Cardinalem visum ibat, significans, quod in datæ securitatis literis clausulam hanc illis insertam, *dummodo ipsimet ex corde redeant, ac resipiscant*, minus ratam haberet, eoquod ex his verbis inferri videretur, de securitate cautum non esse illis, qui disputandi, aut doctrinæ suæ rationem reddendi animo Tridentum venirent: verum Cardinalis Reginæ fidem fecerat, Pontificis animum esse, quod Synodus plena libertate gauderet, omnibusque suas difficultates proponendi facultas daretur, ac proin, cum cunctis

cunctis sponte suos errores abjurantibus venia promitteretur, nequaquam ii, qui illis immorari vellent, a securitatis fide excluderentur: cum tamen hac promissione turbidi Calviniſtarum animi in Galliis placari haud possent, ac insulse prorsus objectarent Joannis Hussi supplicium, decretumque, vi cujus Constantiense Concilium eos hæreticos, qui duntaxat Principum profanorum literis muniti forent, in jus vocandi libertatem Judicibus Ecclesiasticis permittebat, quapropter Ferrariensis Cardinalis ejusmodi securitatis diploma absque omni restrictione concedendum, plenamque ad sua revertendi libertatem Protestantibus promittendam, existimabat, etiamsi errores suos non ejurent, nec ad sinum Ecclesiæ revertantur: itaque hac super re literas dabat ad summum Pontificem, qui illius monitis cedens Tridentum ad suos Legatos perscripsit, ut hæc verba: *dummodo ex corde redeant*, delerent, atque accurrate formam sequerentur illius sponsionis, quæ Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto Germanis a Synodo fuisset facta. Sæcul. XVI. A.C. 1562.

§. XXXI.

Præsules pro concinnandis securitatis literis nominati.

Sæcul. XVI. A.C.1562.

Absoluta Sessione quantocius Legati pro conficiendo securitatis diplomate quatuor nominabant Episcopos, Joannem Baptistam Castaneam Rossanum Archiepiscopum, Augustinum Salvagum Archipræsulem Genuensem, Hugonem Boncompagnum, postea in Papam electum, ac Gregorium XIII. nominatum, & denique Gabrielem Paleottum, qui neglectis plurium privatorum opinionibus, quarum nonnullæ plus æquo acerbæ, ac aliæ factu nimium difficiles erant, hanc impunitatis cautionem absque omni restrictione esse concedendam autumabant: cum ergo omnes ferme Patres hanc sententiam unanimi suffragio amplecterentur, Synodi Promotori negotium dabatur, ut diploma nunc confectum ad acta referret iisdem omnino verbis, quæ adhibebantur in Sessione V. die vigesimo quinto Januarii Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo sub Julio III. celebrata.

Labb. pag. 844.

Hæ publicæ fidei literæ in tres partes erant divisæ, in quarum prima Synodi Patres cavebant Nationi Germanicæ iisdem omnino verbis, quibus in literis anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto utebantur: in secunda vero parte subjungebant, quod omnibus, qui ab Ecclesiæ Romanæ fide

Sæc. XVI. A. C. 1562.

fide receſſerunt, cujuscunque ſint Nationis, Provinciæ, urbis, aut loci, eandem ſponſionem faciant, quæ Germanis jam antea conceſſa fuiſſet: porro percipiamus propria Synodi verba, quæ in ejusdem gratiæ extenſione pro ceteris Nationibus ad hujus diplomatis finem adjuncta leguntur: *Eadem Sacroſancta Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, præſidentibus in ea eisdem Apoſtolicæ Sedis de latere legatis, omnibus, & ſingulis aliis, qui nobiſcum in iis, quæ ſunt fidei, communionem non habent, ex quibuscunque Regnis, nationibus, Provinciis, Civitatibus, ac locis, in quibus publice, & impune prædicatur, vel docetur, ſive creditur contrarium ei, quod Sancta Romana ſentit Eccleſia, dat fidem publicam, ſive Salvumconductum, ſub eadem forma, & eisdem verbis, quibus datur Germanis.*

Hæc ipſa clauſula tertiam hujus diplomatis partem conſtituit, in qua Patres declarant, quod, quamvis in hoc diplomate non ſingulæ Nationes ob legitimas cauſſas, comprehenſæ videantur, nequaquam tamen propterea quisquam illorum excluſus crederetur, qui pœnitentia ducti ad Eccleſiæ obſequium reverti voluerint, cujuscunque demum patriæ fuerint.

Sæcul. XV. A.C 1562.

§. XXXII.

Fidei publicæ decretum promulgatum.

Pallav. c. 1. num. 6. Raynald. hoc ann n. 22. & 23.

Itaque securitatis literæ hoc modo confectæ die octava Martii publici juris factæ sunt, majoris Ecclesiæ valvis affixæ: postea vero Legatorum cura eo abibat, ut illarum aprographa ad omnium Principum aulas deferrentur, præcipue vero ad Ferrariensem Cardinalem Franciæ Legatum ejusmodi diploma transmittebant unacum duabus epistolis ad eum datis, in quarum prima Regio Senatui exhibenda hanc cautionem typis edendi, eamque per omnes Regni Provincias divulgandi facultatem petebant: altera autem epistola erat secreta, in qua Legato significabant, in hoc diplomate studiose Franciæ nomen fuisse suppressum, ne cum hujus nationis ignominia manifestum fieret, Galliarum Regnum hæresis veneno infectum esse.

§. XXXIII.

Cæsareorum Oratorum postulata ad Legatos.

Pallav. l. 16. c. 1. n. 10.

Postquam Cæsaris Oratores datæ securitatis diploma integra fide transcriptum a Papæ Legatis receperant, sese oppido contentos exhibebant, simulque eis duos porrigebant libellos, in

in quorum primo, ut Synodus publicis literis Proteſtantes Tridentum invitaret, poſtulabant, altero autem petebant, ut Germaniæ Clero Patres diſciplinæ leges præſcriberent. Verum Legati accepto utroque libello prius explorabant, an Princeps, vel duntaxat privata Oratorum ſollicitudo ejusmodi poſtulata dictaſſet, mox tamen comperiebant, quod Cæſar nonniſi alteram petitionem proponi juſſiſſet: quapropter ita reſponderant: „cum Synodi dignitate, ut Pro„teſtantes ad eam denuo invitentur, con„ciliari haud poteſt, & quidem ex iis„dem omnino rationibus, quæ olim „Paulum III. ad denegandum hoc ob„ſequii genus inducebant, idque nunc „eo magis, cum Nuntii, per quos Pius „IV. Proteſtantes ad Synodum invitare „non ſine magnis ſumptibus nitebatur, „a multis indigne fuiſſent excepti, at„que a cunctis ſine contemptu, ac „contumelia repulſam tuliſſent: ſi ita„que Synodus ſuo nomine rurſus Pro„teſtantes invitaret, occaſionem illis „porrigeret potius ad obfirmandam eo„rum petulantiam, quam ad amplexan„dam pœnitentiam: de cetero, ſi Cæ„ſar id petit, temporumque conditioni „conſentaneum exiſtimat, nos omnem „operam dabimus, ut Cæſaris deſide„rio pro viribus ſatisfiat. Paucis poſt

Sæc. XVI. A. C. 1562.

Sæcul. XVI. A.C. 1562

diebus Legati Commendonum, qui nuper a longo suo per Germaniam, & Belgium itinere reversus erat, ad Imperatorem ablegare decreverant, ut illum de Synodi negotiis certiorem redderet, ejusque mentem desuper exploraret: priusquam vero hoc consilium in opus deducerent, rem ad Cardinalem Borromæum perscribebant, qui illis respondit, quod hæc legatio Cæsari minus probetur; cum non modo variis suspicionibus, sed etiam multis difficultatibus obnoxia evaderet, consultiusque esset, totius rei curam relinquere Delphino, qui apud Cæsarem tanquam Papæ Nuntius agebat.

Lit. Legat. ad Borr. 16. Mart.

§. XXXIV.

Reformationis articuli ad examinandum propositi.

Acta Conc. Trid. Astulph. servant M. S. Franc. Card. sign. num. 1109. p. 34.

Ad alterum caput, quo Cæsarei Oratores pro Germaniæ Clero disciplinæ leges statui petebant, hæc responderunt Legati: „Cum in Concilio præter ora„tores Cæsareos nullus earum Regio„num Præsul, nullus Orator, aut Pro„curator adsit, haud videtur, quo pacto, „aut agitari res posset cum plena re„rum notitia, aut stabiliri cum certa „Satisfactionis spe illorum, quorum „interest: si vero Germaniæ Prælati „advenerint, successu temporis etiam huic

„huic malo remedium opponi poterit; Sæcul XVI.
„aliunde autem ipsi emendationis ar- A.C.1562.
„ticuli, quos Synodus statuere inten-
„dit, cunctis Nationibus tanquam Re-
„formationis norma deservire poterunt.
Enimvero Seripandus Cardinalis universali emendationi insudandum censebat, ceterique Legati ejus Socii eodem fervebant desiderio: quapropter hujus rei negotium Seripando committebant, eidemque adhuc in laboris socios adjungebant varios Episcopos morum integritate celeberrimos, atque Ecclesiam pristino suo splendori restituendi studio plurimum accensos, iique erant, Mutius Callinus Archiepiscopus Jadrensis e ditione Veneta; Julius Panesius Dominicanus Archiepiscopus Surrentinus in Neapolis Regno, Ludovicus Beccatellus Archiepiscopus Ragusinus, Ægidius Fuscararius Episcopus Mutinensis, & Hieronymus Galeratus Mediolanensis, Episcopus Sutrinus, ex Moroni Cardinalis Sorore genitus: Cardinalis vero Simonetta utpote Canonicæ jurisprudentiæ peritissimus hujus rei argumenta in ordinem redigere jubebatur, eique adjuncti fuere Castanea, Boncompagnus, Paleottus, & Joannes Baptista Castallus Synodi Promotor.

Sæc. XVI. A.C. 1562

§. XXXV.

Bracarrensis Archiepiscopi oratio circa Reformationem.

Vie de Barth. des Martyrs. l. 2. c. 8.

Censebat Seripandus ducendum esse Reformationis initium a rebus gravioribus, & ad Aulam Romanam spectantibus, ut fabrica firmo inniteretur fulcro, simulque calumniæ præverterentur maledicorum, qui Clero vitam dissolutam, moresque corruptos sæpius exprobabant. Hæc sententia gravibus etiam rationibus firmabatur ab ipso Bracarensi Archiepiscopo, qui ea animi firmitate, quam Sanctus Cyprianus virtutem Episcopalem, atque Evangelicam appellat, hunc in modum perorabat. „Haud opportuniori via, inquiebat ipse, „hujus Concilii dignitatem conservare „ac tueri possumus, nisi nobis eadem „ob oculos posuerimus, quæ præprimis „fuere intenta ab iis, qui tam prospere, „ac tam sancte hanc Synodum inchoa„runt. Porro notum est omnibus, præ„cipue eorum consilia eo collimasse, ut „ab illa horrenda corruptione, quæ „tantopere morum puritatem labefacta„bat, Ecclesia expurgetur, eandem „ob rem, quamprimum Concilio datum „erat initium, mox diuque delibera„tum, an priusquam de fide ageretur, „quæstio de Ecclesia ac morum Reformatio-

Sæcul. XVI. A. C. 1562.

„matione haberetur: potiſſimorum enim „ſententia eo abibat, quod ab hiſce „corruptelis atque abuſibus hæreſes in „Synodo debellandæ ortum traxiſſent: „hinc unanimi ſuffragio tandem con„cluſum, quod ſimul de utroque hoc „capite ageretur. Enimvero hæc mo„rum corruptio in fidelibus adeo excre„verat, omniumque oculis pervia, & „cunctis haud amplius toleranda vide„batur, ut ipſe etiam Joannes III. Lu„ſitaniæ Rex epiſtolam, quæ in Synodo „publice fuerat recitata, ad Paulum III. „mitteret, atque in ea ſignificaret, quod „veterem Eccleſiæ diſciplinam adeo col„lapſam crederet, ut, etſi nulla hære„ſis impugnanda fuiſſet exorta, Oecu„menicum tamen Concilium congre„gare opportuiſſet, ut in ea abuſus & „corruptelæ corrigerentur, eoquod mo„rum depravatio hæreſis ortum & pro„greſſum promoviſſet, proin e contra„rio ſi morum puritas integra fuerit re„ſtituta, etiam hæreſis de ſeipſa peni„tus ruitura foret. Eandem ob ratio„nem Illuſtriſſimus Cardinalis Mantua„nus tanquam Sanctitatis ſuæ Legatus „ad Synodi initium in ſua facundiſſima „oratione nobis propoſuit, quod non „modo hæreticos fidei veritate, ſed „etiam probæ vitæ exemplo impugnare „nobis incumbat, adeo, ut cum ad alio-

rum

Sæcul. XVI
A C. 1562

„rum Reformationem vocati ſimus, ni„hil in nobismet ipſis correctione di„gnum reperiatur.„

Hæc Braccarenſis oratio communi quidem Patrum applauſu excipiebatur, non deerant tamen ex illis quamplurimi, qui Reformationem quidem exoptabant, a minoris tamen momenti rebus, iisque minus difficilibus initium eſſe ducendum cenſebant, eo potiſſimum nomine, quod Præſulum non pauci adhuc abeſſent, eorumque nullus ex Germania, & Galliis adventaſſet, ac proin circa ea, quæ in ipſorum Clero emendanda forent, ab illis conſilium capi haud poſſet: cum vero quidam propoſuiſſent, utrum in generali Cleri Reformatione etiam Cardinales comprehendendi ſint, ad hæc ſeniores cum ingenti urbanitate, ac reverentia præclaræ iſtorum dignitati debita reſpondebant, quod Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Cardinales ejusmodi Reformatione haud egeant: verum Braccarrenſis Archiepiſcopus voce imperterrita oppoſuit, ſe palam profiteri, quod eadem erga illos veneratione compulſus affirmet, quod *Illuſtriſſimi Cardinales indigeant, ut mihi quidem videtur, illuſtriſſima Reformatione:* „nam mihi videtur, ad„debat ille, quod veneratio, quam il„lis defero, potius foret humana quam divina

Sæcul. XVI. A.C.1562.

„divina, magisque apparens, quam „vera, nisi simul etiam exoptarem, „quatenus eorum fama, agendique ratio sit non minus pura, omnique labe immunis, quam illorum dignitas ceteris est eminens; cum enim ipsi sint „fontes, ex quibus ceteros aquam haurire oportet, necesse est, ut solerter „caveant, ne ex ipsis aquæ immundæ, „sed potius puriſſimæ scaturiant: quod „autem præprimis corrigi desidero, „haud aliud est, nisi ut modum, quo „hucusque Episcopos habuerunt, immutare dignentur.„

„His postea subjunxit, postquam „novus hic Cardinalium Ordo veteri Ecclesiæ olim incognitus fuit introductus, „Episcopalis auctoritas ferme evanescere „cæperat, antea Cardinales dignitate „sua accensebantur ceteris Presbyteris, „& Diaconis, a decimo autem sæculo „horum conditionem superare cæperant, non tamen statim sese Episcopis „æquiparare audebant, quos adhuc tanquam suos Superiores usque ad sæculum duodecimum venerabantur: ab eo „autem tempore tam eminenti gradu „eos antecellebant, ut illos nunc pedibus suis prostratos habeant, illosque „veluti suos famulos in Palatiis suis „enutriant. Attamen vera Reformatio in „Ecclesia haud speranda videtur, nisi Episco-

Sæc. XVI
A C. 1562

„Episcopis debita reddatur auctoritas:
„hac autem in re unice respicio ad Dei
„mandatum, de quo Divus Paulus asse-
„rit, quod *Deus posuerit membra, unum-*
„*quodque eorum in corpore, sicut voluit.*
„Denique considerans, quo gradu olim
„Cardinales atque Episcopi fuerint, ac
„quam prærogativam hodiedum possi-
„deant, coram Deo ingemiscens, & de
„ipsametEcclesia conquerens exclamare
„cogor: *olim non erat sic.*

Hæc Archiepiscopi oratio quam plurimis in hoc consessu minus probabatur, cum autem is ob solidam pietatem tanquam vitæ, morumque exemplar ab omnibus celebraretur, ac aliunde quoque notum esset, quod nec ambitione, nec iracundia, aut proprii judicii pertinacia ad tantam verborum libertatem incitatus fuisset, sed unice Deo inserviendi, Ecclesiæ utilitatem procurandi, suæ conscientiæ, ac muneris rationibus satisfaciendi studium sibi præfigeret, hinc omnes eidem applaudebant, ac ferme nullus immoderatam, ac improvidam dicendi licentiam damnabat: quinimo ipsimet Cardinales, quorum caussa potissimum agebatur, absque ullo indignationis, vel iræ sensu ejusdem rationes perbenigne excipiebant, atque ab illo etiam temporis momento eandem prorsus venerationem, amici-

tiam

tiam, atque affectum, quo ipsum antea colebant, semper eidem exhibebant: in hoc tamen Archiepiscopi consilium sequi Synodi Patres haud consultum censebant, prævalente illorum sententia, qui de rebus minus arduis inchoandum existimabant. Sæcul. XVI. A. C. 1562.

§. XXXVI.

Duodecim Reformationis articuli a Patribus examinati.

Hæc gesta fuere die undecima Martii in quadam Congregatione, in qua Mantuanus Cardinalis primus Papæ Legatus præprimis elegantem prorsus habebat sermonem, Patres hortatus, ut juncta cum ipso, suisque sociis opera restituendæ disciplinæ Ecclesiasticæ insudarent. Absoluta hac oratione duodecim prælegebantur articuli, qui Patrum examini subjecti in sequentibus Congregationibus accurate discutiebantur: erantque hi articuli sequentes. I. Perpendant Patres, quæ ratio esset habenda, ut cuncti Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, & illi, qui in suis beneficiis curam animarum exercent, suis in Ecclesiis resideant, nec inde discedant, nisi ex causis honestis, necessariis, & Ecclesiæ Catholicæ conducentibus. II. Discutiant, an opportunum videatur, ne cui sacri Ordines conferan-

Pallav. l. 16. c. 1. n. 13. Sarpius l. 6. 466. Rayn. ad hunc ann. n. 32.

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

ferantur, nisi titulo beneficii sit provisus; cum compertum constet, multas fallacias committi in suscipiendis Ordinibus titulo patrimonii. III. Pariter ventilent, an expediat, ut nec Episcopi Ordinem conferentes, nec ipsorum Ministri, ac Scribæ quidquam accipiant ob Ordinis collationem. IV. Decidant, num concedendum sit Episcopis, ut ex Præbendis ad Ecclesiæ servitium non adstringentibus, possint statuere distributiones quotidianas in illis Ecclesiis, in quibus aut nullo modo erant, aut ita tenues, ut negligerentur, ex qua radice pariter divini obsequii neglectus pullulabat. V. Ponderent, utrum illæ Paræciæ, quæ ob suam amplitudinem indigent pluribus Sacerdotibus, dividendæ quoque sint ab Ordinario in plures titulos, & Sacerdotes, qui illis deserviunt, & an Episcopi horum Sacerdotum munia in titulos commutare debeant. VI. Trutinent, an e converso beneficia curata, quæ idoneos ad Parochi victum reditus non suppeditant, multa in unum debeant coalescere ad ampliorem Parochi sustentationem. VII. Quia multi Parochi ob scientiæ penuriam, pravamque vivendi rationem, parum erant idonei, & destruebant potius, quam ædificabant, pejoresque erant eorum Vicarii, nec scientia, nec prudentia præditi, hinc expen-

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

expendant, utrum oporteat, ut Episcopus adjutores illis destinet, certo fructuum proventu iis attributo. VIII. Examinent, an concedenda sit Episcopis facultas transferendi in Ecclesias Matrices, Beneficia, & Sacella a longo tempore diruta, quæ ob inopiam reparari nequeunt. IX. Ad trutinam vocent, num præcipiatur, ut beneficia commendata etiam Regularia invisantur, & corrigantur ab Episcopis. X. Attento animo agitent, an decidendum, ut Matrimonia Clandestina in posterum irrita, ac nulla declarentur. XI. Perpendant, quæ conditiones declarandæ forent, tanquam necessariæ, ne Matrimonia censeantur clandestina, sed in facie Ecclesiæ contracta. XII. Plurimum cogitent, quid expediat constituere de non modicis quæstorum abusibus. Ceterum inter articulos recitatos duo illi de Matrimonio clandestino studiose proponebantur, non solum ob utilitatem ipsius rei, sed quia inde argumentum subministrabatur inferiorum Theologorum studio, quorum ibi non exigua erat frequentia, qui omnes, si Jurisconsultus laboribus honoratos, se vero otiosos spectassent, forte tædio affecti a Synodo discessissent. Cunctos hosce articulos Legati, priusquam illos in Congregatione proponebant, Cæsareis Ora-

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

toribus exhibebant, a quibus etiam rati habebantur. Postea Simonetta Cardinalis veritus, ne primus de residentia articulus magnam inter Patres contentionem suscitaret, suos socios admonuit, ut de eo mentionem fieri præpedirent, hocque argumentum ad tempus magis opportunum differrent. Hi lubenter annuebant, ea tamen lege, ut Oratores hac de re certiores fierent, quod & die undecima Martii præstiterunt: verum Oratores vehementer obluctantes inquiebant, quod ablato hoc de residentia articulo, nil nisi levia, ac nullius ferme momenti capita supereſſent, aliunde vero ipsi jamjam ad Cæsarem transmisissent scriptos hosce articulos nuper ipsis traditos, ut proin articulum, circa quem Cæsar exactam emendationem deposceret, supprimere, haud consultum foret.

Cum ergo Legati Oratoribus sese ultra opponere minime auderent, hoc scriptum unacum præfatis duodecim articulis Synodi Patribus communicabant, eos vero Cardinalis Mantuanus gravibus verbis hortabatur, ut tam pio operi sedulo incumberent, ac labefactatam morum disciplinam restaurare, ac damna inde Ecclesiæ inflicta reparare studerent; interea rumor serpebat, quod Protestantes sancito inter se fœdere copias

pias ubique contraherent: quo nuntio territus Cæsar Synodum interrumpi petebat, quocirca reliquum hujus Mensis spatium insumebatur in solemniis, quæ in recipiendis quibusdam oratoribus, qui adventarunt, usurpabantur, donec de Protestantium machinationibus certior haberetur notitia. Sæcul XVI. A.C.1562.

§. XXXVII.

Plures Oratores ad Synodum delati, ac recepti.

Cum hæc interea gererentur, præprimis Ferdinandus Franciscus Avalus Piscariæ Marchio, ac Mediolani Gubernator a Philippo II. Hispaniæ Rege Tridentum ablegatus advenit, cui centum ferme Episcopi unacum omnibus Principum Oratoribus obviam ibant, exceptis Ferdinandi Legatis, quos, cum omnes essent Viri Ecclesiastici, præmittere, minus consultum censebant Legati, veriti, ne Lusitaniæ Regis Orator nova rursus contentione cum Dracovitio circa Sedis prærogativam collideretur: quocirca solus Sigismundus Thuun ibidem comparuit: mox tamen die decima quarta Martii Piscariæ Marchio urbem ingressus medius inter Sigismundum, & Mascarenum consedit, quem Mantuanus Cardinalis per octo dies, quibus illic morabatur, *Pallav. c. 2. num. 1. Raynald. n 32. & 35. Thuan. l. 32. init.*

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

rabatur, hospitio excepit: altera autem die decima quinta ejusdem Mensis Joannes Strozzius Cosmæ Florentiæ Ducis Orator advenit, quem etiam plusquam sexaginta Patres extra urbem excipiebant, ac medium inter Jerosolymitanum Patriarcham, & Mendozam Salmanticensem Episcopum deducebant: denique die decima sexta pariter duo Oratores a Catholicis Helvetiorum Pagis missi recipiebantur, quorum primus erat Melchior Lussus, qui tanquam Orator destinabatur a Claronensi Pago Catholicis, & hæreticis mixto: alter vero fuerat Joachimus e Sancti Benedicti familia Abbas: porro hos sequebatur adhuc alius Abbas Sedunensis Episcopi, & quarumdam Regularium Canoniarum Procurator. His plusquam sexaginta Episcopi obviam procedebant, illisque Papæ expensis hospitium parabatur, cum Sedes Apostolica hanc liberalitatem hujus nationis Oratoribus impendere semper solita fuerit.

Cum ergo eadem die Hispaniæ Orator ad Synodum admitteretur, ejus mandata prælegebantur, moxque Galeatius Brugota Mediolanensis Senator Avalii nomine verba faciens hæc exposuit: *quandoquidem Concilium unicum sit sanandis Ecclesiæ malis remedium, id salutariter, & opportune a Pio IV. his temporibus*

Pallav. n. 5. Sarpius p. 467.

Sæcul. XVI. A C. 1562.

poribus adhibitum est, nec Philippo Regi deest voluntas præsentia sua cœtum eum honestandi, & exemplo aliis præeundi, si per occasiones liceret: nunc cum non possit, ipsius loco Franciscum Avalos Marchionem eo decrevit, qui a Rege opem omnem, ac favorem deferret: non enim nescio Ecclesiæ, etiam cum maxima Dei præsidio nititur, necessarium esse interdum subsidium humanum. His ita prolatis Avalius Orator Legatis aliquamdiu collocutus Tridento discessit, cum ad Mediolanensis ditionis administrationem sua præsentia necessaria foret: porro biduo, postquam Hispaniæ Orator fuerat exceptus, die decima octava Martii Florentiæ Ducis Legatus admittebatur, qui in sua oratione multis suum Principem deprædicabat, *eoquod sit Christianæ Religionis omnium maxime studiosus, & Romani Pontificis, atque Apostolicæ Sedis auctoritati plurimum semper tribuerit.* His præmissis idem Orator amplissimis verbis pia commendabat studia summi Pontificis Pii IV. „qui, inquiebat ipse, ut nefariam hæ„resis pestem, ac perniciem a nobis a„verteret, concilium hoc celebrare la„boravit: ubi vos, & vitæ innocentia, „& eruditionis magnitudine viri admo„dum insignes de vera, sinceraque „Christi doctrina commonefaciatis, at„que illa etiam Evangelii dogmata pla-

Sæcul. XVI A. C. 1562

„niſſime explicetis.„ Dein orator ſui „Principis familiare conſortium cum Papa commemorans, hortabatur Patres ad Eccleſiam perpurgandam, & ad lucem veritatis ab Apoſtolis patefactam usquequaque diffundendam; oblatis Synodo omnibus a Duce ſuo præſidiis, quæ hic ipſe jam ante Pontifici ad tuendam Sedis Romanæ Majeſtatem detulerat. Ad hæc oratoris verba Pro„motor reſpondens, inquiebat: Synodo „tuus adventus plane gratiſſimus acci„dit, veſterque Dux inter cetera com„mendandus venit, eoquod ex illuſt„riſſima ortus ſit familia, quæ Clemen„tem VII. & Leonem X. ſummos Pon„tifices Eccleſiæ dedit, nunc autem & „Pium IV. qui noctes, & dies unice co„gitat, quomodo tranquillitatem, pa„cemque Eccleſiæ univerſæ, ſalutem „omnium Chriſtianorum, impietatis ever„ſionem, pietatis incrementum pro„curare poſſit.„ Ceterum die vigeſima ejusdem Menſis Martii Helvetiorum Orator, necnon Joachimus Abbas in Synodo recipiebantur, pro quibus Adamantius Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini alumnus verba faciens hæc expoſuit: *Conſules Septem pagorum pro eo, ac decet Eccleſiæ filios, miſerunt oratores, qui Synodo adeſſent, ac obedientiam ſponderent, notumque facerent omnibus, ſe ſtudio propa-*

Labbe pag. 193. Pal. lib. 16 c. 2. 6. 5.

propagandæ Sedis Romanæ nulli cedere nationi, nam idipsum fecerunt testatum Julii II. & Leonis X. temporibus, præcipue vero tunc, quando cum pagis vicinis pro Religione decertarunt, cæso Zwinglio nefandissimo Ecclesiæ hoste. Ad hæc respondit Promotor: *Helveticæ gentis erga Sedem Apostolicam pietatis officia, & promerita multa sunt, eaque maxima,* sed nullum obsequium, aut officium *præstari potuisset opportunius, quam sit hæc legatio, tam prolixam benevolentiam deferens Synodo, quæ adventu vestro multum recreatur, & præter spem, quam in Cæsaris, Regum, ac Christianorum Principum præsidio collocat, etiam laudatissimæ huic nationi plurimum confidit.* Sæcul. XVI. A.C. 1562.

§. XXXVIII.

Contentio de sedis prærogativa inter Helvetiorum Oratorem, & Florentiæ Legatum.

Accepto hoc responso Helvetiorum Orator proximus Legato Veneto, prout a suis Dominis erat jussus, in Synodo consedere voluit: cum vero Florentiæ Ducis Orator obsisteret, palam testabatur, se protinus discessurum, nisi ei sedes suo ordini congrua assignaretur; porro hanc litem ita, ut utrique parti satisfieret, componere haud exigui moliminis *Pallav. n. 5. lit. Legat. ad Borrom. 1562. resp. Legat. ad Borrom. 30. Martii 1562.*

Sæcul. XVI. A. C. 1562.

limitis res erat, quapropter Legati datis ad Papam literis de hoc dissidio eundem certiorem reddebant, supplices, ut Florentiæ Ducem eo induceret, quatenus pro Religionis bono Helvetiorum Oratori cederet, cum id plus ipsi gloriæ conciliaret, ac quævis prærogativa, quam ejus Legatus ex hac contentione reportare speraret: itaque summus Pontifex missis ad Ducem literis, eidem, cum fidei utilitas urgeret, cedendi necessitatem tam gravibus verbis exponebat, ut Dux suo mandaret Oratori, ne solemnibus functionibus interesset unacum Helvetiorum Oratore, sed cum tempus ad eas celebrandas adventaret, occasione perhonesta quæsita Tridento discederet, & propinguis in locis moraretur extra urbem.

§. XXXIX.

Dudithi, seu Dudizii Titinienſis Episcopi Historia.

Thuan. hist. lib. 32. 56. & seq.

Peractis paschalibus festis die sexta Aprilis alia habebatur congregatio, in qua duo Cleri Hungarici Oratores excipiebantur, iique erant Joannes Colosvarinus Dominicanus, & Andreas Dudithius, vulgo Sbardellatus dictus, eoquod ejus Mater, quæ Nobilis erat Veneta, hoc nomen gereret. Erat is Titinni in quadam Croatiæ Urbe Episcopus,

Sæcul. XVI. A.C 1562.

scopus, Vir non modo generis nobilitate, sed etiam ingenii acie, judicii soliditate, atque eruditionis eminentia clarissimus, qui raram latini sermonis elegantiam calamo, ac linqua ubique prodebat, atque in rebus etiam difficillimis feliciter expediendis ingenti prudentia, ac dexteritate pollebat, suaque lenitate, morumque probitate omnium, quibus notus erat, amicitiam, ac venerationem sibi conciliabat: porro hic idem primam lucem aspexit Budæ, seu potius in arce huic urbi proxima Mense Februario, Anno post Christum natum millesimo quingentesimo trigesimo tertio, vel juxta alios trigesimo septimo, patremque habebat Hieronymum Dudithium Nobilem, ac Ladislai Hungariæ Regis Consiliarium: vix vero infantiam egressus mox ob ingenii aciem, ac fœcundam imaginandi facultatem, necnon memoriæ felicitatem, cunctasque necessarias animi dotes in spem celeberrimi Viri adoleverat, atque a patre suo utpote catholico in Ecclesiæ Romanæ unitate educabatur, quo tamen prima juventute sua orbatus ab Avunculo suo, qui primo Episcopus Vacziensis, & dein Strigoniensis Archipræsul erat, liberaliter instituebatur.

Omery observat. select. tom. 5.

Sandius Bibl. Antitrinit. p. 61. & seq.

Postea ab eodem Archiepiscopo ad Vratislaviensem Universitatem mittebatur,

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

tur, ut ibidem humanioribus literis imbutus Pauli Manutii, Franciſci Roborteli, Sigonii, Panvini, & Victorii magiſterio uteretur, ubi præcipue ſub Manutio tantum in literis progreſſum fecerat, ut hic ſummæ gloriæ ſibi duceret, quod in literis ſuis ad Amicos datis honorificam de Andrea Dudithio mentionem facere, illumque tanquam clariſſimum ſui ævi lumen deprædicare poſſet. Andreas inter omnes Auctores ſibi maxime familiarem reddebat Ciceronem, cujus omnia opera trina etiam vice proprio ſuo chirographo tranſcripſerat. Fertur quoque, quod eo tempore, quo Patavii ſtudiis vacabat, Stephanus Batorius, poſtea Poloniæ Rex, pariter ibidem literis operam dederit, atque inter eos odium, ſeu potius ſecreta quædam æmulatio invaluerit, quæ poſtea creſcentibus annis ſemper fuerit aucta: dein Andreas Lutetiam Pariſiorum delatus ibidem Philoſophiæ Magiſtrum habebat celebrem Vicomercatum, ſub Angelo autem Caninio Doctore idioma Græcum, & ſub Mercerio Hæbraicum, linquasque Orientales didicerat: omnibus igitur hiſce ſcientiis imbutus rediit, a ſuo Avunculo Patavium revocatus, ut ibidem denuo Philoſophicis diſciplinis ſub Magiſtro Guidone Pancirolla operam navaret

varet: percurso autem studiorum curriculo unacum Cardinale Polo Legato a Latere in Angliam venit, ubi hujus Cardinalis vitam a Ludovico Beccatello eleganter italice scriptam puriori latinitate donabat, atque ad Elisabetham Principem, quæ tunc nondum erat Regina, vocatus, illius benevolentiam dextere sibi conciliabat. Postea aliquamdiu in hoc regno commoratus in patriam reversus est, ac vix eo delatus Strigoniensi Canonicatu, & Oberbadensi Præpositura honorabatur, verum haud diu ibidem substitit; cum enim in Italia pluribus Viris doctissimis arcta amicitia junctus esset, tertio itinere ad hanc regionem revertebatur, ibidemque crisin in Herodotis, & Thucydidis historiam publici juris fecit, quod opus a Viris rerum peritis plurimi habetur: ibi Andreas non modo Italos, sed & Gallos venerabatur, suumque in illos affectum testaturus in Franciam venit, Florentiæ Ducis commendatitiis literis ad Catharinam Medicæam instructus, quam etiam Italo sermone tanta civilitate salutabat, ut Regina Viri facundiam admirata vix capere posset, quod exterus, & quidem Hungarus cum tanta facilitate tam præclaram Italam orationem proferre valeret.

Sæcul. XVI. A. C. 1562.

Postea

Sæcul. XVI. A C 1562.

Postea in Germaniam profectus ab universa Viennensi Aula in summo honore habebatur, atque in eum Ferdinandus Imperator tanto ferebatur affectu, ut illum anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo Tinini, seu Knini cujusdam in Croatia urbis Episcopum, & secretioris Concilii Ministrum crearet, simulque Legatum ad Sigismundum Augustum Poloniæ Regem decerneret: cum autem in hujus Monarchæ aula vitæ licentia impune grassaretur, ac Religio Catholica vix cognita esset, hinc tam ob crebrum cum Aulicis commercium, quam frequens, quod cum hæreticis fovere cogebatur, consortium a vitæ suæ integritate deficere cæpit, præcipue vero cæco corruptus affectu, quo Sophiam Genisellam ex Strazziorum, seu Straffonum genere ortam, puellam inter honorarias aulæ Virgines omnibus numeris absolutissimam deperibat, eamque ad illicitam societatem pertrahere nitebatur, quæ tamen illo sanior omnes ejus illecebras elusit, ac duntaxat ei nuptias obtulit, ea tamen lege, ut tam suis beneficiis, quam Religioni orthodoxæ nuntium mitteret.

§. XL.

Sæcul. XVI. A. C. 1562.

§. XL.

Dudithius Hungarici Cleri nomine ad Tridentinam Synodum ablegatus.

Verum Dudithius aliis rationibus a tanto ſcelere abſterritus ad ſuum Epiſcopatum rediit, ab Hungariæ Clero nominatus, ut ejus nomine Tridentinæ Synodo intereſſet: hoc itaque munere auctus ſperabat, fore, ut ſuæ eloquentiæ vi, ac rationum pondere Synodi Patres ad connubii uſum Sacerdotibus permittendum inducere valeret: quapropter ad Concilium admiſſus hac de re agere cæperat, necnon oratione habita cum tanta eloquentia, ut omnium Patrum admirationem in ſe raperet, hæc effatus eſt: „Archiepiſcopus Strigonienſis, Epiſcopi, & univerſus Regni „Hungariæ Clerus triplici nomine ſumma perfuſi ſunt lætitia, nimirum ob „Pium IV. ad ſummum Eccleſiæ faſtigium adſcitum; II. propter Concilium Tridenti convocatum, III denique ob ejusmodi legatos Apoſtolicos ad id a Papa ſelectos. Dein Hungariæ Præſulum erga Eccleſiam Catholicam obſervantia laudata, Cardinalem Warmienſem, qui cum illis verſatus fuerat, & eosdem noverat, illius obſequii teſtem addu-

Pallav. c. 2. n. 6. Sarpius l. 6. p. 486.

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

adducebat, atque nationis universæ pietatem commendabat, cum hæc armis Turcarum fortiter se objectans de reliquo orbe Christiano optime mereretur: insuper singularem Episcoporum in resistendo hæreticorum machinationibus industriam deprædicabat, & communi Antistites omnes voto, ut Concilio Tridentino ipsi interesse possent, expetivisse narrabat, quamvis graves, quo minus venirent, obstarent Regni necessitates, quæ præsentiam eorum requirunt, ut propugnacula, quæ sunt in confinibus, ab incursionibus Turcarum tuerentur, atque excubarent adversus hæreticos: tandem sermonem suum concluſit, ita inquiens: Hi iidem Hungariæ Præsules officium suum per me, meumque socium Canadiensem Episcopum palam facere volunt, nosque ablegarunt, ut per nos ad Synodi patrocinium tanquam tutum perfugium se reciperent, atque ad ejus decreta accipienda, observandaque summam animi promptitudinem offerrent.

Hæc oratio ab omnibus Synodi Patribus cum tanto applausu excipiebatur, ut Legati ad Borromæum Cardinalem perscriberent, quod nullum unquam ampliori facundiæ ubertate differentem percepissent, &, quamvis Orator omne tempus aliis Synodi negotiis destinatum

natum huic conventui ademisset, id tamen Patres neutiquam animadvertissent. Porro ad Oratoris sermonem Promotor hæc respondit: „satis comperta „est Patribus Ecclesiæ Hungaricæ ob „Synodum Generalem Tridenti convocatam gratulatio: id vero superest, ut „assiduis Deum precibus de felici ejusdem eventu interpellent: equidem Pa„tres optassent, ut Præsulum ejus na„tionis adspectu coram frui possent, sed „quando nimis justas ipsis esse absentiæ „causas etiam Cardinalis Warmiensis „testimonio constet, excusationem ad„mittunt, sperantes, Religionem Chri„stianam nihilo minorem ex illorum in „propriis Ecclesiis præsentia fructum „percepturam, eoque magis, quod vobis „Oratoribus, qui estis Patres optimi, ac „Religiosissimi, negotia, actionesque „suas commendarint: Synodus igitur „vos & mandata a vobis exhibita liben„ter amplectitur.„ Sæcul. XVI. A.C. 1562.

§. XLI.

Synodi obstacula a Cæsare sublata.

Cum interea Dracovitius Hangariæ Orator fidem feciſſet, Imperii comitia Francofordiæ nonnisi circa Mensem Augustum esse celebranda, jamjam Legati in eo erant, ut ad Delphinum Papæ Nuntium ablegarent quemdam depu- *Pallav. l. 16. c. 3. n. 1.*

Sæc XVI. A C 1562.

deputatum, qui Cæsarem exoraret, ne Synodi progressus sisteret: verum ea sollicitudo erat supervacanea; jam enim Nuntius acceptis Legatorum, ac Papæ literis Imperatori exposuerat, quod tot Episcopos Tridenti sine caussa detineri, oppido molestum esset, indeque eorum Ecclesiis non leve inferretur damnum. His rationibus Ferdinandus mox acquiescens respondit, quod quidem decisiones differri postulasset, cum id æquum, honestumque censuisset, cum autem Patres æquioribus, quam suæ forent, rationibus inniterentur, in hoc quoque suæ conscientiæ præcepta libere exequi valerent.

Faustum hoc nuntium ad Legatos, ceterosque Synodi Patres eo ipso deferebatur tempore, cum scriptas a Carolo IX. Rege literas non sine minori animi lætitia acciperent: porro ipsum hujus epistolæ authographum Rex ad Insulanum Oratorem suum Romam dirigebat, atque significabat, quod cunctis dissidiis, quæ circa Synodi continuationem Tridenti fuerant exorta, parum anxius reddatur, sibique perinde sit, an Concilium continuatum, vel recens convocatum dicatur, cum omnium dissensionum, quæ circa Religionem in suo Regno fuerant suscitatæ, decisionem ad Synodum remittere statuerit, dummodo

do ea, quæ exſpectat, quibusve Francia indiget, emolumenta inde ſperare valeat. Hæc poſtrema Regis verba Legatis metum incutiebant, ne forte Rex adjecta hac conditione indicare voluerit, articulos jam deciſos novo examini eſſe ſubjiciendos, eoquod Franciæ tumultus æque contra articulos jam Seſſionibus prioribus deciſos, quam adhuc decidendos ab hæreticis fuiſſent ſuſcitati, rei tamen eventus timorem diſſipabat. Sæcul. XVI. A.C. 1562.

§. XLII.

Papæ epiſtolæ ad Legatum ſuum in Francia.

Summus Pontifex depulſo metu Cardinali Borromæo negotium dabat, ut ad ſuum in Francia Legatum ita perſcriberet: „comprobata tua prudentia, agendique ratione ratam inſuper „habeo tuam abſentiam a Senatu Regis, cui tamen a conſilio es: cum ergo „id jam antea pro conſervando Religionis Catholicæ bono te feciſſe nuntiatum ſit, ſic iterato tibi præcipio, ne „unquam ejusmodi conventibus interſis, „ne tuum converſandi modum calumniantium opprobriis exponas:„ cum autem Ferrarienſis Cardinalis hoc Papæ monitum objurgationis loco haberet, eoquod ipſe Poſſiacenſi colloquio *Pall. c. 2. n. 3. & 4.*

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

præsens adfuisset, hinc summo Pontifici his respondit: „ Sanctitatis vestræ jussa „exequi, semper mihi cordi fuit: de ce„tero autem, ubi gravissima incidit ne„cessitas, mihi persuasum habeo, quod „prudens fuerit consilium obtrectantis „populi calumnias, earumque discrimen „subeundi, ut mala, quæ secus immine„rent, evitentur: simili quoque necessi„tate adactus Possiacensi colloquio inter„fui, facile autem a Doctoribus Catholi„cis explorari potest, quantum roboris, „ac constantiæ ex mea præsentia iidem„met Doctores hauserint, ut sese hære„ticis opponere, veritatemque tueri au„derent. „

§. XLIII.

Navarræ Rex spe lucri Catholicis favens.

Pall. n. 5. & 6.

Interim Antonius Borbonius Navarræ Rex Catholicis semper sese propensum præseferebat, spe concepta, quod hac ratione ad Pontificis preces ab Hispaniæ Rege non modo Navarrici Regni injuste abrepti compensationem, sed etiam Avenionensem Legationem fratri suo Borbonio Cardinali, qui eam enixe petebat, impetrare possit: quapropter hac potissimum ratione impulsus tanquam Regni Vicarius promulgato edicto præceperat, ut omnes Parisienses, qui

qui novæ sectæ nomen dedissent, arma ponerent, si vero id recusarent, ex urbe excederent. Hoc edictum Hæreticis summopere displicuit, eorumque plures abiere, quos inter præcipuus erat Condæus Princeps Navarræ Regis Frater, qui cum quingentis suæ factionis hominibus inde discessit. Sæc. XVI. A.C. 1562.

Pariter Joanna Albreta Navarræ Regis conjux secesserat, cujus tamen Filium natu majorem illius Maritus in fidei Orthodoxæ præceptis imbui sedulo curabat: verum frustranea erat illius sollicitudo; quippe inter cetera, quibus Navarræ Regem ad sua studia pertrahere tentabant Catholici, media erat quoque facta spes cujusdam diplomatis Roma obtinendi, vi cujus repudiata Joanna Albreta hæretica sibi desponsare posset Mariam Stuartam Francisci II. viduam, quibus nuptiis non modo Scotiæ, sed & Angliæ Regnum, cujus proxima hæres esset, aquirere valeret (*): insu-

(*) Navarræ Regem obtinendæ dispensationis spe fuisse pellectum, aut de conciliando hoc connubio, illiusque uxoris repudio unquam actum fuisse, altum est apud Scriptores silentium: perperam igitur hæc conficta sunt a Continuatore, qui minus fideliter allegat Pallavicinum, cum tamen ille non de Navar-

Sæcul. XVI. A. C. 1562.

insuper eidem promittebatur, quod Hispaniæ Rex ei Sardiniæ Insulas cessurus esset: ast Navarræ Rex de Joanna Albreta repudianda nunquam sibi mentionem fieri patiebatur: aliunde vero ceteræ spes, quibus lactabatur, solidis erant destitutæ rationibus.

§. XLIV.

Sabrinense colloquium inter Guisium Ducem, Cardinalem Lotharingium, & Wirtembergæ Ducem.

Thuan. l. 29. Mezeray chron. abregé t. 6. p. 67. Belc. comm. l. 29. n. 79.

Cum Condæus Princeps, & Colinius maris Præfectus potissimum fœdus adversus se conflari perciperent, a Germaniæ hæreticis opem, præsidiumque petebant: re autem comperta Guisius Dux, ejusque frater Cardinalis Lotharingius

ræ Regis, sed de illis consobrinæ connubio mentionem facit. n. 7. his verbis: *Nova præterea parabatur affinitas, profutura conciliandæ Antonii, multorumque Galliæ Procerum gratiæ, ad prosperum Concilii progressum: ea erat conjugium, quod agitabatur, ac postea confectum est, inter ejusdem Antonii Sobrinam, viduam relictam Ducis Novioduni, amplæ ditionis hæredem, & Ludovicum Ducis Mantuani fratrem, & nepotem ex fratre Cardinalis, in quem tanquam primum inter Synodi Præsides filium moliminis præcipua gloria recidebat.*

ringius hæc Germanorum auxilia impedire nitebantur, hacque de re Sabrinam, urbem in Argentinenſis Epiſcopi Diœceſi ſitam veniebant, quem etiam locum acceſſerat Wirtembergenſis Dux, eo uſus obtentu, quod in Montis Pelicardi oppido ſuorum parentum quempiam viſum iviſſet. Protrahebatur ibi horum conſultatio ad tertium quoque diem, ubi nil intentatum relinquebatur, ut Lutheranis magni Calviniſtarum progreſſus in Francia ſuſpecti rederentur, eisque perſuaſum fieret, quod Calvini ſecta ideo impugnaretur, ut poſtea Lutherani, cum nondum tantopere a Catholicis ſejuncti eſſent, vi lenitatis Sedi Apoſtolicæ rurſus conciliarentur: quapropter Lotharingii Principes rogarunt Wirtembergenſem Ducem, ut hac in re ſuam impenderet operam, ac Germaniæ Principes eo induceret, quatenus ipſorum conſilia æqui, bonique conſulant. Sæcul. XVI. A. C. 1562.

§. XLV.

Lotharingii Cardinalis oratio pro Confeſſione Auguſtana.

Adducebat ſecum Wirtembergæ Dux Joannem Brentium, & Jacobum Andream in Germania accerrimos Auguſtanæ Confeſſionis defenſores, quos tamen Lotharingius Cardinalis facili negotio

Sæcul. XVI. A. C. 1562.

gotio ſibi conciliabat: ſe enim Theologiæ ſcholaſticæ unice eo fine operam dediſſe ſimulabat, ut illam eo ſolidius damnare poſſet (*) demum illos ita alloquebatur: „ſemper in Poſſiacenſi col„loquio Calviniſtis confeſſionem Augu„ſtanam ob oculos poſueram, illosque „inducere conabar, ut illam reciperent: „verum in ea acceptanda majorem, „quam in agnoſcenda ſummi Pontificis „auctoritate, repugnantiam exere„bant (**) equidem conjici haud licet, „unde odium adeo iniquum, ac pertinax „ortum ſuum trahat, niſi ſuſpicioni lo„cus detur, quod Calviniſtæ non tam „doctrinæ emendationem, ac primævæ „diſciplinæ reſtaurationem urgeant, „quam ſparſo per Helvetiam perverſa„ſarum

Thuan. l. c.

(*) Nequiter a Continuatore hæc referri obſervandum eſt, cum Thuanus, quem allegat, nec hanc ſimulationem a Lotharingio Cardinale fuiſſe factam, nec illum de Theologia Scholaſtica mentionem feciſſe referat.

(**) Hæc rurſus Continuator de ſuo adjecit, ut commentum ſuum, comprobatum redderet, quo in priori §. Lotharingios eo intentos fuiſſe fingebat, ut Lutherani ad ſinum Eccleſiæ facile reverſuri crederentur a Calviniſtis. Legatur ipſe Thuanus, & patebit Continuatoris mala fides.

„rum opinionum veneno Germaniam „novis tumultibus involvere quærant, „nam id jam Daniæ Rex provide præ„senserat: eapropter per Legatum suum „nuper Navarræ Regi significabat, se „quidem summopere, quod emendandæ „Religionis negotio in Galliis incumbe„ret, lætari, sed plurimum etiam vere„ri, ne Galli hæretici ad Zwinglianam, „& Genevensem sectam sua studia con„verterent, cum idem quoque vel ma„xime metuendum sit Germaniæ Prin„cipibus, si enim Francia Calviniста„rum hæresi penitus corrupta evaderet, „tunc enim certo eventurum, ut eorum „secta prævaleret, ac proin Genevensis „confessio Augustanæ superior fieret:„ Ex his inferebat Cardinalis, quod Rex Christianissimus, si Principes Protestantes ad Zwinglii sectam in Galliis supprimendam sua auxilia conferre vellent, absque omni difficultate concessurus esset, ut Regni sui Ecclesiæ juncta cum Lutheranis opera emendarentur. (*).

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

§. XLVI.

(*) Hæc Continuator ex odio Principum Guisiorum, qui tamen ferme soli Religionem Catholicam in Galliis pene extinctam conservare nitebantur, falso exposuit, sed improvido prorsus consilio, non animadvertens, quod hac narratione Regi Christianissimo, totique

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

§. XLVI.

Wirtembergici Ducis promissa utrique Principi facta.

Thuan. l. c. Hoc sermone ambo Lutheranorum Ministri expugnabantur, cumque sua ingenii perspicacia haud obscure cognoscerent, quod Cardinalis unice exoptet, ut nec Wirtembergicus Dux, nec ceteri Principes Protestantes bello contra Calvinistas in Galliis adornando sese implicarent, hinc tam validis rationum momentis Ducem adoriebantur, ut Guisio Duci, ejusque Fratri Cardinali fidem daret, quod cuncta ab eis proposita rata habeat, atque apud suæ factionis homines id effecturus sit, ut Genevensem Confessionem, quæ procul dubio magnos tumultus excitatura esset, in Galliis recipi præpedirent, ea tamen lege, ut emendandæ Religionis negotium simul promoveretur, nec interea mulctis, aut proscriptionibus, & suppliciis in eos, qui a Pontificis obsequio defeciissent, ageretur. Hoc colloquio ambo Lotharingii Principes admodum contenti Jonvillam

---

nationi Gallicæ maximam labem inusserit, ac sibimetipsi repugnaverit, cum variis in locis immotum Franciæ obsequium erga Romanam Ecclesiam, ac fidei Orthodoxæ conservandæ studium plenis buccis deprædicaret.

villam, ubi aliquamdiu subsistere decreverant, revertebantur; cum autem Guisius Dux literis a Navarræ Rege acceptis rogaretur, ut in aulam quamprimum rediret, eoquod ejus præsentia oppido necessaria esset, hinc quantocius sese itineri accinxit. Sæc. XVI. A. C. 1562.

§. XLVII.

Vassiacensium, & Guisianorum dissidia.

Interea casu res accidit, quæ rebus ad apertam rebellionem inclinantibus ingens momentum attulit, belloque civili initium dedit: erat enim in Campaniæ finibus in Catalaunensi Diœcesi exiguum oppidum nomine Vassiacum altis mœnibus munitum, ac Calvomontii in Bassigniacensi agro Præfectura, & præsidiali Curia ornatum: porro hujus oppidi incolæ querebantur, quod plerique pagi, ut Jonvillæ Principatus amplificaretur, avulsi fuissent. Ceterum in hac urbe jam tum publice a Protestantibus habebantur conciones, ipsorumque ritu in quodam loco prope Ecclesiam Cœna administrabatur, ad quam quandoque plusquam mille ducenti hæretici confluebant: cum vero proprium Ministrum nondum haberent, quemdam Trecis, ubi Episcopus Calvinistis aperte favebat, accersebant: tunc autem Leo- *Thuan. l. c. Aubigné l. 3. cap. 1. Belcar. l. c.*

Sæcul. XVI. A. C. 1562

nardus Morellus Geneva missus advenerat: attamen loci Præfectus, Parochus, ac Prior, cum nuperum edictum adeo manifeste violari ægerrime ferrent, de hac temeritate coram Catalaunensi Episcopo querebantur, qui etiam mox eo profectus est, adducto secum magni nominis Theologo, qui hunc Ministellum de suo errore convinceret.

Ergo movetur controversia de vocatione, manuumque impositione: ast hujus hæretici pertinacia frangi haud poterat, cum igitur Catholici cives hujus Ministri petulantiam per Episcopum cohiberi haud posse cernerent, questum venerunt ad Antoniam Borboniam Guisii Ducis viduam, quæ cum fœmina esset virtutum laude illustris, veræque Religionis studiosissima, suamque viciniam Vassiacensibus hisce conciliabulis pollui tolerare nollet, hinc Duci Filio suo nimiam ejusmodi indulgentiam, qua & Deus offenderetur, & ipsius existimatio læderetur, acrius exprobrabat: eapropter Guisius Dux unacum Filio suo, Cardinale suo Fratre, & Brossio die ultima Februarii Vassiacum venit, ibidemque pernoctavit, & altera die prima Martii circa horam nonam matutinam Ecclesiam adiit, ubi ejusdem Sacellanus rem divinam peragebat: verum vix sacrum operari cæperat, cum illico

illico Calviniſtæ, quorum delubrum erat ſat vicinum, ritu ſuo pſalmos intonarent, quin tamen innoteſceret, utrum id caſu, vel conſilio, ac malitia feciſſent, adeo tamen confuſa, & incondita voce clamabant, ut Dux ſuas preces interrumpere coactus peteret, quatenus ſaltem per horæ quadrantem a ſua vociferatione ceſſarent, data fide, quod poſtea ſuos cantus, quamprimum Miſſæ, cui intererat, ſacrificium eſſet peractum, libere proſequi valerent: aſt Calviniſtæ adeo non ſuos clamores continebant, ut etiam elatiori adhuc voce cantarent, ac reſponſi loco nil niſi cachinos, atque injurias Duci rependerent: Sæcul. XVI. A.C. 1562.

Cum autem duo Ducis Ephebi natione Germani, quorum unus venatorium ſclopetum, alter vero duos manuales Heri ſui ſclopos portabat, tantam hæreticorum inſolentiam ferre non poſſent, ad concionis locum accurrerunt, cumque armati eſſent, ceteri quoque famuli inde animoſiores facti illos ſequebantur, quin tamen aliud adverſus hoſce hæreticos molirentur, niſi quod ante fores clamarent, in hoc templo congregatos eſſe perfidos, ac Deo, Regique ſuo rebelles: aſt cum Proteſtantes nil niſi contumelias in eos effunderent, hinc Ephebi cum ceteris fores effringebant, unde tantus oriebatur

tur

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

tur tumultus, ut Principes veriti, ne eorum domeſtici majori Calviniſtarum in templo congregatorum numero ſuccumberent, illis opem laturi accurrerent, ac præprimis Guiſius Dux, cum ex mulierum, ac infantium ejulatu, quid rei ſubeſſet, facile intelligeret, a Miſſæ Sacrificio diſcedens ad ſani portam ſtricto enſe advolabat: attamen vix eo delatus erat, cum illico lapidis jactu in genu, vel ut alii volunt, in manu vulneraretur, quamvis vero leviter ſaucius eſſet, tam copioſe tamen ſanguis ex vulnere profluebat, ut ejus domeſtici in rabiem acti, nequidem exſpectato Domini ſui mandato in templum irruerent, trucidatisque circiter ſexaginta hæreticis ducentos ferme vulnerarent, quamvis Guiſius Dux precibus, ac minis inſtaret, altaque voce neminem lædi præciperet. Poſtea Morellus Miniſter captus ad Sancti Deſiderii oppidum abducitur, ſimulque ſcamna, ac pulpitum confringuntur, quædam biblia gallica dilacerantur, ac quædam etiam ædes vicinæ ſpoliantur.

His peractis Dux Rhemos iter ſuum proſequebatur, tumultuque ſedato Beza Moncellum voluptuarium Regis prædium Briæ ſitum venit, qui de hac cæde coram Rege, ejusque Matre Regina queſtus, tanta arrogantia, ut potius minari,

nari, quam precari videretur, pœnas sumi postulabat: Verum a Navarræ Rege responsum, quod Calviniſtæ primi seditioni causſam dediſſent, cum armati Vaſſiacenſem conventum habuiſſent, violantes edictum Menſe Januario promulgatum, vi cujus arma in cætibus deferre ſevere prohibebantur: at Beza hæc repoſuit: „dum viri prudentes „arma geſtant, ſecum pacis ſecuritatem „afferunt.„ Nec his contentus, adverſus Ducis vitam minas quoque evomuiſſe dicitur, quas etiam poſtea inhumana crudelitate executus eſt. Sæcul. XVI. A.C. 1562.

§. XLVIII.

Guiſius Dux Lutetiam Pariſiorum delatus.

Cum hæc interea gererentur, Guiſius Dux haud ſalutato Rege Pariſios venit, & quamvis Regina comperto Vaſſiacenſi tumultu nullum non moviſſet lapidem, ut Ducem præpediret, ne Aulam, imo nequidem hanc Metropolim adiret, nihilominus per Sancti Dionyſii portam urbem ingrediebatur, comitantibus eum Montmorentio Conneſtabili, Aumalio Duce ejus fratre, & San-andreano Mareſcallo. Adventanti obviam ibant Mercatorum Præfectus, urbisque ædiles, populus vero feſtiva voce ubique clamabat: *Vivat Guiſius:* id vero Regi- *Thuan. l. c.*

na

Sæcul. XVI. A.C.1562.

na iniquo ferebat animo, quid consilii caperet, ignara; cum enim vereretur, ne Triumviri sub veræ Religionis contra sectarios vindicandæ prætextu summum quoque imperium, cujus ipsa maximopere tenax erat, sibi arrogarent, & Regem, ipsamque captam abducerent, hinc Regem, semetipsam ejus Matrem, liberos, atque universum Regnum Condæo Principi commendabat, eum sæpius hortata, ut hostium suorum conatus totis viribus impediret, quam in rem ut majorem enixæ suæ voluntatis, ac fiduciæ in eum repositæ fidem ei testatam redderet, plures ad illum literas dabat, clam tamen id faciebat, ut promotæ spuriæ Religionis calumniam a se amoveret, nec Nobilium, populique invidia prævalente, Regni administrationem amitteret.

§. XLIX.

Regina unacum Filio suo Rege Melodunum profuga.

Thuan. l. 29.

Interim Regina haud parum verita, ne Condæus Princeps confidentiam incautius testatam in rem suam verteret, suæ securitati consulere, ac Regem abducere toto conatu moliebatur, ne Triumviri subolentes, quod illa sese Condæi Principis præsidio committere moliretur, eam prævenirent, captamque abstra-

abstraherent: eapropter omnem inopinatum insultum præpeditura sese unacum Rege Filio suo Meloduni includebat, quem in locum etiam Navarræ Rex contendebat, ubi pariter Merlæus Mercatorum Præfectus unacum quodam Ædili Reginam salutatum venerat, ac periculum, quod tam Metropoli, quam suis immineret, exposuit, significans, quod Condæus Princeps in eadem Parisiensi civitate tum commorans datis ad omnes inveteratos Calvinistas literis eos illuc convolare jussisset, proin necessarium foret, ut Rex Parisios rediret, eo potissimum nomine, quod haud vana esset suspicio, hujus Metropolis expugnationem a Condæo Principe agitari; nihil igitur in hac rerum vicissitudine magis expeditum dicebat, nisi ut Rex arma, quæ Montmorantii Marescalli jussu ad urbis Prætorium fuere asportata, civibus reddantur. Ad hæc, quid respondendum, satis anxia hærebat regni Administratrix, Cancellarii tamen consilium secuta pollicebatur, quod intra paucos dies Regem Parisios reducere vellet, spe freta, fors interea rerum faciem ita mutatum iri, ut fidem datam exsolvere haud amplius adstringeretur: ergo Montmorentio negotium dabat, ut arma civibus redderet, ipsa vero, ut se ab omni metu liberam

Sæcul. XVI. A C. 1562.

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

beram ostenderet, Fontem-bellaqueum contendit, ubi acceptis Condæi Principis literis certior reddebatur, quod in Aurelianensi urbe firma cudissent auxilia, quæ conscenso equo nunc exequi pararet: ubi etiam, si ipsa Regem eo conducere vellet, tota Aula contra Triumvirorum ausus tutum asylum repertura esset. Verum hujus moliminis executio haud adeo expedita erat.

§. L.

Rex in Triumvirorum potestatem redactus, ac Parisios abductus.

Thuan. l. c. Mezer. hist. de France tom. 2. abreg. chron. tom. 5. p. 85. Belc. comm. l. 29. n. 39.

Navarræ Rex præprimis custodes assignabat, qui Reginam Fontebellaqueo exire prohibebant, & postea ipsemet quantocius Parisios contendit, ubi urbis administratione Montmorentio Connestabilis Filio ablata eam Borbonio Cardinali conferri jussit. Sub idem tempus Marlæus, atque Ædiles rursus quingentorum militum præsidium in urbem recipiebant, quod tamen, cum adhuc Montmorantius civitati præerat, facere recusabant: Regina vero consilii inops utramque partem pari favore complecti nitebatur, cum Triumviri haud abs re suspicarentur, ne Condæus Princeps, cum jamjam S. Claudii pontem pertransiisset, Regem in suam potestatem redigere moliretur, ut hac ratione æquam

æquam belli, quod movere intenderat, cauſſam obtendere poſſet. Verum Navarræ Rex Guiſii Ducis, ac Montmorentii Conneſtabilis ſollicitatione animatus Fontembellaqueum petiit, ubi in ſacra hebdomada adveniens itineris ſui cauſſam Reginæ expoſuit, rogans, ut Regem Pariſios, utpote locum oppido ſecurum, abduci permitteret. Regina hac declaratione plurimum quidem commota nihilominus cedere cogebatur, unde prærepto etiam conſultandi ſpatio confeſtim Navarræ Rex juvenem Regem Melodunum abduxit: Regina quidem, quæ Filium ſuum comitari jubebatur, eundem ſequebatur vultu ad tantam ſerenitatem ſtudioſe compoſito, ut nullum triſtitiæ ſignum proderet, Rex autem juvenis dolorem ſuum diſſimulare haud poterat, ſed puerilibus lacrimis ubertim effuſis teſtabatur, quod ſe per vim veluti in captivitatem abſtrahi iniquo ferret animo: altera autem die Vincennas delatus, ſequenti die Lutetiam Pariſiorum venit. Hac itaque ratione pro cauſſæ æquitate pugnaſſe credebantur, atque in adverſam Proteſtantium partem rebellionis macula fuit rejecta, a qua etiam nullo unquam obtentu ſeſe purgare poterant.

Sæc. XVI. A. C. 1562.

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

§. LI.

Aurelia a Condæo Principe capta.

Thuan. l. 29.
Belcar. l. 29.

Cum ergo Condæus Princeps Regem sub potenti Catholicorum præsidio tutum Parisiis commorari perciperet, suam factionem certæ ruinæ proximam credebat, nisi clandestina, quæ cum Aurelianensibus fovebat, consilia ipsi præsentaneum suppeditarent auxilium, cujus beneficio mox urbem capere posset: ergo paulatim quosdam partim Mercatorum, partium rusticorum vestes indutos in urbem immittit, quo etiam Andelotus cum exigua militum manu irrepserat: Protestantes vero e latebris erumpentes mox huc, illucque discurrere, ac per domos suos cœtus agere cæperant, ac Sancti Joannis porta tandem occupata, illam suorum trecentis muniebant. Sub idem quoque tempus Monterudius, qui absente Principe de Rupe ad Yonem Præfecti vices agebat, confestim illuc accurrebat, irrito tamen conatu; quippe Andelotus, qui hucusque latuerat, prodibat, & Calvinistarum molimina tuebatur: Condæum vero Principem, ne pariter advolaret, sed Angervillæ adhuc subsisteret, remorabantur crebri Nuntii a Regina submissi, per quos illum hortabatur, ne in tam funesta rerum vicissitudine ipsam,

Regem-

Regemque derelinqueret: verum Princeps ab Andeloto perſuaſus protinus unacum plusquam duobus equitum millibus advenit, urbemque Aurelianenſem ingreſſus eſt; quapropter Monterudius ſeſe recipere cogebatur, obtenta prius a Rege diſcedendi venia. Hæc geſta fuere die ſecunda Aprilis. Sæcul. XVI. A.C. 1562.

§. LII.

Condæus Princeps bellum a ſe motum vindicare conatus.

Sub idem tempus Condæus Princeps die ſeptima ejusdem Menſis literas dabat ad omnes Proteſtantium Eccleſias per univerſum regnum ſparſas, quarum numerus tum ad duo millia ac quingentas aſcendebat, prout ipſemet Caſtillonæus maris Præfectus Reginæ nuntiaverat: ab his igitur ſectariis Condæus non modo militum, ſed & pecuniarum ſuppetias petebat, necnon quosdam ex ſuis Nobilibus ablegabat, qui, quiquid virium eſſet, ad ſe conducerent: ad hæc acceſſerunt quoque Miniſtrorum literæ ex Aurelianenſi urbe ad omnes Provincias emiſſæ. Altera die, ſeu octava hujus Menſis Princeps ſcriptum quoddam evulgabat, quo captæ Aureliæ iniquitatem, rebellionemque excuſare nitebatur, ſimulque prolixius, quibus rationibus permotus arma contra *Thuan. l. 5.*

Sæcul. XVI A.C. 1562.

Triumviros sumpserit, exponebat, repetitaque antea gestorum memoria, eo adversariorum conatus tendere ajebat, ut libertatem Regiis edictis concessam illis adimant, qui puriorem in Religione doctrinam amplectuntur: „ nonne, pro„sequebatur Princeps, immanis illa Vas„siaci carnificina, cujus Auctor erat „Guisius Dux, seditionis per omnes Re„gni Provincias concitandæ veluti si„gnum exstiterat, ubi Dux in hac tam „barbara occasione ad effectum dedu„cebat illorum consilia, qui contendunt, „quod gladius semel contra Principem „suum strictus nunquam in vaginam re„ponendus esset.„ Tandem libellum suum his verbis absolvebat: „ nomine „omnium Reginam obtestor, ut longe ab „armorum metu, quibus undique obsi„detur, de utriusque partis caussa ju„dicet, jubeatque tantum, Guisium Du„cem & ejus fratres, Montmorantium „Connestabilem, & Santandreanum Ma„rescallum depositis armis discedere; „ego viciſſim protinus, quamvis non in „eadem cum illis conditione existam, „una cum meis omnibus quamprimum „domum proficisci paratus sum his con„ditionibus, ut Rex libertati restituatur, „sanctiorisque Senatus Consiliariis li„bertas suffragiorum permittatur, atque „edicta Regia, & illud Januarii inprimis „ferven-

„ſerventur, donec Rex ad eam ætatem „pervenerit, in qua de re tota juxta Re- „gni leges decernere poſſet. Hæ con- „ditiones, cum ſint æquiſſimæ, niſi ac- „cipiantur, & Triumviri Regi, Reginæ- „que, ac Regis Conſilio vim facere, re- „gioque nomini illudere, regisque ſub- „ditis injurii eſſe pergant, rurſus con- „teſtor, me, meosque ſocios id non to- „leraturos, ſed culpa tot calamitatum, „ac miſeriarum, quæ inde ſecuturæ „ſunt, & a quibus innocentes ſumus, in ſe- „ditionis auctores rejecta, in devota di- „ris capita ſevere vindicaturos. Sæc. XVI. A C. 1562.

§. LIII.

Condæi literæ ad Proteſtantes Germaniæ Principes.

Biduo poſt idem Condæus Princeps ad Germaniæ Proteſtantes literas dabat, quibus etiam Miniſtrorum, ac Nobilium epiſtolas adjecit, ut exinde de ſumptorum armorum cauſſis plenius edocerentur: porro in his literis illos rogabat, ne tam neceſſario tempore Regi, Reginæ, ac toti Regno deeſſent, nec ſe falſis adverſariorum criminationibus præoccupari ſinerent, ſed ad Dei gloriam, Regis, ac Regni ſalutem ſuſceptum bellum viribus ſuis firmarent, totaque vi ſua promoverent. *Thuan. l. c.*

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

Eodem tempore Condæus fœderis, quod ipse cum sociis suis pro Regis, ac conscientiarum libertate inierat, formulam subjecit, in qua fœderati in rebellionis suæ caput eligebant Condæum Principem, atque illum legitimum Francici Regni vindicem, ac Protectorem proclamabant, eique in omnibus, quæ hujus fœderis executionem spectant, obsequium jurata fide præstabant, percusso fœdere, quod eo usque duraret, donec Rex ad legitimam Regnum administrandi ætatem pervenerit: insuper Condæo promittebant, se arma, equos, pecunias, annonam, omniaque ad bellum necessaria suppedidaturos, ut bellum inferri posset Triumviris, quos pro læsæ Majestatis reis, ac proditoribus habebant,

§. LIV.

Mendax rumor de foedere inter Triumviros, Hispaniæ Regem, Papam, & Helveticos inito a Calvinistis sparsus.

Thuan. l. 29. Ut Calvinistæ rebellionis calumniam, ac initi fœderis invidiam imminuerent, aliud contra se fœdus a Triumviris esse initum, nequiter spargebant, ejusque formulam divulgabant, in qua Dux fœderis Philippus II. Hispaniæ Rex erat

erat nominatus, ac Navarræ Regnum Antonio Regi se redditurum pollicebatur, ea lege, ut hic contra sectarios arma caperet, si vero istorum partibus adhæreret, Guisius Dux cum Regiis copiis, aliisque, quas Philippus submittere promisisset, illum bello invaderet: huic quoque fœderi accederent Pontifex, & Catholici Helvetiorum Pagi æque ac Imperator, qui interea operam dabit, ne ulli militum delectus in Germania a Protestantibus in sectariorum opem haberentur. Ceterum circa hoc fœdus Thuanus hæc subjungit: *de hujus foederis fide ut merito dubitem, sicuti multa me movent, ita credulos, ac suspensos novarum rerum spe animos non solum apud nos, sed in Germania, ac per totum Septentrionem ejus evulgatio pro tempore tantopere commovit*, ut in hisce regionibus ob falsum hunc rumorem ingentes pecuniarum summæ pro hoc bello in Calviniſtarum favorem corraderentur, cunctique Protestantes Principes copias conscribendi facultatem Condæo Principi concederent. Sæcul. XVI. A C 1562.

§. LV.

Regia libertas comprobata, ac Januarii edictum publico scripto confirmatum.

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

Eadem die, qua hoc Condæi Principis scriptum Aureliæ promulgabatur, Parisiis quoque divulgatum est edictum, quo Rex æque, ac Regina sic declarabant: „sparsus de nostra captivitate ru„mor falsus est, & a Condæo, qui æqui„tatis obtentum turbulentis consiliis „suis quærit, calumniose confictus, nam „nos sponte, non coacti Lutetiam veni„mus, ut de motibus componendis con„sultaremus, & idonea ad id remedia „adhiberemus.„ Ceterum triduo post, atque eodem die, quo Condæi Principis, & Sociorum fœdus Aureliæ publicatum est, cum metu suspicionibus aucto nihil pacati a Protestantibus exspectaretur, ut omnis illis tumultuandi occasio præcideretur, ex Reginæ, Navarræ Regis, Borbonii, & Guisii Cardinalium, Guisii Ducis, Montmorantii Conestabilis, & Aumalii consilio alterum diploma divulgabatur, non ad Curiam, sed ad Prætores, seu Præfectos, & eorum Legatos, qui curiæ subsunt, directum, quo Januarii edictum denuo confirmabatur, sancita rursus præteritorum oblivione, eoque aut Religionis caussa cuiquam molestiam, aut periculum creari prohibebatur, & publice itidem cœtus ubique habendi, ac concionandi Protestantibus libertas concedebatur, præterquam Lutetiæ, in qua, & suburbiis

Thuan. l. c. Benoit hist. de l'Edit. de Nantes l. 1. p. 31. Davila p. 114. l. 3.

biis ejus, & intra *banleucam*, uti vocant, cœtus fieri, aut sacramenta alio, quam recepto antiquitus ritu, celebrare vetabatur. Sæcul. XVI. A. C. 1562.

§. LVI.

Rothomagum, aliæque urbes a Calviniſtis occupatæ.

Poſtremo hoc edicto, quamvis Proteſtantium factioni plurimum faveret, nondum tamen eorum rabies placari poterat, quinimo ut furorem ſuum eo firmius non ſine gravi Catholicorum diſpendio exercerent, Maris Præfectus Condæo Principi auctor exſtitit, ut nobiliores Regni urbes invaderet, priusquam Triumviri illas validis præſidiis munire poſſent. Arrepto hoc conſilio mox Condæus Nobiles ſuos emittebat ad omnes urbes, ubi Calviniſtæ promovendæ huic expeditioni viribus haud impares erant: cum autem emiſſarius ille, qui Rothomagum petebat, majori ceteris celeritate accurreret, hanc urbem ferme ſine ullo armorum ſtrepitu in ſuam redegit poteſtatem, ac proſperi ſucceſſus fiducia elatus Roberto Marchiano Bullionio Duci, ac Normaniæ Provinciæ Præſidi, quem Rex eo ablegaverat, vetus Palatium ingrediendi facultatem denegabat, unde is ſeſe recipere cogebatur. Capta Rothomagenſi

Thuan. l. 5. Mem. de Caſtelnau l. 3. c. 9.

Sæcul. XVI A. C. 1562

urbe continuato rebellionis successu Calviniſtæ Cenomanum, Andegavum, Vindocinum, Charitatem ad Ligerim, Blesum, Turonium, Pictavium, Pontem Cæsaris, Bogentium, Cabillonum, Matiſconem, Engoliſmam, Lugdunum, Valentias, Romanum, ceterasque ferme omnes Delphinatus urbes, pluraque Aquitanniæ, & Occidaniæ oppida occuparunt, cui etiam fato cum ceteris succubuiſſet Toloſa, niſi Montlucus opportuno adhuc tempore urbi ſuppetias attuliſſet. Porro Calviniſtæ in omnibus urbibus, quas uſurpaverant, abolito veræ Religionis exercitio aitaria evertebant, ſacras Imagines dilacerabant, reliquias Sanctorum comburebant, cineribusque in aera projectis Religioſos, & Sacerdotes dire vexabant, ac demum ſacrilega crudelitate trucidabant, ſuaque horrenda rerum ſacrarum profanatione ſeſe populo ſummopere execrandos reddebant, quin Princeps precibus, minisque, imo nequidem ſuppliciis hanc ſeditioſorum rabiem coercere poſſet, quam tamen ſuæ cauſſæ oppido nocivam fore præſenſerat.

§. LVII

Hæretici apud Senones, aliisque in urbibus trucidati.

Verum

Verum hæretici pœna talionis caſti- Sæcul. XVI.
gabantur, quoties ſeſe opportuna A.C.1562.
offerebat occaſio, eorumque plures in *Thuan. l. c.*
variis urbibus occidebantur, præprimis vero apud Senones horrenda clade afficiebantur Emario criminalis Curiæ Prætore ſollicitante, ac Guiſio Cardinale, ut ſpargebatur, ejusdem urbis Archiepiſcopo conſentiente; divulgata enim fama, quod Calviniſtæ Eccleſias ſibi vendicare, easque exſpoliare molirentur, mox plures quam centum omnis ſexus, ac conditionis a furenti populo vel crudeliter necati, aut in Jona flumine ſubmerſi ſunt, pluribusque ædibus exſpoliatis infamis ille locus, ubi hæretici extra urbem ſua celebrabant conventicula, ſolo æquabatur, devaſtatis etiam vineis circumvicinis. Hac ſuper re Condæus Princeps die decima nona Aprilis datis ad Reginam literis graviter querebatur: cum autem ſingulis diebus nuntiarentur exempla paris quoque crudelitatis, qua Proteſtantes in Catholicos deſæviebant, hinc diſſimulato hoc facinore Calviniſtæ Cadurci, Ambiani, Bellovaci, & alibi haud mitius habebantur: quinimo Senatus die poſtrema Junii cujuscunque conditionis hominibus promulgato edicto præceperat, ut in hoſce hæreticos inquirerent, eosque utpote furioſos, juratosque Dei, homi-

Sæcul. XVI. A. C. 1562.

hominumque hoſtes e medio tollerent. Denique univerſum regnum ſeditionis apertæ flammis flagrabat, bellique incendium exiguo admodum tempore per omnes Provincias cum tanta immanitate, pugnandique ardore graſſabatur, ut nunquam inter Nationes ſibi infenſiſſimas atrocius bellum fuiſſet accenſum, in quo nil familiarius erat, quam rapinis, ſacrilegiis, homicidiis, incendiis, ſtrupris omnia ſus, deque vertere.

§. LVIII.

Reginæ Matris Epiſtola ad Rhedonenſem Archiepiſcopum Cæſaris Oratorem circa Concilium ſcripta.

Inſtruct. & miſſiv. des Rois tres Chret. p. 84. & 85. Mem. pour le Concil. de Trente pag. 166. & ſuiv.

Hi tumultus non obſtabant, quominus potior haberetur ſollicitudo de Tridentina Synodo, ad quam etiam Regina ſuos nominabat Oratores, ſimulque die nona Aprilis ad Rhedonenſem Epiſcopum, qui in Cæſaris Aula Legatus erat, literas dabat, ſignificans, quod ſumma animi ſui lætitia percepperit, quatenus Cæſar immoto ſtudio pro Synodi continuatione intentus eſſet, cum ipſamet quoque eodem Zelo flagraret, nec unquam ardentius quicquam in votis habuiſſet, niſi ut tandem afferretur remedium malis, quæ totam Chri-

Christianam Rempublicam, ac præcipue Galliarum Regnum ob diversitatem opinionum, quæ ibidem circa Religionem grassarentur, crudelem in modum affligerent. Postmodum Regina eidem Episcopo in mandatis dabat, ut receptis hisce literis mox Cæsarem adiret, ejusque nomine grates rependeret, simulque eidem fidem faceret, quod ipsa ejusdem cum Cæsare mentis esset, disertisque verbis Rex ejus Filius Lansaco, qui decima quarta Mensis Aprilis discessurus esset, injunxerit, ut Cæsareæ Majestatis Oratoribus haud prius consultis nihil aggrederetur, sed juncta cum eis opera, & consilio disciplinæ, morumque Reformationem urgeret, simulque prohiberet, ne nimia Franciæ Præsulum firmitas novæ illorum unioni obstet, qui hucusque ab Ecclesia sese segregarunt, atque in sua defectione obstinati perseverant. Sæcul. XIV. A.C. 1562.

§. LIX.

Franciæ Oratores ad Tridentinam Synodum nominati

Die vigesima septima Februarii Sangelasius Lansacus, cum adhuc Romæ hæreret, jamjam Synodi Legatus designabatur, Insulanus autem apud Pontificem Franciæ Orator die octava Aprilis Regi suo datis literis nuntiabat, quod *Mem. l. c. p. 165 & 168. Thu. l. 32.*

Sæcul. XVI. A. C. 1562.

quod electio Lanſaci, qui Regis nomine Tridentino Concilio intereſſet, tantopere Sanctitati ſuæ placuerit, ut ſibi optatius nuntium afferri haud potuiſſe, palam teſtaretur. Ceterum cum Lanſacus ad Franciæ Aulam fuiſſet revocatus, ſummus Pontifex excuſationem ab Inſulano expoſitam ratam habebat, ea lege, ut ille intra hujus Menſis ſpatium Tridentum rediret, quod & Legatus pollicitus eſt. Porro Lanſaco in laboris ſocium adjungebatur Arnoldus Ferronus, ſeu Ferrierus (*) Toloſanus jurisconſultus ævi ſui celeberrimus, qui tum in Inquiſitionum Curia Pariſini Senatus Præſes erat: inſuper præter hunc nominabatur Guido Faber de Bibrac Toloſani Senatus Præſes, qui Tridento redux, ſeu paulopoſt Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto ad Hoſpitalii Cancellarii preces Generalis Advocatus a Rege creatus fuerat. Hi ſecunda Aprilis die ſuis inſtruebantur mandatis, quæ doctrinam non minus, quam diſciplinam concernebant, ea tamen admodum ſecreta tenere jubebantur, donec Cæſaris Legati ſua quoque expoſuiſſent mandata,

(*) Hunc Nicolaus Pſalmæus parte 2. Antiquit. folio mihi 337. vocat Renaldum Ferrerium.

data, quæ haud parum a Gallicis discrepabant. Hac cautela utebantur Galli, ne Synodi Patres magis irritarentur, cum jam aliunde ob tumultus in hoc regno non ita pridem suscitatos de Gallorum orthodoxia siniſtram concepissent suspicionem: præterea cauta hac agendi ratione jam prævie, nulloque negotio perspici poterat, quomodo Synodus Cæsareorum Oratorum propositiones exciperet. Sæcul. XV. A. C. 1562.

§. LX.

Franciæ Regis mandata suis ad Synodum Oratoribus data.

Horum mandatorum summa erat hæc: Jam in pacis fœdere, quod Mense Aprili Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo quinquagesimo nono inter Henricum II. nuper defunctum, & Philippum Hispaniæ Regem in Cameracensi arce initum est, sancitum fuerat, quod pro Christianæ Reipublicæ bono, ac Ecclesiæ pace ambo Principes junctis viribus Universalis Concilii celebrationem pro Reformanda Ecclesia adeo necessariam procurare, atque ad illud suarum ditionum Prælatos eo decernere vellent: quinimo Franciscus II. Rex ante obitum suum post Prædecessoris sui mortem ejusmodi Concilii convocationem sollicitabat, sed morte præ- *Mem. p. 168.*

Sæc. XVI. A.C. 1562.

præventus tam pium opus prosequi haud potuit, quamvis summum Pontificem efflictim rogasset, ut rursus hoc Concilium in loco libero convocare vellet, necnon publicæ securitatis literas omnibus tam Catholicis, quam Protestantibus ad illud accessuris concederet, ut quæstionibus ponderatis, ac discussis tandem præsentibus malis remedium opponi, atque universa Christianorum Respublica in unius fidei concordia denuo uniri valeret. His insuper Rex subjunxit: „mihi a meis fuit suggestum, „quod tunc, si duntaxat Synodi suspen„sio tolleretur, ac proin hoc Concilium „duntaxat continuari diceretur, nequa„quam malo remedium afferretur, sed „potius magis exasperarentur animi, eo „potissimum nomine, quod Principes, „ac Protestantium Ordines, si hæ clau„sulæ adhiberentur, nunquam suos „Oratores ad Synodum missuri essent, „illorumque absentia omnis concordiæ, „ac reconciliationis spes præcideretur: „cum autem hæc flocci haberi, ex in„dicti Concilii diplomate, in quo Syno„dum *sublata quacunque suspensione* con„vocatam fuisse dicitur, aperte constet, „hæcque verba obscura, atque æqui„voca videantur, ac significare velint, „quod Papa eandem rem simul facere, „& dissolvere intendat: hinc tam pii operis

„ris executionem promovendi desiderio Sæcul. XVI.
„flagrans hoc diploma mei secretioris A.C. 1562.
„Senatus deliberationi committere vo-
„lui, a quo hæc Bulla aliter conci-
„pienda, proin correctioni obnoxia cen-
„sebatur: nihilominus, ut universo
„Christiano orbi notum fieret, quod
„tanquam Princeps Christianissimus,
„ac primogenitus Ecclesiæ Filius nihil
„eorum, ex quibus pro levandis præ-
„sentibus malis quidam prosper even-
„tus sperari posset, prætermittere ve-
„lim, aliunde vero de fidei a sua Sancti-
„tate sæpius factæ integritate persua-
„sus haud dubitem, quin Patres in
„præfato Concilio ea omnino sint de-
„creturi, quæ tam novam convocatio-
„nem, quam loci translationem con-
„cernunt, ideo hujus diplomatis cor-
„rectioni haud amplius insistere volui,
„contentus, quod Sanctitatem suam
„per Rambullietum, & Insulanum Ora-
„tores meos desuper monuerim, quin
„tamen propterea deterreri potuerim,
„quominus mei Regni Episcopis, ut
„Tridentum versus itineri sese accinge-
„rent, præciperem, ac Lansacum, Fer-
„rierum, & Bibracum tanquam Lega-
„tos meos, qui meo nomine Synodo
„interessent, præmitterem, spe fretus,
„quod Concilii Patres, remotis omni-
„bus privatis affectibus, nil nisi Divini

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

„honoris augmentum, Ecclesiæ suæ „restaurationem, necnon sanæ Doctrinæ „ad primum suum splendorem, atque „integritatem revocandæ necessitatem „cordi habere velint: ut vero ex præ„fata Synodo fructus adeo necessarius, „atque a probis Christianis tantopere „exoptatus colligi possit, præcipue duo„bus articulis insistendum censeo, de „quibus jam supra mentio fuit facta, „ac sine quibus nulla utilitas sperari „valet. I. ergo mei Oratores præprimis „postulabunt, ut condito decreto de„claretur, quod hæc Synodus recens „sit convocata, nequaquam autem prio„ris Tridenti celebratæ continuatio fo„ret, & hoc quidem ob æquissimas, ma„ximique momenti caussas, de quibus „jam sæpius Sanctitati vestræ mentio „facta fuit, ac præfati mei Oratores „plenam habent notitiam: si vero Pa„tres rem jam esse decisam responde„rent, aut rursus de ea deliberari con„sentirent, iidem Oratores mei, si forte „Synodi continuatio, non autem nova „illius indictio per suffragia approbare„tur, meo nomine exponent, eos di„sertis verbis a me esse jussos declarare, „quod continuationis via nequaquam „Francici Regni tumultus sopiri possint, „proin ipsi ejusmodi decisionem acce„ptare non valeant, quibus dictis a Con-

venta

„ventu potius ſecedant, donec alia de- Sæcul. XVI.
„ſuper mandata accepturi eſſent. A. C. 1562.

II. „Circa illum articulum de loci „translatione Patribus exponent, quod „rationes, ob quas Tridentina Urbs non „modo Germanis, ſed etiam pluribus „aliis ſuſpecta eſt, omnibus ſatis clare „pateant: ideo ipſi Synodum Conſtan„tiam, Wormatiam, Spiram, aut ad „alium quemdam locum liberum, tu„tum, omnibusque acceptum transferri „poſtulent: porro utroque hoc articulo „aut acceptato, aut rejecto præfati Ora„tores, priusquam ad Reformationis „articulos deſcendunt, circa publicæ „ſecuritatis literas a Concilio decerni, „ac ſtatui petant, ut ſinguli, cujuscun„que conditionis ſint, aut quamcun„que ſectam profiteantur, libere, ac „tuto Concilium accedere, ibidem com„morari, permanere, atque inde re„verti poſſint, necnon, quicquid ipſis „bene viſum fuerit, ibidem diſputare, „propugnare, ac defendere, & non „modo circa doctrinam, ſed etiam circa „morum emendationem proponere va„leant, quin propterea capi, ac in cor„pore, vel bonis ſuis moleſtari queant, „etiamſi præfatæ Synodi deciſionibus a„quieſcere renuant: porro hanc in rem „tam a Pontifice, & Cæſare, quam a „Concilio adeo legitima, & ampla ſe-

Sæcul. XVI. A C. 1562.

„curitatis diplomata expediantur, ut „nullus æquam, ac honeſtam prætendere valeat excuſationem, ob quam „huic Concilio intereſſe præpediretur.

III. Oratores petent, ut Epiſcopi „juxta eorum conſcientias cum plena, „ac perfecta libertate ſua ſuffragia ferre „queant, ac decretorum, quæ ibidem „condentur, deciſio nequaquam ſuæ „Sanctitatis, ac Legatorum arbitrio re„ſervetur.„

IV. Decreta, ac Synodi definitio„nes ad Pontificis beneplacitum non „remittantur, quinimo declaretur, quod „Papa illa immutare, imminuere, aut „quocunque pacto in illis diſpenſare „haud valeat, necnon Sanctitas ſua „juxta priſcorum Conciliorum, ac „præcipue Conſtantienſis, & Baſileen„ſis decreta ſeſe illis ſubjicere, ac plene „obedire teneatur.„ (*)

V. „Conceſſis hiſce articulis, quos „etiam utpote rationi, ac æquitati ap„prime conſonos approbari confido, Ora-

tores

(*) Cum hæc mandata in nullis Conciliorum actis legitimis, imo nequidem in Nicolai Pſalmæi actis reperiantur, ac Hæreticorum opinionibus plurimum conſona ſint, non a Regis Chriſtianiſſimi ore profluxiſſe, ſed a quodam Calviniſta nequiter intruſa fuiſſe, ſat vero ſimile eſt.

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

„tores mei exponent, quod præcipue „Religionis diſſidia ortum duxerint ex „corruptelis, quæ per morum, ac di„ſciplinæ corruptionem in miniſterium „Eccleſiaſticum irrepſerunt, huncque „ſuæ defectionis prætextum plures, qui „ſeſe ab Eccleſiæ Romanæ obedientia „ſegregarunt, atque etiamnum ſejun„gunt, ſæpius allegent, unde ſat ma„nifeſte colligitur, nihil magis requiri, „quam uti a diſciplinæ, & morum emen„datione tam in capite, quam in mem„bris initium ſumatur (*) prout id fieri

(*) Hunc prætextum ab Hæreticis fuiſſe allegatum, nemo eſt, qui inficias ibit, ſi vero hujus defectionis hiſtoria ab alto repetatur, cæcus ſit, qui non videat, quod tum præcipue Laicorum Principum, Procerum, & populi mores depravati, vitæ licentia, Religionis contemptus, bona Eccleſiaſtica eripiendi aviditas, atque Eccleſiæ auctoritatem deprimendi rabies Laicis adeo communis prima horum tumultuum origo exſtiterit, proin præprimis a corruptelis, quæ per Laicorum malitiam in Eccleſiam irrepſerunt, aufferendis emendatio Orbis in ſuo capite, & membris omnino neceſſaria fuerit: Attamen hæreticis, ac Pſeudo-politicis omni ævo familiare fuit, ut ſub falſo Eccleſiaſticos reformandi obtentu Religionem oppugnent, ac Principibus adulandi ſtudio

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

„in Concilio Constantiensi fuerat pro-
„missum, quamvis effectui non fuisset
„datum: in Basileensi quidem Concilio
„huic operi manus fuerat apposita, cum
„tamen deinceps eodem fervore non
„fuisset continuatum, tam sanctum, ac
„necessarium opus sine executione per-
„mansit. Hanc in rem exponere pote-
„runt Oratores ea, quæ in Constantiensi
„Concilio acciderunt, ubi Martinus V.
„Reformationis negotium ad Romanam
„Synodum remisit, eamque solemni ritu
„promisit, quin illam ipse, aut ejus Suc-
„cessores executioni dederint, ex quo
„admodum siniſtra de iis, qui huic rei
„prospiciendi auctoritate pollent, opi-
„nionem concipiendi ansa præbetur,
„atque exinde omnes tumultus, qui
„hodiedum fervent, atque ex opinio-
„num diversitatibus nascuntur, aperte
„foventur, atque augentur. (**) ut
„autem hæc Reformatio obtineatur,
ne-

studio bona Ecclesiasticis diripiant, atque ex eorum spoliis sibimetipsis divitias corradant, ac demum sibi solis supremum non modo in Ecclesiasticos, sed tandem in ipsos etiam Principes dominatum, ac imperium vendicent.

(**) Quis credat, a Rege Christianissimo suos Oratores tam putido hæreticorum mendacio fuisse instructos, perinde acsi Mar-

„neceſſarium erit, ut ad prima Eccleſiæ „exordia redeatur, hocque pacto Sta- „tus Eccleſiaſticus ad eandem ferme „primæ ætatis puritatem revocetur. Sæcul. XVI. A.C. 1562.

VI. „Circa Epiſcopos, aliosque in- „feriores Eccleſiæ Miniſtros, quibus „animarum cura, ſalusque committi- „tur, ſummus Pontifex ad Chriſtianæ „Reipublicæ bonum nullo pacto ſeſe Epi-

Martinus V. reformationis negotium negleXiſſet: nonne illius Oratores, ſi hæc Patribus expoſuiſſent, illico falſitatis cum ſummo dedecore argui potuiſſent: nonne Patres eis ante oculos confeſtim poſuiſſent, quod hic Pontifex ad Curiæ reformationem protinus intenderit, ac Monaſteria, Sacerdotia, atque Eccleſias jurisdictioni Epiſcoporum ſubductas priorem redegerit ad formam, ſimoniam coercuerit, & Romæ anno 1424. a Cardinalibus Curiæ Reformationem exorſus leges plusquam viginti, quas Cantelorius in vita Martini V. recenſet, pro iisdem condiderit, ut ceteros ſuo exemplo ad morum reformationem excitaret. Vide Palatium, Platinam, aliosque in vita Martini V. certum igitur eſſe videtur hæc mandata Rege adhuc puero nonniſi per Calviniſtam quemdam fuiſſe conſarcinata, præcipue cum illo tempore præter eos, qui Guiſiis egregiis fidei Orthodoxæ defenſoribus adhæſere, ferme ceteri omnes, qui rerum ſummæ præerant, hac lue infecti fuerint.

Sæcul XVI. A.C. 1562.

„scoporum, Abbatum, aliorumque Prælatorum, ac Parochorum electionibus, „collationibus, aut illorum administrationi ingerat, nisi in casu negligentiæ, juxta Sanctorum Conciliorum „decreta, atque antiqua Ecclesiæ Gallicanæ jura, & libertates. (*)

VII. „Imposterum Pontifex quacunque ex caussa contra Conciliorum decreta nullas concedat dispensationes, nec

(*) Prorsus egregie ad sententiam hæreticorum illius ævi hæc dicta sunt: ergone oves Pastorem dirigant? itane Christianæ Reipublicæ bono consultum est? si non Pontifex, sed quicunque etiam Laici promiscue sese rebus Ecclesiasticis, Præsulum electionibus, & beneficiorum collationibus ingerunt: nonne Ecclesiæ magis consultum foret, si ab occultis ejusmodi Politicorum artibus & Christianæ Ecclesiæ hostibus immunis esset, qui plus Ecclesiæ nocent, quam hæretici aperti illius inimici, qui sine ambagibus pronuntiant: *Nulla est Pontificis auctoritas, sed omnis in Sacra jurisdictio penes Magistratum, vel populum versatur*: nam horum error facile ex S. Literis, atque unanimi Ecclesiæ, & Conciliorum doctrina confutari valet, isti autem in erroris sui patrocinium, falso licet, ipsa Conciliorum decreta allegare audent, ut suæ nequitiæ, ac erroneis opinionibus etiam apud Catholicos auctoritatem concilient.

„nec etiam præventionis jure ullam „Parochiam, nec alia beneficia con„ferat, sed plenam illorum disposition„em ordinariis Collatoribus relinquat, „nisi hi in illis conferendis essent negli„gentes, juxta eadem decreta.„ Sæcul. XVI. A.C. 1562.

VIII. „Omnes concessionis literæ „in ejusmodi eventibus, vel alia di„plomata ab auctoritate Pontificis de„pendentia gratis expediantur juxta „eorumdem Conciliorum præscripta, „hacque ratione Annatæ, omnesque „ceteræ exactiones, ac subsidia ab„oleantur. (*)

IX. „Omnes Archiepiscopi, & Epi„scopi in suis beneficiis, non admissa „quacunque dispensatione resideant, „quapropter ejusmodi beneficia ab iis „possideri nequeunt, cum alibi residere „teneantur.

X. „Imposterum Pontifex nullum „mittat Legatum, qui beneficia con„ferendi potestate sit munitus.

XI. „Deinceps illi, qui ad Archie„piscopatus, & Episcopatus promove-

(*) Populus ad sustentationem profani fui Principis, necnon ad sublevanda status sui onera suis etiam bonis concurrere tenetur: solus autem populus Catholicus ad supremi sui Pastoris sustentationem, ac regendæ Ecclesiæ expensas concurrere prohibetur.

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

„buntur, ætatem, ſcientiam, atque „approbationem a Conciliis requiſitam „habeant, atque juxta Ordinem ab Ec„cleſiæ Canonibus ſtabilitum admittan„tur, & inaugurentur.

XII. „Cum ad obtinendam legis „gratiam in variis negotiis Romam re„curratur, ſæpiusque petatur, ut ad „contrahenda matrimonia in ſecundo, „tertio, & quarto affinitatis, & con„ſanguinitatis gradibus diſpenſatio „fiat, vel eadem inire permittatur ex„tra tempus ab Eccleſia permiſſum, nec„non pluribus aliis in rebus, relaxa„tio poſtuletur, hinc pro conſcientia„rum tranquillitate, ac ſingulorum le„vamine requiritur, ut Synodus huic „malo proſpiciat, quin impoſterum pro „ejusmodi diſpenſationibus Romam re„currere neceſſe ſit, cum ibidem om„nia impetrentur, dummodo afferan„tur pecuniæ. (*)

XIII. „Nullus extraneus deinceps „in hoc Regno beneficium obtineat, niſi

(*) Hujus Calumniæ, ac mendacii falſitas manifeſta eſt omnibus duntaxat Hiſtoriam Eccleſiaſticam percurrentibus; quoties enim Principes imo, & Reges promiſſis etiam immenſis pecuniarum ſummis, ejusmodi tamen diſpenſationes a Sede Apoſtolica obtinere non poterant.

„nisi prius patrio idiomate instructus „populum suum imbuere, & edocere „valeat, ac in præfato beneficio reipsa „resideat: omnes autem collationes, „quæ contra hanc sanctionem fient, sint „nullæ, quin summus Pontifex quacun„que ex caussa dispensare valeat.„ Sæcul. XVI. A.C. 1562.

XIV. „Deinceps nullam pensionem „in beneficiis, quæ resignabuntur, quis„quam sibi reservare poterit, nec illam „constituere in illis beneficiis, in quæ „quoddam jus habere contendit.„

XV. „Omnia mandata, reservatio„nes, regressus, atque exemptiones „inposterum tollantur, atque abrogen„tur, tam in ditionibus Regi subjectis, „quam in aliis.„

XVI. „Ex Britannia, Provincia, „aliisque hujus Regni locis inposterum „in beneficialibus, vel aliis caussis Ro„mam pro jure dicendo non recurratur.

XVII. „Nullus ad sacros Ordines, „vel Ecclesiæ Ministeria nisi vel ab Epi„scopo, vel saltem eo permittente ad„mittatur, nec contra hoc statutum „Papa quoddam diploma, aut dispen„sationem concedere poterit.„

XVIII. „Sextus Concilii Calcedo„nensis Canon in Sacerdotum ordina„tionibus exacte ab Episcopis observe„tur, ut obvietur malis, quæ ex immode„rato nascuntur illorum numero, qui vel

Sæc. XVI. A.C. 1562.

„vel non legitime approbati, vel non„dum certo ministerio destinati Sacer„dotio initiantur, atque ad Ecclesiæ „munia recipiuntur.„

Hæc erant præcipua Reformationis capita, quæ Oratores effectui dari a Synodo peterent, quibus insuper subjungere jubebantur querelas, & onera contra ausus, quibus privilegia, immunitates, atque Ecclesiæ Gallicanæ libertates labefactantur, (*) atque in literis per Regis Aulicos conscriptis continebantur, necnon unacum præsenti mandato præfatis Oratoribus dabantur: insuper impedire tenebantur præfati Legati, ne in Regiorum jurium, privilegiorum, ac Ecclesiæ Gallicanæ libertatum præjudicium, sive circa Archiepiscopatus, Episcopatus, atque Abbatias, sive circa alias causas quicquam in Concilio statuatur: si vero ejusmodi privi-

(*) Si integra Natio contra jus commune immunitates, ac privilegia habet concessa a summo Pontifice, inde nulla corruptela in Ecclesia nascitur, nec Pontifex privilegium a se concessum, etsi id utilitas Ecclesiæ deposcit, revocare potest: si vero idem Papa unico Ecclesiæ Ordini ob ingentia merita exemptionem, immunitatem, vel privilegium concedit, exinde tota Ecclesiæ disciplina dicitur eversa, ac Pontifex ea revocare tenetur.

Sæc. XVI. A.C. 1562.

privilegia labefactari animadvertent, reclament, moxque ea de re Regem certiorem faciant. (*)

„Quoniam vero, prosequebatur Rex, „Cæsar meo Oratori, qui in ejus aula „versatur, declaravit, quod ipse vehe„menter exoptet, ut mei Oratores ad „Synodum venientes cum ipsius Lega„tis conferant, junctaque opera probæ „morum, ac disciplinæ emendationi „tandem obtinendæ, ex qua præcipuum „Synodi fructum colligi speratur, dili„genter insudent, cumque aliunde Cæ„sar petat, ut nostri Episcopi rebus, quæ „duntaxat juris sunt positivi, salvaque „Religione cum majoris boni spe re„laxari possunt, pertinaciter non in„sistant, hinc piam Cæsaris voluntatem summe commendans præcipio, ut „mei Oratores, quamprimum advene„rint, quotiescunque expedire videbi„tur, cum Cæsareæ Majestatis Legatis „conferant, ut cuncta, quæcunque ad „Reformationem conducere videbun„tur, proponere, ac communi opera ur„gere valeant, remque eo deducant, „quatenus mei Præsules cum Cæsareis „Episcopis conspirent, ac nil, nisi Di„vinæ gloriæ incrementum respiciant, simul-

(*) Supple, consentiant tamen, si quid contra Pontificis jura decerni animadverterint.

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

„simulque præfatæ Reformationi ex „animo adlaborent, quin nimia perti„nacia suis inhæreant opinionibus, quan„do adversa sententia ad Ecclesiæ pa„cem, atque ad illos, qui ab Ecclesia „segregati sunt, rursus eidem uniendos „magis conducit: cum autem maxime „expediat, ne Synodi Patres præci„piti consilio Protestantium opiniones „condemnent, (*) atque exinde po„tius a reditu absterreantur, quam „alliciantur: hinc Oratores mei vehe„menter urgeant, ut decernatur, quod „omnes censuræ, & condemnationes „ad Synodi exitum rejiciantur, eo fine, „ut omnibus mature examinatis, discus„sis, atque agitatis, auditis etiam sin„gulis, qui comparere voluerint, levi„tatis nota Episcopis injuri non valeat: „si vero in eodem Concilio de quodam fœdere

(*) Horum mandatorum Author plura studiose insperfit, ut argumentum posteris suppeditet, quod Reges, & Principes summo Pontifici, imo ipsis etiam Conciliis leges præscribere, familiare habuerint, atque ex ejusmodi exemplis tandem inferatur, quod Principes profani sint non modo supra Papam, sed etiam supra Concilium, & Ecclesiam. Ecce! quam nocivum sit Religioni, ex corruptis fontibus Ecclesiasticam concinnare historiam.

„fœdere ineundo mentio occurrat, aut „vi, armisque contra Principes, qui „seſe Synodi decretis ſubjicere, aut „ea executioni dare remuerint, proce- „dendum decerneretur, tunc Oratores „mei seſe opponant, ac demonſtrent, „quod Principum, populorum, ac No- „tionum, quæ seſe ab Eccleſiæ Romanæ „obſequio ſubtraxerunt, numerus adeo „ingens ſit, ut ex ejusmodi fœdere nul- „latenus Chriſtianæ Reipublicæ tran- „quillitas ſperari, ſed potius illius exi- „tium timeri poſſet, ſolaque ejusmodi „ſocietatis propoſitio ſufficiens foret, „ut ignis nonniſi poſtea ægerrime ex- „tinquendus accenderetur: igitur pro- „pter haſce rationes, ne tumultus, qui „in Eccleſia ſat magni, ac univerſo „Chriſtiano orbi plurimum nocivi ſunt, „vel minime augeantur, proponant Ora- „tores, quod ipſis utiliſſimum, tutiſſi- „mum, ac Chriſtianorum Principum „dignitati longe convenientiſſimum vi- „deatur, ſi hæreticos per media nobis „a Chriſto in Evangelio propoſita, at- „que ab Apoſtolis non ſine fructu uſur- „pata ad Eccleſiæ ſinum revocare ten- „taverint, (*) præcipue cum etiam Epi- ſcopi

Sæcul. XVI. A.C. 1562

(*) Quænam autem ſint hæc media, hic reticetur: id autem certum cunctis conſtat, quod

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

„ſcopi Catholici Apoſtolorum Succeſſo-
„res teneantur illos imitari. Denique
„exponant, quod ego ejusmodi fœderi,
„cum illud ſumme pernicioſum fore
„prævideam, nunquam aſſenſurus ſim:
„ſi vero hæreſes in Galliis tolerari, ora-
„toribus objectetur, ac Synodi Patres
„ab eis ſciſcitentur, an ego ad ſervanda
„Concilii decreta meos ſubditos vi com-
„pellere ſtatuerim: ad hæc reſpondeant,
„quod ego non ſine animi mei dolore
„ſub primis regiminis mei auſpiciis di-
„verſitatem opinionum, quæ in Religio-
„nis negotio dominantur, meorum ſub-
„ditorum potiſſimis, eorumque animis
„tam firmiter impreſſam repererim, ut
„in imbecilli ætate mea hæreticos vi
„compeſcere non poſſim, niſi me coro-
„nam meam amittendi periculo, re-
„gnumque maximo diſcrimini expo-
nam:

---

quod hæretici, omnesque illi, qui ſenſim ſuas Sectas propagare nituntur, ejusmodi doctrinam plenis buccis deprædicent, ut ſuorum ſcelerum impunitate freti, eluſa lenitatis, anathematis &c. via illam latius diffundere valeant, atque ii ita invaleſcant, ut Regnorum quies ab eis turbata nequidem armorum potentia amplius revocari poſſit, cujus rei luculentum ſubminiſtrat argumentum rebellio Calviniſtarum in Galliis ſuſcitata.

„nam: (*) de cetero autem præcipere de- Sæcul. XVI. A.C. 1562.
„crevi, ut mei Regni Præſules per
„aſſiduam divini Verbi prædicationem,
„pia exempla, & Reformationem a Sy-
„nodo præſcribendam, cum hæc ſint
„vera, & potentiſſima ſubditos meos
„aberrantes reducendi media, Regnum
„ab omni ſectarum, atque opinionum
„diverſitate expurgare, atque ad idem
„ovile reducere ſatagant: (**) porro huic
„rei omnes meas vires impendere ſta-
tui:

(*) Hæc a Rege Chriſtianiſſimo in mandatis fuiſſe data, quis credat? unde obſerves velim, longe certius eſſe, quod hæc mandata ab hæretico Authore fuerint confiƈta; ea enim Rex, cum adhuc puer fuerit, conficiendo impar erat, Regina autem illa concinnaſſe a nullo Scriptore refertur: Rex quoque Navarrus, ac Guiſii tanto Religionis ſtudio tum flagrabant, ut ejusmodi mandata Legatis dare erubuiſſent: neceſſe igitur eſt, ea a quodam fidei Catholicæ hoſte aut intruſa, aut mere confiƈta fuiſſe. Forte ad hanc animadverſionem meam rurſus Berolinenſis cenſor addet: die Urſach, welche Herr Pater hinzuſetzet, iſt in der Politic ſehr gültig.

(**) Ad hæc autem potentiſſima remedia hæretici rident, præcipue quando Præſulum poteſtas non firmatur Principum poteſtate, atque armorum vi.

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

„tui: eapropter Oratores Patribus „aliisque, qui potissimum conferre „possunt, supplicent, quatenus suam „& ipsi operam ad hoc conferant, at„que omnia privata commoda, ac hu„mana abjiciant consilia, sincere ea sta„tuentes, quæ Dei cultum, Ecclesiæ „pacem, totiusque Christianæ Reipub„licæ in una Sancta, & Catholica Re„ligione unionem, ac concordiam con„cernunt: ceterum cum Regis Catho„lici Oratores in variis occasionibus „meos Legatos præcedere niterentur, „hinc volo, ac peto, ut mei Oratores „proximi a Cæsareæ Majestatis Legatis „consideant, nulloque pacto in præfata „Synodo, aut in quocunque alio loco, aut conventu, ubi de occupando honoris loco disceptabitur, aliam sedem, locum, aut ordinem occupent, nisi qui primus est post Cæsaris Oratores: si autem forte hæc prærogativa Gallis in dubium vocaretur, mei Legati palam declarent, se nunquam cessuros, nec unquam, nisi illis idem locus, ordo, ac sedes concedatur, Synodo interfuturos, sed mox inde discessuros, ut me adirent, qui illis ammodo præcipio, ut hanc agendi rationem teneant, factaque prius protestatione declarent, quod nec ego, nec meum Regnum ulla hujus Synodi decreta rata habere velit, qui-

quinimo etiam meo nomine Franciæ Episcopis præcipio, ut pariter a præfato Concilio discedant, atque in Gallias revertantur. (*) Sæcul. XVI. A. C. 1562.

Hæc demum fuere mandata, quæ Franciæ Oratoribus data abs dubio haud æquo animo a Synodi Patribus accipi potuerunt, hinc in quodam libello, Insulanus apud Pontificem Franciæ Legatus, ad Abbatem San-Gildasii, qui tum in Gallias contenderat, perscripsit, quod Pontifex ad eum dixerit, sibi videri, quod Lansacus in sui mandati executione potius Hugonottarum Oratorem agere voluerit, cum prorsus insana, novaque circa Religionis capita petierit, atque inter alia voluerit, ut Angliæ Regina, Helvetiorum Protestantium Oratores, Saxoniæ, ac Wirtembergæ Duces expectarentur, necnon a Synodi Patribus invitarentur. Ceterum ea,

(*) Ægre tibi persuadebis, Christiane Lector, hæc dictata fuisse a Rege Christianissimo; quis enim credat, quod Princeps, qui pro Ecclesiæ unione tantum studium exerere videbatur, nunc ob solam sedis prærogativam nova dissidia suscitare, atque Concilio reconciliandæ pacis gratia convocato non sine Christianorum offensione maximum nocumentum inferre voluerit: ex his igitur malignus hujus mandati animus patescit.

Sæcul. XVI A.C. 1562.

quæ hac in re poſtea in Concilio fuerunt geſta, in Hiſtoriæ progreſſu perſpiciemus, ubi de adventu Franciæ Legatorum, qui die vigeſima ſexta Martii excepti fuerant, ſermo occurret.

§. LXI.

Duodecim articulorum examen in Synodo inchoatum.

Pallav. l. 16 c. 4. n. 1. & ſeq. Sarpius l. 6. p. 468. Spond. annal. ad hunc ann. n. 20.

Interea Legati, usquedum Seſſio ad diem decimum quartum ejusdem Menſis indicta celebraretur, Tridenti aſſiduo labore ſuas Congregationes habere pergebant, atque in illis, quæ a ſeptima usque ad decimam octavam Aprilis diem cogebantur, præcipue agebatur de duodecim illis articulis, quos Legati in conventu die undecima Martii habito propoſuerant: cum autem horum primus, qui Epiſcoporum reſidentiam concernebat, longum temporis ſpatium ſibi vendicaret, ea res pluribus contentionibus erat obnoxia; etiamſi enim hæc quæſtio jamjam in Synodo ſub Paulo III. fuiſſet agitata, nihilominus Patrum ſententiæ in hoc diſcrepabant, an decidendum eſſet, quod reſidendi neceſſitas ex divinorum jure deſcendat; nam nonnulli cenſebant, quod tunc, ſi reſidendi obligatio

tio imponeretur, ſummi Pontifices (*) præpedirentur, ne illos ab Eccleſiis ſuis ſejungere, atque ad exercenda ſupremi in Eccleſia Magiſtratus munia, aliaque Curiæ ſuæ officia aſſumere poſſent, quin potius pro officii ſui munere ipſimet Epiſcopos juxta Sacrorum Canonum præcepta ad reſidendum pœnis, ac cenſuris compellere tenerentur. Alii ex adverſo arbitrabantur, ſupervacaneum eſſe ejusmodi examen, cum nullo modo, ſive hæc reſidendi lex divini, vel Eccleſiaſtici juris ſit, dubitari valeat, eam eſſe præceptam, atque oppido neceſſariam, proin deliberandum potius de ratione, qua obſervetur præceptum, quam unde illius origo deſcendat. Sæcul. XVI. A. C. 1562.

§. LXII.

Hieroſolymitani Patriarchæ ſententia.

Hæc eadem quæſtio acrius adhuc agitabatur in primo conventu generali die ſeptima Aprilis poſt Paſchatis feſta celebrato, in quo Patrum nonnulli hac ſuper re adeo prolixe diſſerebant, ut ceteris nonniſi exiguum ſuam mentem declarandi ſpatium relinqueretur: *Sarpius p.* 469.

(*) *Utpote*, addit Pallavicinus, ex quo Continuator hæc deprompſit, *divini juris executores ſupremi.*

Sæcul XVI. A. C. 1562.

inter alios vero, præcipue Jeroſolymitanus Patriarcha præprimis hæc protulit: „hic articulus, in quo de quæſtione „circa reſidentiam agitur, jam in prima „hujus Concilii ſub Paulo III. indicti ce„lebratione fuit agitatus, ubi etiam con„cluſum fuit, quod ad reſidentiam ſta„biliendam duo requirantur, atque in „primis pœnæ adverſus non reſidentes „denuntientur, & dein removeantur ea, „quæ reſidentiam impediunt: circa pœ„nas quidem adeo abunde proviſum fuit „in Seſſione nona, ut nihil addi poſſit; „mulcta enim pecuniarum graviſſima „imponebatur, abſentesque dimidia parte „fructuum unius anni coercebantur, qua „pœna gravior excogitari non poteſt, „niſi Epiſcopos velint eſſe mendicos, nec „gravior ſine temeritatis nota infligi „poſſet, etiamſi inſignis contumacia vin„dicaretur, niſi forte omnino injunge„retur privatio, quæ cum executioni „ſit mandanda, neque alius a Ponti„fice eam exequi ſit idoneus, cum ve„tus Eccleſiæ mos cauſſarum Epiſco„palium cenſuram Apoſtolicæ ſedis co„gnitioni reſervarit: hinc ea Seſſione „Patres in Pontificem conjecerunt cu„ram omnem remedii adinveniendi, vel „alios pro Eccleſiis Paſtores conſtituendi, „vel providendi alia ratione, vi cujus „Metropolitanus adſtringeretur, ut de

„deSuffraganeorum abſentiaPontificem „certiorem reddat: ceterum de altero „etiam remedio agi cœptum, complurisque „ribusque decretis, tam in ea Seſſione, „quam in aliis, permultas exemptiones, „atque immunitates, quæ Epiſcopos in „ſuo munere præpediebant, ſublatæ „ſunt, hinc id in præſens ſupereſt, ut in „reliquis exemptionibus tollendis conſtanter pergatur, Patribus aliquot, prout „hucusque factum, ſelectis, qui colligant in unum impedimenta, poſtmodum tollenda, ut iis in congregatione „propoſitis proſpiciatur. Sæcul. XVI. A. C. 1562.

§. LXIII.

Archiepiſcopi Granatenſis opinio circa eundem articulum.

Hunc Præſulem excipiebat Granatenſis Archiepiſcopus, qui ita effatus eſt: „ jam Pauli III. ætate propoſitum „fuit remedium maxime efficax, atque „in id collimans, ut reſidentiæ præceptum ex jure divino deſcendere de„clararetur: qua de re integris etiam „decem menſibus actum fuit, quinimo „hic articulus utpote neceſſarius, atque „inter capita doctrinæ Eccleſiaſticæ pri„marius, haud dubie determinandus „fuiſſet, niſi Synodi ejus progreſſum a„liquid interrupiſſet, nec minus quæ„ſtio fuiſſet diſcuſſa, & rationes addu- *Pallav. l. c. n. 4. Sarp. l. c.*

Sæcul.XVI. A.C.1562.

„ctæ in medium mox typis editæ, hinc „materia jam præparata, digeſtaque „tantum reſtat, ut perficiatur: ſi enim „definitur, quod reſidentia deſcendat „ex jure divino, tunc impedimenta o„mnia ſua ſponte facile definent, atque „Epiſcopi eo, quod eſt muneris ſui, pro„be cognito religioſe officium facient, „uti decet eos, qui ſe veros Paſtores di„cunt, non mercede conductos, necnon „pro grege ſibi a Deo commiſſo vil„licationis ſuæ rationem divino ju„dicio reddere tenentur, quin culpam „in alios conjicere poſſint, ut diſpenſa„tionibus ſe quicquam juvari, aut excu„ſari poſſe noverint, hinc certe provin„ciæ ſibi traditæ invigilabunt: „ his prolatis multis e veteri, ac novo teſtamento teſtimoniis, & Patrum interpretationibus adductis contendebat, veritatem eam eſſe Catholicam, unde ſic concludebat: „omnibus fidelibus ſcan„dali occaſio præberetur, niſi Synodus „hanc quæſtionem decideret, proin ea „ſuper re audiantur ſententiæ Theolo„gorum, qui tanta frequentia, atque e„ruditionis præſtantia clari Deo faven„te hic adſunt, ut per nullam unquam „opportunitatem dignius poſſet tam gra„ve dogma conſtitui, in eo præcepto „quippe, ſi res definitur, admitti poſſent „ſecundum æquitatem exceptiones, ho„mini-

„minibus, ac temporibus accomodæ.„ Tandem adjecit modos quosdam, quibus definitio facilior redderetur. Sæcul. XVI. A.C. 1562.

§. LXIV.

Quorumdam Patrum sententiæ contra residentiam.

Hujus Archiepiscopi sententiæ accesserunt Præsulum potissimi, qui primum hunc articulum in quinque capita dividebant, petebantque, ut in primo expenderentur cuncta mala, & jacturæ ex neglecta residentia profectæ, ejusque observandæ necessitas. In secundo declaretur, quænam essent ejus impedimenta, & quo pacto removenda. In tertio statuatur, quibus pœnis transgressores hujus legis sit deterrendi: In quarto discutiatur, quibus proemiis ad ejus observantiam residentes alliciendi veniant. In quinto denique inquiratur, quæ ratio ineunda, ut ea, quæ illic stabilita fuissent, in opus deducantur. *Sarpius l. c.*

Porro residendi necessitas adeo extollebatur, ut contra illius violatores pœnæ tam severæ proponerentur, ex adverso autem residentibus præmia tam ampla sponderentur, ut in hoc solo articulo tota legis perfectio, hominum felicitas, salutisque certitudo reposita videretur: attamen hæc sententia licet sua firmari auctoritate crederetur, vehemen-

Sæcul. XVI. A.C 1562.

ter tamen impugnabatur ab aliis, qui hanc opinionem esse novam, illiusque primum Authorem fuisse ajebant Cajetanum Cardinalem, qui tamen Cajetanus Episcopus, ac Panormitanus Archipræsul creatus in postremis vitæ suæ diebus hanc sententiam rejecerat, atque in suo Episcopatu nunquam morabatur (*) de cetero inquiebant illi. „I. Ec„clesia semper asseruit, quod Pontifex „in hac lege possit dispensare. II. Non „residentes omnibus sæculis, aut casti„gati, aut reprehensi quidem fuere, sed „solummodo tanquam Canonum viola„tores, non autem velut legis divinæ „transgressores. III. In prima Synodi „hujus convocatione hæc quæstio qui„dem agitata fuit, sed disceptatio a Le„gatis viris prudentissimis, quod pericu„lo non vacaret, scite, dextereque com„pressa est: hinc idem nunc fiat: libri „enim de ea re exinde editi multis of„fendiculo fuere, & disceptationem „hanc solo factionum studio susceptam „demonstrarunt, nam quod Scripturæ „sacræ, & Patrum auctoritates attinet, „illæ

(*) Negotia, ob quæ Cajetanus in Ecclesiæ utilitatem varias urbes, ac Regiones pertransire cogebatur, neminem latent: quod autem in suis Ecclesiis nunquam resederit, Vitæ ejus acta mendacii arguunt.

„illæ duntaxat ad perfectionem adhor- Sæc. XVI. A.C. 1562.
„tationes sunt, nihil hic autem occurrit
„solidi præter Canones, qui tamen sunt
„leges mere ecclesiasticæ, seu, ut vo-
„cant, positivæ.„

§. LXV.

Adiacensis Episcopi sententia.

Hanc in rem Joannes Baptista Bernar- *Sarpius l. c.*
dus Adiacii in Corsica Episcopus
ita perorabat: „ Quandoquidem nunc
„non agatur de hac, aut illa opinione fir-
„manda, sed tantum de Clero ad resi-
„dendum obligando, ut id effectum sor-
„tiatur, frivolum est declarare, unde ea
„dimanet obligatio, & frustra laboratur
„in alia re, quam in absentiæ caussa tol-
„lenda: absentiæ vero non alia est caus-
„sa, nisi quod Episcopi in aulis Princi-
„pum degentes sæcularibus negotiis ad-
„ministrandis impliciti teneantur, Judi-
„cum, Cancellariorum, Secretariorum,
„Consiliariorum, & Quæstorum munia
„obeuntes, adeo, ut vix fere munus a-
„liquod publicum reperiatur, in quod
„Episcopus aliquis adlectus non sit:
„porro hæc alieni muneris usurpatio
„proscripta fuit a D. Paulo, necessarium
„ducente, ut is, qui Ecclesiæ militat, se-
„cularibus abstineat negotiis: facien-
„dum igitur est id, quod per Apostolum
„Deus præcipit, rursusque vetandum,
„ne

Sæcul. XVI. A. C. 1562.

„ne Ecclesiastici in sæcularibus munus, „officium, gradum ordinarium, vel ex„tra ordinem teneant, quo semel pro„hibito, statutoque, ne negotiis impli„centur sæcularibus, cum Episcopis nul„la superstit caussa, cur aulam frequen„tare debeant, sua sponte absque præ„ceptis, pœnarumve denuntiationibus, „in suam quisque se Diœcesin ad residen„dum ibi recipiet, neque inde, negotio„rum occasionibus jam ademptis, facile „migraturus erit. „ (*) Verum huic sententiæ

(*) Hæc Continuator ex Sarpio incurius defloravit, non attendens, ea a Pallavicino fuisse confutata his verbis: *Equidem Bernardi sententiam lustravi, & nihil reperi ex iis, quæ Suavis illi tribuit, hoc est, quo mansioni consuleretur, Episcopos removendos esse a ministeriis Principum Laicorum, addens, his repugnasse Episcopum quinque Ecclesiarum: sed ejus oratio fuit hujusmodi: Residendi debitum extra controversiam esse, nec oportere subtiliora indagare: eum igitur, quem virtutis amor, & conscientiæ stimuli satis impellerent, non alia declaratione indigere, nisi ea, per quam a sua quisque intelligentia doceretur, non posse boni Pastoris partes simul expleri, & ipsum a grege simul abesse, illi etiam, qui animum gereret tam abjectum, ut terrore pœnarum esset exstimulandus,* sans

tentiæ vehementer obluctabatur. Quin- Sæc. XVI.
queeccleſienſis Epiſcopus, qui prolixius A.C. 1562.
perorans demonſtratum ibat, quod ab octnigentis abhinc annis Præſules non niſi maximo emolumento ſeſe profanis negotiis ingeſſerint, indeque in Eccleſiam æque, ac regna ampliſſimus honor, utilitasque redundarit, ut proin uſus per tot ſæcula ſtabilitus damnari haud poſſet.

§. LXVI.

Nucerienſis Epiſcopi oratio circa reſidentiam.

Abſoluta hac oratione Paulus Jovius Nucerienſis Epiſcopus hunc in modum differebat: *Synodus convocata eſt ad plagam ingentem, nempe deformationem Eccleſiæ ſanandam: omnibus eſt perſuaſum, hujus mali cauſſam eſſe Præſulum ab Eccleſiis ſuis abſentiam; verum id, uti ab omnibus affirmatur, ita vix ſatis a quovis forſitan expenditur, ac conſideratur: verum non eſt prudentis medici de cauſſa morbi tollenda agere, niſi primum eam probe cognoſcat. Inſuper, an non ea ſublata, majora mala ſecutura ſint, accurate* *Sarpius l.c.*

ſatis fuiſſe proſpectum per impoſitas a Concilio ſub Paulo III. pœnas, & per recentem conſtitutionem ſedentis Pontificis. Id nec quidquam amplius habetur in hoc genere in Bernardi ſententia.

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

curate prævidere oportet, certe si absentia Præsulum corruptelis, quæ irrepserunt in Ecclesiam, caussam dedisset, minus deformitatis in Ecclesiis illis deprehenderetur, in quibus nostro sæculo proprii Præsules perpetuo resedisse animadvertuntur: jam Summi Pontifices centum annos assiduo commorantes Romæ nihil omiserunt, quod ad populum studiosissime instruendum pertineret: ea tamen Urbs nihilo melius instituta reperitur, atque omnino regni cujusque Metropoles, in quibus fere Præsules sedes suas figunt. sunt præ aliis deformitate notabiles, & contra miseræ aliquot Urbes, quæ a centum annis Episcopum suum non adspexerunt, vitiorum sordibus minus sunt corruptæ: præterea inter Antistites Seniores, qui adsunt, & in Ecclesiis suis perpetuo hæserunt (sunt enim ex his nonnulli,) nemo potest dicere Diœcesin a se melius constitutam, quam sint vicinæ Episcopis destitutæ: porro is, qui istiusmodi Ecclesias dicit greges sine Pastore, is pensi non habet, etiam Parochos, ac non solum Episcopos, curam gerere animarum: interim de solis Episcopis verba fiunt, quasi nusquam fideles Christiani esse possint, nisi ubi sunt Episcopi, & tamen in ipsis montibus, in quibus Episcopus nunquam visus, Ecclesiæ reperiuntur, quæ civitatibus Episcopalibus exemplo præire poterunt. Hinc Patrum, qui

in

in prima Synodi convocatione interfuerunt, & zelus laudandus, & actiones imitandæ, qui pœnarum interminatione Præfules excitatum ibant ad Ecclefias fuas frequentandas, & principium dederant tollendis impedimentis, quæ abfentiæ dant cauffam: neque tamen permittendum, ut ea fpes nos fallat, quafi in hac refidentia pofita fit Eccleſiæ reformatio, fed potius metuendum, ne, uti nunc remedia quæruntur ad ſtabiliendam Prælatorum reſidentiam, ita poſteris incommodis inde provenientibus ſapientiores facti, remedia ad abſentiam denuo invehendam ſint quæſituri, hinc non quærenda ſunt vincula adeo robuſta, quæ, ubi opus eſt, diſſolvi nequeunt, cujus generis foret jus illud divinum, quod nunc poſt mille, & quadringentos annos tentatur. Epiſcopus pernicioſus, qualem vidimus Colonienſem, hujus doctrinæ effugio latebras ſibi quæſiturus eſt ab obedientia Pontificis, ſi vel ad rationem actionum reddendam citabitur, vel a grege ſuo procul faceſſere jubebitur, ne præſentia ſua malum alat: ego quidem agnoſco, quod Præſules, qui articulum determinatum volunt, abundent zelo: ſed credo etiam, quod nonnulli velint ejus beneficio uti, ad ſe ab obedientia Pontificis ſubducendos: quæ quo arctior eſt, hoc magis unitam teneat Eccleſiam: iis vero hoc inſtillatum cupio, quicquid in eo genere operentur, id Parochis uſui

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

usui futurum, ad ipsos ab Episcoporum imperio eximendos, nam si articulus hic obtineat, confestim dicent illi, Episcopum nec posse ipsos ab Ecclesia dimovere, nec potestatem ipsorum reservationibus restringere; quin imo iidem tanquam Pastores immediate a Deo dati, plus juris in gregem, quam ipsis Episcopis concedent, vindicabunt (*).

§. LXVII.

(*) Sarpium, qui hanc Jovii orationem exhibet, idem Pallavicinus his verbis castigat: *Sententia Jovii ad me non pervenit, non tamen Suavem abire sinam absque merita correctione, quod ipse cursim, ac studiosa negligentia de illo refert: id non esse definiendum, propterea quod vera malorum in populo causa non erat Episcoporum absentia, quandoquidem liquebat, Pontifices jam centum ipsos annos continenter Romæ perstitisse, & exquisito studio populum probe erudiendum curasse, nec tamen melius moratam eam urbem conspici, quibus obliquis verbis mordentur Romani Pontifices, tanquam infructuosi bonis moribus illius etiam Urbis, in qua continuo ipsi residents: profectò si Jovius ita disseruisset, crassam indicasset oblivionem querelarum, quibus conquesta est non inquam Roma, sanctive illius ætatis viri, sed universa Italia, & quicunque ibi mortalium scintillam pietatis obtinebat, absentiam Romani Ponti-*

§. LXVII.

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

Variæ Patrum opiniones circa hunc articulum.

Plures adhuc aliæ hanc in rem proferebantur ſententiæ, & quidem nonnulli probare contendebant, quod omnia hucusque mala ob Prælatorum abſentiam in Eccleſiam fuerint invecta, cum defuerint, qui lupos ab ovium invaſionibus arcerent: ſi vero nunc reſidentiam juris divini eſſe ſtatueretur, tunc Epiſcopi hanc legem, quam non ex hominum arbitrio, ſed Dei præcepto deſcendere cognoſcent, tranſgredi minime audebunt: eapropter ipſemet Apoſto-

Pall. l. 16. c. 4 n. 11. 12. & 13.

Pontificis, cum Avenione morabatur, & funeſta mala, quæ idcirco contraxerat auguſta illa Urbs, ac generoſa Provincia, nondum trium ſæculorum labore omnino reparata: quidnam aliud illam adeo intaminatam in fide Catholica conſervavit inter tantam propinquitatem, communicationemque regionum corruptarum, inter tam crebras excurſiones militum hæreticorum, inter tam apertum aditum confugii ex una in aliam ditionem, ob ſuorum principatuum diviſionem, inter tantum acuminis, & curioſitatis in ingeniis ſibi fidentibus, & avidis novitatis, niſi Pontificum præſentia, & vigilantia?

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

postolus Paulus, ut gravius mandatis suis pondus adderet, interdum utitur conspicuis illis vocibus, *Non ego, sed Dominus* id præcipit vobis: ex adverso contendebant alii, quod tunc, si residentia jure divino præcepta definiatur, hæc lex quadam declaratione, atque exceptione circumscribenda foret, adeo, ut statuatur, interdictam a Deo fuisse voluntariam Episcoporum absentiam ab Ecclesia, non autem necessariam, seu ex legitimo impedimento, aut justo Superioris sui præcepto profectam, cum perperam ita argueretur: residentia est a Deo imperata: ergo non licet Pontifici Pastores extra suas Diœceses evocare? cum id sane perinde valeret, ac si hoc pacto quis concluderet: conjunctio viri cum uxore a Deo præcepta est: non licet igitur Principi procul ab uxore Maritum ad Regiones etiam exteras mittere, vel ad exequenda hujus Principis mandata, vel ad ditionis suæ utilitatem, insuper addebant: „si Patres „nunc vellent statuere, cujus esset juris „Pastorum mansio, socordiæ damnaren„tur cunctæ veteres Synodi, quæ tam „multiplici studio prospexerant, ne Pa„stores ovilia desererent. & tamen ar„ticulum illum ab Ecclesiæ primordiis „ad eam usque diem non in quæstio„nem nedum ut fidei articulum decla„ rare

„rare ausi fuere, nec unquam statue- Sæcul. XVI.
„runt, quod summi Pontificis jussa, qui- A.C. 1562.
„bus aliquem Episcopum a sua Diœcesi
„evocat, legi divinæ adversentur.„
Ceterum cum ex hac opinionum diversitate nonnisi majores adhuc in consessu tumultus, ac contentiones orirentur, hinc hæc quæstio decisa non fuit.

§. LXVIII.

Quidam a Legatis Romam missus ad explorandam Pontificis mentem.

Interea Legati Fridericum Pendasium Cardinalis Mantuani familiarem Virum in Philosophicis, ac Theologicis disciplinis versatissimum, ut Synodi statum summo Pontifici exponeret, Romam ablegabant, præcipue vero is de emendationis negotio agere tenebatur: quam in rem ei in mandatis fuit datum, ut hæc Pontifici significaret; „animadverterunt Legati jam tum ab initio, „dum Tridentum venerant, Patrum animos, ac vota conversa prorsus esse „ad disciplinam vere, sincere, ac reipsa „reformandam: hinc iidem illam tanquam unicum sperant remedium ad „tollenda Fidei dissidia, quæ per decreta, ac definitiones sanari non posse videbantur: plura quidem fuere uber-

Pallav. c. 4. n. 15. Sarp. p. 479.

Sæcul. XVI. A C. 1562.

„tim definita in prioribus cœtibus sub „Paulo III, & Julio III, sed absque fru„ctu; quoniam emendationes statutæ, „nimium debiles, ac tenues fuerant „pro morborum gravitate, & morta„lium expectatione, præsertim cum hæ „ipsæ non debito modo executioni da„rentur, hinc illarum imbecillitati tri„buebantur hæresis incrementa: po„stea quo major illuc accesserat Patrum „frequentia, eo magis integræ emen„dationis persuasio excreverat, nec dee„rant quoque tamen, qui in vulgus spar„gere, atque aliorum animis inserere „auderent, quod non possint confici di„sciplinæ leges, quæ constantes, ac fir„mæ forent, nisi Romæ tribunalia cor„rigerentur, ac feriæ reformationi ma„nus admoveretur.

§. LXIX.

Mandata huic Deputato data.

Pall. n. 18.

Insuper hæc Fridericus addere jubebatur: „Volunt equidem Patres intac„tum relinquere, quidquid e mente „Pontificis proxime proveniret; petunt „tamen novas leges extendere ad Car„dinales, & in omnes illius aulæ magi„stratus, de quibus acriter nonnulli „queruntur: capita vero, quorum ha„ctenus mentionem fecerunt sunt, Epi„copatuum, & beneficiorum collationes,

„eorum

„eorum præsertim, quibus dignitas, & „animarum cura adnectitur: insuper „Patres de crebris, ob quas complurium „crimina relinquuntur impunita, provo„cationibus, ac de nimia Nunciorum „auctoritate, & de pluribus aliis con„queruntur: flagrantissimum ergo de„siderium ab illis præsefertur, ut re„bus consulatur per ea decreta, quæ o„lim Paulo III. a quibusdam Viris ab „illomet ad hoc selectis proposita, & „postea typis vulgata fuerant cum va„riis adversariorum commentis, mul„tisque in Apostolicam Sedem calu„mniis: idcirco Legati opportunum fo„re censent, ut Pontifex ipsis significet „cuncta simul capita, de quibus deli„berandum in Concilio sibi videatur, „ut ea ponderare, discutere, ac in va„riis Sessionibus promulgare valeant, „hocque pacto dissipentur eorum obtre„ctationes, qui spargunt, quod omnia „decreta jam prius plene Romæ confe„cta tandem Tridentum mittantur ibi„dem duntaxat promulganda. Sæcul. XVI. A. C. 1562

Eadem occasione Legati ad summum Pontificem transmittebant scriptum quoddam, in quo nonaginta quinque articuli a pluribus Episcopis, aliisque Viris probis propositi continebantur, quin tamen illic mentio fieret postulati, ut residentia tanquam jure

Sæc. XVI. A C 1562.

divino præcepta declararetur: præterea Legati exponebant, ex pluribus indiciis conjici, Tridenti avide expectari Gallos, qui in hiſce controverſiis conſenſuri eſſent cum Hiſpanis, & cum his pariter Luſitani, & Cæſarei Oratores, & ex Italis complures, ut proinde aut numero potiores evaderent, aut publicæ offenſioni foret, ſi Decreta ſancirentur ab unica natione, cunctis reliquis per ſuos Præſules contradicentibus, videlicet orbe chriſtiano fere univerſo.

§. LXX.

Quædam propoſitiones Synodi Patribus a Legatis factæ.

Pallav. n. 19. Sarp. p. 479

Cum propter opinionum diverſitatem circa articulum de reſidentia tantopere agitatum nihil certi decidi poſſet, hinc Legati in quodam conſeſſu die vigeſima Aprilis habito congregatis hanc propoſitionem prælegi juſſerunt: „dum „multi Patres dixerunt, declarandum „eſſe, an manſio ſit juris divini: alii ta„men de hoc verba non fecerunt, alii „negarunt ad hanc declarationem de„veniendum eo ex capite, ut Patribus „ad formanda Decreta ſeligendis liceat „ea ſincerius formare, hinc Patres ſuam „deſuper ſententiam proferant per ver„bum *placet*, aut, *non placet*, ut ſic decla„rent,

„rent, an petant, ut definiatur manſio „eſſe juris divini, atque hac ratione pro „majori ſuffragiorum, ac ſententiarum „numero digeri poſſint decreta juxta „morem in hac ſacroſancta Synodo ſem„per uſitatum; cum autem ſuffragio„rum numerus in præſentia propter „ſententiarum, quæ prolatæ ſunt, va„rietatem haud videatur liquido con„ſtare, eapropter Patres tam clare, ac „tam diſtincte loquantur, ut eorum ſen„tentiæ perſcribi facile poſſint.„ Hoc conſilium ſtudioſiſſime occultarunt Legati, ne ii, qui adhuc, cui ſententiæ faverent, dubii hærebant, cum ceteris conferre poſſent. Verum ſuſcepto Legatorum conſilio omnino contraria res evenit: Patres enim improviſa, moleſtaque mentem ſuam aperiendi neceſſitate obruti palam querebantur, perinde acſi ipſis vis inferretur, vel Synodo libertas adimeretur, quinimo Patres ægre placari poterant, quamvis Legati validis rationibus eos convincere niterentur.

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

§. LXXI.

Plurium ſententia de reſidentia ex jure divino neceſſaria.

Madrutius Cardinalis, qui primus verba fecerat, ſe priori ſuæ ſententiæ immote adhæſurum affirmabat,

Pallav. n. 20. Sarpius l. c. Raynald. hoc ann. n. 41.

Sæcul.XVI. A.C.1562.

quamvis autem Auguſtinus egregius Jurisconſultus eum a ſua opinione removere adductis rationibus niteretur, fruſtra tamen laborabat: porro hujus Cardinalis exemplum plures alios ad imitationem inducebat, unde diſſidentium ſtudia magis adhuc fervere cæperant: Legati igitur veriti, ne Patres in duas factiones ſcinderentur, præceperunt, ut Patres ſua ferrent ſuffragia, hancque in rem præter Maſſarellum, qui Synodo a ſecretis erat, adhuc Jeroſolymitanum Patriarcham, & Granatenſem Archiepiſcopum, qui ſuffragia colligerent, nominabant, eo fine, ut res majori ſecuritate æque, ac auctoritate firmaretur: itaque ex omnibus Patribus, ex quibus Synodus conſtabat, erant ſexaginta octo, qui hunc articulum omnino definiri poſtulabant: illi autem, qui ſeſe huic opinioni opponebant, in diverſas ſcindebantur ſententias; quippe eorum triginta affirmabant, quod ſibi placeret articulum definiri, dummodo prius Pontificis conſenſus obtineretur: alii vero ferme totidem numero dicebant, quod in hunc articulum nunquam conſenſuri eſſent, ſaltem niſi prius mens Pontificis explorata haberetur: igitur horum omnium ſuffragia a Maſſarello Secretario alta voce præ

præleguntur, atque a singulis, qui suas opiniones tuebantur, fuere comprobata. Sæcul. XVI. A. C. 1562.

§. LXXII.

Pontificis sententia de hoc articulo tanquam juris divini non decidendo.

In hac eadem congregatione plura adhuc alia circa hanc quæstionem proponebantur argumenta, cum autem crebræ exinde orirentur tricæ, hinc Legati, quid consilii caperent, dubii hærebant, præcipue cum sibi persuasum haberent, quod hunc articulum definiri Papa nollet, uti Florentiæ Orator ad Ducem suum Dominum perscripserat, hæc significans: „ inter eos, qui hujus „quæstionis definitionem exoptarunt, „ferme omnes erant ex nationibus ab I„talica distinctis, præsertim cum a mul„tis ea censeretur efficaciſſimum adju„mentum ad collapsam disciplinam re„parandam, ut proinde, si Pontifex „illam rejiceret, linguas obtrectatorum „vellicaret, vociferantium, Ecclesiæ re„stituendæ, ac reformandæ partibus i„psum deesse: contra vero si declaratio„nem eligeret, non levia id dignitati „suæ damna, atque incommoda afferret. „ Ferme eadem Insulanus Franciæ Orator Roma ad Regem suum die „sexta *Pall. c. 3. n. 1.*

Sæc. XVI. A C. 1562.

sexta Maji perscripserat: „ Petebant „plures, inquiebat ille, circa articulum „de residentia in proxima Sessione de-„cretum fieri: alii vero partim huic o-„pinioni adversabantur, partim totam „rem Sanctitatis suæ judicio committe-„bant; nam hunc articulum in grave „summi Pontificis, Curiæque Romanæ „præjudicium cedere existimant non-„nulli, dicentes, quod exinde Episcopo-„rum dignitas, atque auctoritas pluri-„mum augeretur, cum illi hac ratione, „prout fertur, obtinere nitantur, ut libe-„re omnia suarum Diœcesium benefi-„cia conferre valeant: quinimo ex Hi-„spaniæ Præsulum animositate, impor-„tunisque precibus colligitur, quod Sy-„nodus ad eorum partem semper ma-„gis, magisque inclinet, adeo, ut Sancti-„tas sua nonnunquem horum vocifera-„tiones molestе ferat, ac valde perple-„xus hæreat ob querelas, quæ ad eam „nuper ab illis delatæ fuerunt; que-„rebantur enim illi, quod omnia Syno-„di negotia prius Romæ deciderentur, „ac Tridenti libertas aperte violaretur.„ Denique his addidit, „ intra triduum „a die vigesima nona præteriti Mensis „Sanctitas sua jam quinta vice hac su-„per re Cardinalium suorum Senatum „habuit. „

Mem. pour le Conc. de Trente 1694. *p.* 182.

§. LXXIII.

Sæc. XVI. A.C. 1562.

§. LXXIII.

Legatorum difficultas in decidenda hac quæstione.

Id, quod Legati hac in re proponebant, neutri parti placebat; nam hi, qui hujus articuli declarationem rejiciebant, querebantut, quod per eam improviſam percontationem in quæſtione tam ardua voluiſſent Concilium ad abortum adigere, fœtum matureſcere haud permittentes illi: hi vero, qui oppoſitam ſententiam tuebantur, cum ſuorum ſuffragiorum nullam haberi rationem cernerent, damnabant rationes, quæ ad rejiciendam eorum opinionem afferebantur: nec defuerunt ex Patribus nonnulli, qui novam Congregationem a Legatis indictam ſiniſtre interpretabantur, palamque dicebant, quod conſilium ad rem facilius conficiendam ſuſceptum, quamdam quaſi artem illius impediendæ præſeferat, præcipue cum Patres ſat clare locuti ſint in ſuperioribus cœtibus, & a Legatis indicta nova ſuffragiorum collectio non eo tendat, ut ſententiæ clareſcerent, ſed revocari, atque in nihilum redigi poſſent.

Pall. t. 5. n. 2. Lib. Orat. Flor. ad Coſmum die 23. April. 1562.

Inſuper Euſtachius Bellajus Pariſienſis Epiſcopus die decima quarta Aprilis Tridentum delatus, vehementer ſe mirari ajebat, quod Epiſcopi non modo

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

modo Synodum convocandi, congregandi, & confirmandi poteſtatem in ſummo Pontifice revereantur, ſed etiam eidem præmiſſis Patrum deciſionibus definiendi auctoritatem attribuant: porro id ipſum cum Pariſienſi Epiſcopo ſentiebat Miglitius Pragenſis Archiepiſcopus, qui hæc effatus eſt: „Patres ad firmam „morum emendationem parum propen„ſos eſſe, vel ex eo colligitur, quod eo„rum potiſſimi reſidentiam ex jure di„vino præceptam definiri petentes, nunc „illius articuli deciſionem Pontifici, „quem æque, ac ſuorum Prædeceſſo„rum potiſſimos adverſæ eſſe ſententiæ „noruut, remittere cogitent: ſi vero „Pontifici omnia decreta ſemel ſtabilita „decidendi auctoritas relinquitur, peni„tus Synodo libertas adimi videtur.„ Eadem quoque conſilia hic Præſul Cæſari inſpirabat; hic enim Princeps datis ad ſuos Legatos literis perſcribebat, quod poſſit ex eo argui, quam remiſſo animo ſint Patres ad reformandam Eccleſiam, & quam exili libertate iidem in hac Synodo potirentur. Hæc Miltizii temeritas pluribus diſplicebat Epiſcopis, atque ex illis unus eidem reſpondit moderata quidem, ſed ponderoſa ratione ab eo poſtulans, ut majorem in loquendo tam celebris conſeſſus rationem haberet; inſuper eidem oſtendit, liber-

Epiſt. Cæſ. ad Orat. Pragæ 9. Maji 1562 apud Pallav. l. c.

libertate sua neutiquam spoliari eos, qui in rebus arduis, & malignis ob contrarias inter se rationes, ac sententias sponte confugiunt ad illius judicium, quem Deus universæ Ecclesiæ rectorem constituit, cum idem nonnunquam usurpetur in comitiis, ac Conventibus erga suos Principes, ac Magistratus. Sæc XVI. A C 1562.

§. LXXIV.

Mala ex Patrum dissidiis exorta.

Ferventibus hisce dissidiis Legatorum primus gravissimis verbis Patres monebat, ne dissidia in hoc conventu suscitata divulgarent, nec exiguam, qua hucusque in disputationibus usi fuissent, moderationem in vulgus spargerent; porro hæc verba adeo Patrum nonnullos commovebant, ut in exitu e consessu calamitosa illa, ac nimis fervida dissidia lacrymis deplorarent, cupidissimi ea occultandi, cum facultas ipsis deesset illa impediendi: nihilominus dissidii rumor brevi per universam Tridentinam urbem volabat, sparsisque per omnia Regna literis haud parum ingens illa, quæ prius de hoc Concilio habebatur, existimatio, spesque imminuebatur: quinimo non deerant, qui comminiscerentur, perinde acsi Mantuanus, & Seripandus Cardinales suam industriam, auctoritatemque impendissent ad emen- *Pallav. c. 5. n. 4. & 5.*

Sæcul. XVI. A.C.1562

emendicanda suffragia declarationi faventia, cum ambo residentiam esse juris divini propugnarent: Cardinalis quoque Simonetta, fingebant alii, cum oppositam teneret sententiam, variis quoque actibus sibi aliorum suffragia conciliabat: paulo tamen honestius loquebantur de Warmiensi, & Althempsio Cardinalibus, atque illum duntaxat tanquam Virum in politicis rebus minus versatum, hunc vero ob juvenilem ætatem experientia rerum destitutum carpebant. Ceterum omnes rem silentio tegendam esse censebant, ac suam quisque opinionem tueri, scopumque attingere quærebat, quin tamen aperte mentem suam, vel ullus panderet: unde ingens inter eos dissensio nascebatur.

§. LXXV.

Patrum sententiæ circa Ordinationes ad titulum Patrimonii.

Sarp. hist. Conc. Trid. l. 6. p. 472. & 476.

Cum Patres, priusquam Papæ responsum haberetur, hac super re nihil decidere vellent, interea Legati ceterorum articulorum examen prosequebantur, quod in Congregatione die nona Aprilis, necnon in aliis conventibus jamjam inchoatum fuerat, hancque in rem Patrum nonnulli, qui decreta conficerent, nominabantur: igitur circa secundum articulum præprimis movebatur

batur quæſtio, an illos, qui de beneficiis proviſi non ſunt, a ſacris ordinibus arcere conſultum videatur, atque abolendæ ſint ordinationes, quæ ad Patrimonii titulum fiunt? Hac ſuper re Patres in diverſas abiere ſententias; nonnulli enim dicebant: „ſi deciditur, re„ſidentiam eſſe de jure divino, ac ſin„gulis, quod ſui muneris eſt obeunti„bus, Eccleſiis adeo plene, perfecte„que providebitur, ut nullus ſit futu„rus uſus Clericorum beneficiis non „gaudentium, nec ulla neceſſitas Sa„cerdotes inaugurandi ad patrimonii, „aut ad alium titulum, quinimo om„nibus incommodis conſultum ibit: „nam ceſſabunt inſuper omnes ejusmodi „abuſus, nec inter Clericos erit aliquis „hebes, aut otioſus, unde innumera „mala, & exempla pernicioſa manare „ſolent, nec quis invenietur mendicus, „aut ad exercenda vilia officia neceſſi„tate adactus: inſuper liquido conſtat, „quod nulla ſit commoda Reformatio, „niſi ea, quæ res ad principium, unde „deflexerunt, revocet: Eccleſia autem „antiquitus tot ſæculis ſummopere flo„ruit; hac ergo ſola via integritas pri„ſtina repeti poterit. Ceterum aliorum „opinio erat hæc: aditus ad ſacros „Ordines propter egeſtatem nemini ve„tetur, qui vitæ probitate, aut idonea litera-

Sæcul. XVI. A C 1562.

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

„literarum cognitione eos promeretur: „pauperes enim in Eccleſia primitiva „excluſi non fuerunt, neque Eccleſia „ab eo unquam abhorruit, ut Clerici, „ac Sacerdotes manuum ſuarum la„bore vitam ſuſtentent: ſi quis vero „putet, quod egeſtas rapinæ, ac aliis „delictis cauſſam det, is re bene penſi„tata reperiet, quod ejusmodi ſcelera „a locupletibus citius, quam a tenuio„ribus patrentur, atque avaritia ma„gis impotens, atque indomita ſit, quam „paupertas, quæ laborioſa æque, ac „negotioſa, male agendi occaſiones pro„cul habet: porro inter bonum, & pau„perem bene convenit, ſed bonus, & „otioſus male cohærent: ſatius ergo „eſt ſeveriſſimo edicto præcipi, ut Viri „probi, & eruditi etiam absque ullo „titulo ordinentnr: ceſſat enim in præ„ſens cauſſa, cur antiquitus illud pro„hibitum, nam eo tempore ordinati „cum titulo, ſeduli fuerunt in functio„nibus Eccleſiaſticis exercendis, & æ„dificationis Eccleſiæ ſtudioſi; ceteri „vero, quippe otioſi, offendiculo fue„runt; contrarium vero hodie obtinet, „ordinatis cum titulo plurimum mini„ſteria Eccleſiaſtica dedignantibus, at„que otio diffluentibus; cum interea „egeni functiones Eccleſiaſticas ſo-

lerter

„lerter abeant, ſuisque fidelibus bono „exemplo præluceant. Sæcul. XVI. A. C. 1562.

Verum neutra horum ſententia omnibus probabatur, ſed alia potius proponebatur: dicebant enim alii: „ille „jam receptus mos neminem ordinandi „ſine titulo, aut beneficii Eccleſiaſtici, „aut patrimonii ad victum idonei ho„diedum obtinet, ne Sacerdotes cum „ſumma Sacri Ordinis contumelia men„dicantes deprehendantur: quapropter „ad prævertendas fraudes, ac corru„ptelas ſanciatur, ut omnem Epiſco„pus adhibeat diligentiam, ne patri„monium, ad quod Clericus ordinatus „fuit, alienetur.„ *Sed ab eo*, inquit Paulus Sarpius, *longe diverſum ſentiebat Gabriel le Veneur Gallus, Epiſcopus Vivarienſis, affirmans, patrimonium clericorum eſſe quid ſeculare.* Nihilominus prior illa opinio fuit approbata, moxque perſpiciemus, quod hanc in rem poſtea decretum fuerit promulgatum.

§. LXXVI.

Articulus de nihil ſolvendo pro Ordinum collatione.

Pariter tertius diſcutiebatur articulus, in quo ſtatuebatur, ne Epiſcopis, nec eorum Miniſtris quicquam pro Ordinum collatione ſolveretur, & contraria corruptela eradicaretur, porro **Sarpius**

Sæcul. XVI A.C. 1562.

circa decretum desuper condendum dissimilis personarum conditio diversas etiam pariebat opiniones; Episcopi enim prædivites, si quid per se ultro, aut per Officiales, aut Notarios acciperetur, id damnabant ut sacrilegum, ac simoniacum: ex adverso Episcopi pauperes tum in Synodo præsentes dona sponte oblata ab illis, qui sacris Ordinibus initiantur, accipi posse contendebant, ita perorantes: „Sicuti sacrile„gus merito censendus est, qui pretio „ordines divendit; ita is, qui eleemo„synam a Christo tantopere commen„datam auffert, charitatem everteret: „eadem enim omnino ratio in ordina„tionibus militat, quæ in confessioni„bus, Missis, sepulturis, aliisque Ec„clesiasticis functionibus obtinet: nihil „autem est causſæ, cur vetari debeat, „ne in illis magis, quam in his, quid„quam ultro detur, aut accipiatur, „nam quod de eleemosyna etiam aliis „temporibus elargienda objicitur, ad „alias non minus functiones pertinet: „ab antiquissimis vero temporibus con„suevit Ecclesia oblationes, & eleemo„synas his occasionibus accipere, qui„bus sublatis, inopes Religiosi, qui „inde victitant, ad victum aliunde quæ„ritandum necessitate cogerentur: in„diciis autem manifestis constat, &

a quin-

„a quingentis annis compertum habe- Sæcul. XVI.
„tur, divites ministeria Ecclesiastica A C. 1562.
„non obituros: porro tali modo Reli-
„gionis exercitium sensim interiret, &
„populus cultu religioso destitutus, in
„impietatem, & diversas pernicioſas
„superstitiones migraret: ceterum ut
„extra ipsum Ordinationum argumen-
„tum non egrediamur, si reprehensione
„vacat, quod propter *pallia*, quæ a
„sede Apostolica dantur Metropolitanis,
„etiam millia aliquot aureorum depen-
„dantur, cur Episcopo vitio vertatur,
„ab iis, qui sunt ordine inferiores, ali-
„quam grati animi testificationem ac-
„cipere? aut quare de iis, quæ sunt
„ejusdem generis, non diversæ tantum,
„sed & contrariæ leges sanciantur?
„nam etiam in Pontificali proditum
„est, quod in Ordinationibus, dum in
„peragenda re divina ad oblationes ve-
„nitur, cerei, qui tamen sunt res se-
„culares, Episcopo ordinanti ab Ordi-
„natis offerantur: quibus tamen vel
„numerus, vel apparatus, pretium, &
„æstimatio potest addi: quapropter id,
„quod in pauperibus Episcopis repre-
„henditur, non est adeo odiosum, neque
„indecens, ut cum ejus ordinis infamia
„alii laudem sibi arrogent reformatorum,
„verius Pharisæorum imitatores, *dum*
„*festucas observant, ipsi excolantes culicem*:„

Sæcul. XVI. A. C. 1562. ceterum nonnulli dicebant, quod articulus hic non possit decerni, cum contrarius sit Decreto Innocentii III. Pontificis in Concilio IV. Lateranensi Oecumenico, in quo non solum probatur consuetudo ultro dandi, & accipiendi quiddam temporale in administratione Sacramentorum, sed præcipitur etiam Episcopis, ut censuris, & pœnis Ecclesiasticis populum adigant ad eam consuetudinem observandam, addito etiam *laudabilis* encomio iis, quæ nunc sicut impia, & sacrilega damnantur.

Attamen Dionysius natione Græcus ex ordine S. Francisci Episcopus Milopotamensis longa digressione excurrens hunc in modum perorabat: „debetur quidem Ecclesiasticis victus, & „præterea quiddam in subsidium, sed „huic satis, superque est provisum de„cimarum assignatione; Clerus enim, „etsi decimam populi partem non con„stituat, grandem tamen portionem „accipit, præter alia bona, quæ duplo „plura possidet: quare iniquum vide„tur, illud adhuc exigere, cujus jam „centuplum accepit: si vero conten„dunt, esse pauperes Episcopos, tunc „respondeo, quod id non arguat Ec„clesiæ egestatem, sed opes ejusdem „non æquis portionibus divisas: justa „enim, & legitima distributione insti-

tuta

„tuta, adeo abunde omnibus proviſum „foret, ut operam ſuam libere impen- „dere deberent, quin quidquam præter „id, quod aliunde debitum eſt, acci- „piant. His propoſitis fatebatur, quod „non ſit adeo facile tam multos abuſus „eodem momento auferre, ſed ab Ordi- „nationibus commode poſſet ſumi refor- „mandi initium, ita tamen, ut non ad „ſolam conferendi Ordinis actionem „hæc emendatio reſtringatur, ſed ad „alia, quæ actionem eam antecedunt, „etiam extendatur: in magnum enim „dedecus cedit, quod Clericus, qui „ab alio Epiſcopo, ubicunque placue- „rit, initiari petit, literas dimiſſoria- „les a Cancellariis Epiſcopatuum pe- „cuniis ſibi acquirere, aut facultatem, „vi cujus extra præſcriptum tempus „ordinetur, Roma magno pretio com- „parare teneatur: hos ergo abuſus „emendandi cura ſuſcipiatur.„ Equi- dem hæc de dimiſſorialibus, ut vo- cant, Epiſcoporum literis opinio mul- tis fuit accepta, quoad alterum vero de facultatibus Roma quæſitis Cardinalis Simonetta monuit, quod ad Synodi co- gnitionem id non pertineat, ſed Pontifex de ea re ſit proſpecturus. Poſtmodum de mercede Epiſcoporum Secretariis, & Notariis Apoſtolicis, qui conceſſi Or- dinis diplomata, vel alias literas con-

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

Sæcul. XVI. A. C. 1562.

ficiunt, debita agebatur, ubi alii, quod hæc munia sint profana, putantes, quicquam recipere, aut exigere ipsis prohiberi non posse censebant: econtra autem alii illud munus esse Ecclesiasticum existimantes affirmabant, quod haud liceat quicquam accipere: demum Antonius Augustinus Episcopus Ilerdensis rerum antiquarum peritia, necnon jurisprudentia clarus dicebat: „ in Ec„clesia veteri ministri in conspectu totius „populi ordinati fuere, ut diplomate, aut „literis testimonialibus opus non esset: „insuper tunc temporis uni titulo, sive „beneficio addicti Diœcesin non mu„tabant: si vero forte negotii causa „alio proficiscendum esset, ab Episcopo „literas impetrarunt, quæ tum *formatæ* „dicebantur: testimonialium vero lite„rarum usus, ex quo populus Ordina„tionibus intervenire desiit, & clerici „vagari, ac discurrere cœperunt, ad „supplendam populi præsentiam fuit „introductus: itaque Episcopalis Secre„tarii officium pro sæculari munere du„cendum est: cum tamen rei in mate„ria spirituali sit annexum, cum mode„ratione exercendum venit, hinc mer„ces quidem Notariis concedenda est, „sed certis limitibus circumscripta, ac „moderata.„ Verum hæc quæstio non-

nisi

nisi in Sessione vigesima prima fuit decisa. Sæcul. XVI. A. C 1562.

§. LXXVII.

Distributiones quotidianæ pro Canonicis.

Quarto capite proposita fuit quæstio de præbendis, & distributionibus Ecclesiarum Cathedralium, aut Collegiatarum, in quibus Canonici sunt, vel Capitulum habetur: equidem Canonici olim unaomnes communi mensa, ac sumptu adinstar Monachorum Regularium victitabant, vel seorsim, aut in pecuniis, aut in annona unicuique singulis diebus necessaria distribuebantur, cum autem hæc distributio fieret absoluto divino ministerio, cui omnes horis per Canones præceptis interesse jubebantur, hinc horæ ejusmodi precibus præstitutæ appellabantur *Canonicales:* illi autem Ecclesiastici, qui sub præfatis horis Divina hæc officia persolvebant, *Canonici* appellabantur: Verum hæc pecuniarum, ac annonæ distributio exiguo tempore in usu erat, eique subrogabatur divisio redituum, e quibus cuilibet Canonico sua assignabatur portio, quæ portiones postea *præbendæ* appellari consueverant: porro hæ distributiones fiebant eo tempore, quo Canonici divino intererant officio, inter

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

absentes enim nihil fuit distributum: postquam vero Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum proventus in præbendas fuerant divisæ, quilibet suam accipiebat portionem, etiamsi divino officio non interfuisset, unde Canonici in adimplenda muneris sui ratione magis socordes reddebantur: igitur horum negligentiæ remedium opponere, Patres erant solliciti. Ceterum distributiones quotidianas dandi consuetudo adhucdum in quibusdam Ecclesiis retinebatur: in quibusdam vero locis adeo erant tenues, ut earum spes Canonicos ad hoc, ut divinis officiis assiduo interessent, parum alliceret: eapropter de augendis ejusmodi distributionibus agebatur, ut frequentior esset ad Dei cultum accessus, quinimo horum, qui Divino officio non assistebant, negligentiæ haud efficacius occurri posse credebatur, nisi quædam præbendarum portio illis adempta in ceteros præsentes distribueretur, simulque hac proventuum privatione ad divina officia assiduo frequentanda attraherentur. Verum alii censebant, potius integram aliquam præbendarum partem in distributiones esse convertendam. Ex reliquis Lucas Byzantius Catharæ in Sclavonia Episcopus, Vir pius, sed inops, ex adverso sic inquiebat. „Canonici cen-

„censuris, atque adempta parte redituum, Sæcul. XVI.
„imo & privatione omnium fructuum, A.C. 1562.
„& ipsarum præbendarum cogantur po-
„tius ad officium, forma tamen primi-
„tus instituta non immutetur: cum enim
„omnes istiusmodi institutiones sint te-
„stamentariæ, ultimas autem fidelium
„voluntates violari, aut mutari sit ne-
„fas, hinc nihil in his non modo melio-
„ris boni obtentu, sed ne vere in me-
„lius quidem innovetur, cum injusti-
„tiam sapiat in alienam rem ideo ma-
„num injicere, quia ille non optimum
„in modum re sua utitur: illud vero in
„primis cavendum est, ne tunc, dum
„uni malo quæritur remedium, alteri
„graviori janua aperiatur, atque e ne-
„gligentibus evadant simoniaci, cum
„in comperto sit, omnem functionem spi-
„ritualem, quæ spe præmii exercetur,
„esse simoniam.„ Verum his rationi-
bus altera ex parte respondebatur, quod
penes Concilium sit ultimarum volun-
tatum mutatio, ac de divinis officiis,
lucri, aut mercedis specialis spe obeun-
dis distinquatur, an lucrum, aut præ-
mium, quod exspectatur, causa sit prin-
cipaliter movens, an vero tantum im-
pellens: cum non peccetur a Canoni-
cis stata Sacrorum tempora potissimum
observantibus, ut Deum religiose co-
lant, quamvis secundario id fiat ad con-

Sæcul. XVI A. C. 1562.

sequendas distributiones. Alii ad hæc vicissim replicabant: „non suadet ratio, „quod Synodo plus juris in bona de„functorum, quam in viventium com„petat: porro nemo audit adeo teme„rarius, ut vivorum opes sibi arroget: „insuper doctrina, quæ Deo sub emo„lumenti spe secundario servire dicit „licitum, non est adeo certa, & indu„bitata, prout tamen sibi quidam ima„ginantur: si vero ita se res haberet, „certe causa ea nunquam secundaria „dici posset, sed primaria potius, quæ „ita impellit ad operandum, ut sine ea „nulla operatio sequeretur.„ Hæc opinio a Patribus ibidem congregatis minus benevolis excipiebatur auribus, quapropter prævaluit sententia eorum, qui saltem unam cujuslibet præbendæ portionem in distributiones converti petebant, ut hac ratione quivis, quantum fieri poterit, ad Divinum officium permoveretur, quam in rem postea in Sessione vigesima prima decretum fuit conditum.

Discussis hisce tribus articulis ex qualibet Natione Patres, qui decretis desuper conficiendis suam impenderent operam, nominabantur, & Legati reliquorum sex articulorum examen ad alias rejiciebant Congregationes, utrumque vero articulum de clandestino Matrimonio

monio reſervandum cenſebant ad tempus, quo aliunde de Matrimonii Sacramento ageretur: porro hac de re interea negotium dabatur ſecundi Ordinis Theologis, ſeu illis, quibus in generalibus Conventibus nullum ſuffragii jus competebat: interim potiſſimum articulus de reſidentia ſollicitudinem Patrum diſtentam habebat, quæ tamen controverſia ad ſequentem remittebatur Congregationem. Sæcul. XVI. A.C. 1562.

§. LXXVIII.

Venetæ Reipublicæ Oratores Tridentum delati.

Pridie ad hanc Congregationem die decima nona Aprilis duo Venetæ Reipublicæ Oratores Nicolaus de Ponte, & Matthæus Dandolus Tridentum venerant, quibus nonaginta quatuor Prælati obviam ibant: porro illi equo vecti urbem ingrediebantur eo ordine, ut primi Oratoris latera ſtiparent Patriarcha Jeroſolymitanus, atque Epiſcopus Salmanticenſis, alterum vero utrinque comitarentur duo Patriarchæ Aquilejenſis, & Venetus. Denique ad Concilium in generali conventu die vigeſima quinta Aprilis habito admittebantur, quæ dies Divo Marco hujus Reipublicæ Patrono ſacra ſtudioſe ſeligebatur, ut eorum receptio auguſtior fieret: inſuper id fiebat

Pall. c. 5. num. 7. Labb. Collect. Conc. tom. 14. p. 1157. & ſeq.

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

fiebat ex eo, quia in demandatæ facultatis literis, quas afferebant, Secretarius inseruerat, quod Synodus universalem repræsentet Ecclesiam, ac Synodus præsens prioris continuatio esset, quorum tamen utrumque corrigi oportebat: primum enim omnino rejiciebatur, alterum vero nondum erat decisum: præterea Reipublicæ diplomata duntaxat exprimebant, quod Oratoribus fides haberetur, non autem ipsis injungebatur, ut Synodo faverent, ejusque Sanctiones exciperent: eapropter Dominici Polani Brixiensis Episcopi, ac Nobilis Veneti, cui Oratores plurimum confidebant, opera effectum, ut Tabellarium ad Senatum ablegarent, petentes, ut eis mandata, ac literæ ea, qua par esset, forma expedirentur, quibus receptis hi Oratores die vigesima quinta ejusdem Mensis ad Synodum admissi fuere.

§. LXXIX.

Grimanus Patriarcha Synodum accedere paratus, suam innocentiam vindicaturus.

Lit. Legat. ad Borr. 9. April. & 21. Jun. 1562. apud Pallav. l. 16. c. 5. n. 8.

Sub idem tempus Tridenti fama percrebuit, quod Grimanus Patriarcha Aquilejensis suam innocentiam vindicaturus Synodum accedere decreverit. Hic Præsul a Senatu Veneto ad purpuram

puram ſummo Pontifici proponebatur, repulſam tamen tulit, eoquod de hæreſi ſuſpectus eſſet: nec tamen deſunt, qui affirmant, quod Pontifex ad veniam huic Præſuli indulgendam pronum exhibuerit animum, poſtea tamen ſive per Inquiſitionis Judices ab hoc propoſito abſterritus, ſive aliis ex cauſſis impulſus Legatis ſuis demandabat, ut Patriarchæ denuntiarent, quod non Tridenti, ſed Romæ, ubi ejus cauſſa pendebat, ſe ſiſteret, de cetero autem de plena ſecuritate certus eſſet, ſuamque cauſſam ad Sacrum Purpuratorum Collegium in publico Senatu congregatum devolvendam ſciret. Priusquam Legati hæc Pontificis juſſa acceperant, jam deſuper ſummo Pontifici literas dabant, ipſique Patriarchæ ſignificabant, quod Papæ jurisdictioni hac in cauſſa nullatenus derogare vellent: inſuper eidem Patriarchæ per ſuum Coadjutorem proponi curabant, quod Tridentum venire differret: Verum hac in cauſſa, quid amplius fuiſſe motum haud conſtat. Sæcul. XVI. A C. 1562.

§. LXXX.

De Parochiis in plures titulos dividendis actum.

Interea continuato fervore Congregationes habebantur usque ad proximam *Sarpius p. 481.*

Sæcul. XVI. A.C 1562.

mam Sessionem, quæ ad decimam quartam Maji diem erat indicta: porro in conventu die vigesima sexta Aprilis habito examinabatur articulus quintus de amplioribus Parochiis, ad quarum administrationem plures requiruntur Sacerdotes, qua in re movebatur quæstio, an Episcopus horum Sacerdotum munia in titulos commutare valeat? equidem Præsules ita sentiebant: „quando unum „templum populo, non vero unus Rector „sufficit, tunc tituli non sunt multiplicandi, cum tunc, si in una Ecclesia „plures existerent Parochi, ibi plurimorum ferverent dissensiones, & opinionum dissidia: hinc ab Episcopo cogendus est Parochus, ut assumat sibi „tot in subsidium Sacerdotes, quot Ecclesiæ necessitas requirit: ubi vero „incolarum, ædificiorumque multitudo „divisionem postulat, tum Episcopo permittatur novam Ecclesiam parochialem erigere, tam populi, quam reditum facta divisione, aut certe populus ad reditus idoneos Parocho constituendos pecuniam contribuere adigatur.„ Ultimam sententiæ hujus clausulam Eustachius Bellajus Parisiensis Episcopus, qui Tridentum ante paucos dies venerat, minime probabat, cum in Gallia nullum vigorem esset obtentu-

tura: hinc idem sic inquiebat: „nul- Sæcul. XVI.
„lum Sacro Ordini in Laicos imperium A. C. 1562.
„in temporalibus conceditur: mihi vero
„e dignitate Concilii Oecumenici non
„videtur decreta condere, quæ ex ulla
„Christiani Orbis provincia merito fo-
„rent eliminanda.„ Huic respondit
Franciscus Thomas Casellus Episcopus
Cavensis: „nesciunt Galli, qnod ea po-
„testas a Christo, & Divo Paulo Con-
„cilio data fuerit, nam ab iis populo
„præceptum legitur, ut victum suppe-
„ditet iis, qui ipsi spiritualia ministrant:
„hinc Galli, dummodo Christiani esse
„volunt, præcepto huic parere debent:
„Ad hæc Bellajus Parisiensis replica-
„bat: ego hactenus intellexi, quod a
„Christo, Divoque Paulo Evangelii Mi-
„nistris concedatur victum ab eo, qui
„sua sponte eum largitur, jus accipiendi,
„non autem illum adigendi, ut largia-
„tur: neque dubito, quin Galli per-
„petuo velint esse Christiani: de cetero
„autem nolo altercari, aut rem ulterius
„urgere.„ Porro Synodica hu-
jus articuli decisio in Sessionis vigesi-
mæ primæ capite quarto de Reforma-
tione refertur.

§. LXXXI.

Sæcul. XVI. A C. 1562.

§. LXXXI.

Articulus sextus, & octavus de Parochiarum, & Sacellorum unione.

Postea Articulus sextus, & octavus ob argumenti affinitatem simul eidem subjiciebantur examini, atque articulus sextus unionem plurium concernebat Parochiarum, quæ ob redituum tenuitatem unius Parochi sustentationi haud sufficiunt: alter autem articulus respiciebat Sacella, seu Capellas pene dirutas ad principalem Ecclesiam transferendas. Hac de re provide prospiciendum, unanimi consensu existimabant Patres: cum autem Ecclesiarum uniones Sacræ Sedi essent reservatæ, hinc Præsulum potissimi hoc argumentum minime agitandum, censebant: non deerant tamen nonnulli, qui medium, cujus ope Episcopi sibi ejusmodi unionum cognitionem, easque exequendi potestatem vendicare possent, excogitantes suadebant, ut id a se *tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis* factum dicerent: Hoc consilium placuit Episcopis, eoquod Synodus hac clausula sub Paulo III. non sine magno extensæ auctoritatis quæstu usa fuisset.

§. LXXXII.

Sæcul. XVI. A C. 1562.

Articulus de Parochis illiteratis, ac sceleratis.

Articulus septimus tangebat Coadjutores, quos Parochis literarum ignaris adjungi proponebatur: itaque hoc argumento in deliberationem vocato convenere omnes, quod homines ad populum erudiendum in doctrina, & ædificandum per morum probitatem idonei, atque ad ecclesiarum ministeria digne obeunda probe instructi seligi debeant: Patres tamen suo se officio abunde functos putabant, si in futurum huic rei consulerent: cum enim leges eæ odiosæ sint, quæ retro spectantes de negotiis præteritis statuunt, hinc sufficere putabant, si in posterum homines idonei regendis Ecclesiis præficiantur, interim vero illi, qui in earum possessione sunt, tolerentur: Archiepiscopus tamen Granatensis hæc addebat: „Majestas divina ratam non ha„bet hominis inepti, atque ad exer„cendum Christi ministerium minus ido„nei designationem; hæcque nullatenus „subsistit, cum ejusmodi electio le„gitima ratione minus nitatur, ideo „tenemur ex officio, indigno Rectore „remoto digniorem alium substituere.„ Verum sententia hæc Patribus haud pla-

Sæcul. XVI. A. C. 1562.

placuit, hinc mediam amplexi sunt viam, nec id, quod in articulo propositum erat, excedebant, & inter imperitos, ac impuros discrimen faciebant sanctientes, ut cum illis tanquam minus noxiis mitius ageretur: cum vero æquitas peteret, ut Episcopus Ecclesiis sibi subditis provideret, quando nullæ a Pontifice manarunt collationes, eidem quoque concedendum putabant, ut tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, contra Ecclesiasticos indoctos, vel sceleratos procedere posset, & quidem ea ratione, ut idiotis aliquamdiu Vicarii, seu Coadjutores adjungerentur, iisque donec saltem eorum sustentationi aliter provisum fuerit, quædam proventuum pars adjudicaretur: libidinosi autem prius admoniti castigarentur, si vero correctionis impatientes fuerint, omnino gradu suo dejiciantur.

§. LXXXIII.

Articulus de Ecclesiis in commendam datis.

Sarpius p. 482.

Articulus nonus erat de visitatione beneficiorum etiam Regularium, quæ in commendam data fuere, quam in rem statutum, quod suprema commendarum, cum eas Pontifices stabilirent, inspectio Episcopis non permittatur

tatur quoad regimen ejusmodi Ecclesiarum, quæ a summo Pontifice aliis commissæ, vel commendatæ fuere, quapropter rursus ad illud medium jam nuper adhibitum recurrebatur, provisumque, ut visitandi, hasque Ecclesias inspiciendi potestas Episcopis duntaxat tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis tribueretur. Sæcul. XVI. A. C. 1561.

§. LXXXIV.

Articulus ultimus de Quæstoribus.

Cum decimi, atque undecimi articuli examen ad tempus, quo de Matrimonio agendum esset, remitteretur, hinc Patres ad duodecimum, ac postremum articulum de Quæstoribus transibant: nam cum necessitas peteret Xenodochia, Nosocomia, Orphanotrophia, & alia id genus opera pia instituere, neque alius ei rei fundus suppeteret, quam ex fidelium eleemosynis: hinc consultum videbatur, ut viri quidam boni, ac pii provinciam sibi sumerent, eleemosynas eas ostiatim quæritandi: ut vero facilior aditus pateret, fidesque dictis major esset, Episcopi literis testimonialibus hos quæstores communiebant: alii autem, qui ab Episcopo ejusmodi licentiam non obtinuerunt, hanc a Pontifice facultatem una cum literis commendatitiis impetrabant, sibi ali- *Sarpius l. c. p. 483.*

Sæcul. XVI A.C. 1562.

quam emolumenti partem adjudicantes, aliam vero personis vilibus, atque infamibus, quas sibi subrogabant, cedentes: denique illiberale hoc hominum genus, ut quæstum facerent uberiorem, mille artibus, ac fraudibus sacrilegis, atque impiis populo illudebant, indulgentias falsas, ac ficta miracula prædicantes, & iis, qui stipem dare recusabant, cum imprecationibus mala omnia, infortuniaque minitantes; porro his, aliisque impietatibus, omnibus fidelibus odio simul, & offensioni erant: hinc materiam hanc Præsules discutiebant, atque de illis corruptelis plurimum discurrentes innumera impie facta commemorabant, ac simul remedia olim frustra tentata, & tunc nihilo magis profutura explicabant, unicumque tantummodo reperiebatur remedium, quod unanimi prope consensu probatum, ejusmodi quæstorum nomen, & usum abolere poterat. Hæc sententia omnibus ferme Patribus arridebat.

§. LXXXV.

Franciæ Orator datis ad primum Legatum literis Sessionem prorogari petens.

Pallav. l. 16. c. 5. n. 9.

Hæc cum interea gererentur, Mantuanus Cardinalis primus Papæ Legatus

gatus literas die decima quarta Aprilis datas accepit, quibus ille hæc significabat: „Electus sum a Galliarum Rege „Orator ad Synodum, adjunctis mihi „duobus sociis, Arnoldo Ferrerio Præ„side Parisiensi, & Guidone Fabro de „Bibrac sanctioris Senatus Con„siliario: mei vero adventus festi„nationem pro viribus polliceor; si vero „non succederet accessus ante statutum „Sessionis diem, Patres rogo, ut tres, „quatuorve dies illam differre vellent.„ Hæc Gallici Oratoris petitio in conventu die vigesima Aprilis habito a Legatis proponebatur, re autem maturius ponderata nil decisum fuit, nam petitio quidem nonnullis æqua videbatur, potissimum eo nomine, quod Synodus præprimis petente Natione Gallica ad sedandos hujus Regni tumultus fuisset coacta: altera vero ex parte dubitabatur, an liceret Patribus diem Sessioni præstitutum extra Sessionem prorogare? porro id Granatensis Archiepiscopus constanter pernegabat, eoquod juxta ejus mentem decentiæ leges præscriberent, ut Sessionis dies certus, notorius, & solemni ritu sit indictus, quatenus sic cuilibet eam adire in promptu esset, hinc a privato cœtu haud immutandum dicebat, nec minus huic dilationi obsistebant Hispani

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

Sæc. XVI A.C. 1562.

Præſules, qui inſtanter, ut Seſſio die præfixa haberetur, petebant, addentes, nec definiendum eſſe in proxima Seſſione ullum dogma, niſi prius Gallos deſuper audiendi opportunitas eſſet.

§. LXXXVI.

Franciæ Regis epiſtola ad Lanſacum ſuum Tridenti Oratorem.

Mem. pour le Concil. de Trente.

Hæc Lanſaci petitio conſona erat votis Franciæ Regis, qui aliquot ante ejus diſceſſum diebus prima Maij ad ipſum hæc perſcripſerat: „Regni mei „tumultus indies magis, magisque in„valeſcunt, quamvis pro reddenda pace „nihil intentatum relinquam, eapropter „Epiſcoporum diſceſſum retardavi; hi „enim mihi exponebant, quod ferven„tibus adhuc hiſce diſſidiis gregem ſuum „deſerere nequeant, veriti, ne ſe ab„ſentibus falſi Doctores conſcenſo ſua„rum Eccleſiarum ſuggeſtu populum ſe„ducant, noviſque erroribus imbuant: „hanc ob cauſſam pro Regni mei quie„te, ac totius Chriſtiani orbis bono „plurimum conducere cenſeo, ut Seſſio „proxima usque ad Epiſcoporum ad„ventum differatur, quatenus tanti mo„menti negotium a me propoſitum non „præcipiti conſilio, ſed matura delibe„ratione plurium Prælatorum ex variis „regionibus confluentium pertractari valeat:

„valeat: hinc tibi præcipio, ut omni, Sæcul. XVI.
„qua poteris celeritate ante inchoatam A.C. 1562.
„Seſſionem Tridentum contendas, eam-
„que usque ad hyemis initium, ſi fieri
„poteſt, differri efflagites, ut Franciæ
„Epiſcopi ſedato tumultu iter cum ma-
„jori opportunitate, ac commodo ag-
„gredi poſſint: ſi vero tam longam mo-
„ram concedere renuerint, ad omnia,
„quæcunque fieri placuerit, me para-
„tum exhibeo, ſi tamen inſuperhabita
„petitione tua reſponderent, quod præ-
„fatam Seſſionem præfixa die celebrare
„ſtatuerint, tunc ſaltem id impetres,
„ne quicquam ibi circa Religionem de-
„cidatur, cum Franciæ Præſules, ut-
„pote abſentes, eorum decreta acce-
„ptare non poſſent, indeque majores
„adhuc in Regno tumultus ſuſcitarentur.

§. LXXXVII.

Alia Reginæ Matris epiſtola ad Lanſacum.

Eadem die prima Maij pariter Regina Mater datis ad eundem Oratorem literis ſignificabat, quod ex epiſtola, quam vigeſima quinta præteriti Menſis die acceperat, non ſine animi ſui lætitia de reſtaurata ejus valetudine, ac itineris proſecutione certior fuerit facta, ac ſummopere optaſſet, ut is usque ad Sociorum ſuorum adventum Mediolani ſubſti-

Mem. l. c. p. 180. & 181.

Sæc. XVI. A. C. 1562.

subſtitiſſet, quatenus unaomnes tempore debito ob cauſſas jam in alia epiſtola expoſitas Tridentum ingredi potuiſſent; certo enim Synodi Patres comperto eorum itinere ſeſe faciliores exhibuiſſent, atque usque ad eorum adventum Seſſionem differre haud fuiſſent tergiverſati. His addebat: „Ex Prin„cipe Mantuano ad aulam noſtram de„lato percepi, quod a Patruo ſuo Car„dinale Mantuano intellexerit, Piſca„rium Marchionem, dum tanquam Re„gis Catholici Orator Tridentum vene„rat, ad Synodum admiſſum palam „edixiſſe, quod primum a Cæſaris Le„gato locum ſibi aut vi, aut benevolo „conſenſu vendicare velit: Mantuanum „vero Cardinalem reſpondiſſe, quod „hæc agendi ratio minime Oratorem „deceat, ac potius, quicquid deſuper „Synodus decreverit, exequi teneatur: „quapropter memor eſto eorum, quæ „tibi in tuo diſceſſu fuerunt injuncta, „atque in tuis mandatis expreſſa, a qui„bus nullo pacto ſecedas, minus vero „permittas, ut jus adeo legitime, tan„toque abhinc tempore a Francia pos„ſeſſum in dubium, vel controverſiam „vocetur.

§. LXXXVIII.

§. LXXXVIII.

Sæc. XVI. A.C. 1562.

Patrum ſententia de audiendis Franciæ Oratoribus.

Cum Legati probe proſpicerent, quod Seſſione usque ad Franciæ Oratorum adventum dilata, Lanſacus ibidem jus ſuum vehementer propugnaturus ac repulſam ferens quantocius a Synodo diſceſſurus eſſet, hinc ea res Legatos valde perplexos tenebat, præcipue cum Ferrarienſis Cardinalis Franciæ Legatus ſummo Pontifici perſcripſiſſet, ut hoc diſſidium per Concilium componi curaret, eoquod ſecus Lanſacum Tridento abiturum ſciret: inſuper major Synodi Patrum numerus Seſſionis dilationi favebat, atque ab Hiſpanis diſſentiebat: æquum enim quibusdam Prælatis videbatur, morem eſſe gerendum Oratoris petitioni haud injuſtæ, eoquod in Concilii Seſſionibus jurisdictio contentioſa, per quam quiſpiam in jus vocaretur ad ſuam cauſſam agendam, non exerceretur: aliunde vero Seſſiones extra Seſſionem prorogare haud inſolitum eſſet, prout patet in Seſſione duodecima Concilii Conſtantienſis: nihilominus horum ſententia fuit temperata, atque in Conventu die trigeſima Aprilis habito, mature diſcuſſis utriusque partis rationibus concluſum, quod

Pallav. l. 16. c. 5. n. 11. & 12.

Sæcul. XVI. A.C. 1562

quod Sessio præstituta decima quarta Maij die haberetur, ibidemque perlectis duntaxat Oratorum literis, ac mandatis, octavo post die alia celebraretur Sessio, in qua promulgarentur decreta. Id etiam Cæsar, ubi rescivit, ratum habebat.

§. LXXXIX.

Bavariæ Ducis Oratores ad Synodum delati.

Pallav. l. 16. c. 6. n. 1. Raynald. num. 42. Sarpius l. 6. p. 484.

Interea Synodus frequentiori Episcoporum, ac Legatorum concursu indies celebrior reddebatur, quippe ipse etiam Bavariæ Dux suos ablegabat Oratores, qui ineunte Mense Majo Tridentum venerant, erantque illi Augustinus Paumgartner, Doctor, & Joannes Cavillonius Societatis Jesu Theologus. Hi, cum Legatos inviserent, exponebant, quod sibi in mandatis fuisset datum, ne Oratorum ulli cederent, iis exceptis, qui a Regibus, aut ab Imperii Septemviris mitterentur, ut proin infra Venetos considere non possent. Responsum a legatis est, ab ea Republica duo regna possideri: verum illi subdiderunt, quod fortasse sui Principis mens esset, ut inter Regios etiam Oratores Veneti comprehenderentur; interim ut id sic interpretarentur, sui muneris haud esse dicebant, atque se ad

Sæc. XVI. A.C. 1562.

ad Ducem de eo perſcripturos pollicebantur, ne tamen in lites inciderent, a ſe optari ajebant, ut ſua mandata producere poſſent in cœtu, a quo Veneti, ne gravarentur, abeſſent, ut illorum indignatio devitaretur. Id quoque ſe procuraturos ſpondebant Legati.

§. XC.

Altercatio inter Bavariæ Ducis, ac Venetorum Legatos circa Sedis prærogativam.

Hac ſuper re Legati conferebant cum Epiſcopo Brixienſi, qui utpote Venetus ſuos populares forte facilius eo inducere poſſet, ut a conventu abeſſent: Verum hic Præſul ejusmodi negotium in ſe ſuſcipere recuſans effictim Legatos rogabat, ut hanc rem nequaquam proponerent Venetis, qui abs dubio ſummopere offenderentur, ſi Bavariæ Legatos præcedendi jus, quod ipſis competit, in controverſiam duceretur: eapropter decretum eſt, horum Oratorum receptionem eſſe differendam: interea vero Warmienſi Cardinali datum eſt negotium, ut Bavaros rogaret, quatenus confeſtim ad Ducem ſuum perſcriberent, eique graviſſima exponerent incommoda certo certius eventura, ſi ejus Oratores cum Venetorum Republica de primi loci honore contendere vellent.

Pallav. l. c. & c. 10. n. 8. Juſtin. hiſt. Venet. l. 14. Maurocen. hiſt. Venei. l. 8. lit. Gall. de rebus Concil. Trid.

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

vellent. Ad hæc quidem reſcripſit Dux: aſt reſponſum dedit a Patrum expectatione longe alienum, Paumgartnero enim præceperat, ut confeſtim Tridento diſcederet, niſi ei potior Venetis locus aſſignaretur. Hoc reſponſum Patres in novas adhuc conjiciebat difficultates; ſi enim Duci ſatisfacerent, Venetorum Reipublicæ, quæ præcipuum erat in Italia Religionis propugnaculum, injuriam inferrent: ſi vero Venetorum votis cederent, abs dubio Ducis, qui tamen fidei cauſſam in Germania ſtrenue tuebatur, indignationem ſibi accerſerent, hacque ratione ſimul omnium Germaniæ Principum etiam Eccleſiaſticorum Oratores offenderent.

§. XCI.

Legati hac ſuper re Pontificis conſilium exquirentes.

Spond. annal. hoc ann. num. 22. Lit. Legat. ad Borrom. 21. Maij 1562. apud Pall. c. 10. num. 8.

Cum ergo Legati, quid decernerent, ſuſpenſi hærerent, Venetæ Reipublicæ, ac Bavariæ Ducis Legatos rogabant, ut ipſis hac ſuper re deliberandi ſpatium indulgerent: interea vero datis ad Papam literis petebant, ut quodam probatæ fidei Viro in Bavariam miſſo Ducem rogaret, quatenus ob Religionis commodum in hac occaſione cederet: inſuper ſignificabant Legati, ad id a Duce conſequendum opportuni-

portunitatem adeſſe, eoquod Bavarus Menſe Junio Pragam iturus eſſet, ut ibidem Sororis ſuæ Maritus Rex Bohemiæ coronaretur, ac proin Cæſar quoque hac opportunitate uſus Ducem Generum ſuum ad id permovere poſſet: verum Imperator huic negotio ſeſe ingerere renuebat, unde Pontifex ſuis Legatis reſpondit, ut ſuo nomine Bavariæ Duci ſuaderent, ne eam ſibi anteferri Rempublicam gravate ferret, quæ duo Regna Cypri, & Cretæ obtineret, & amplius mille annos cum dignitate imperium retinuiſſet, ac finium amplitudine, bello, paceque geſtis regios titulos ſuſtinere poſſet, alias, ni ſponte ſua id faceret, invitus cedere cogeretur: hoc tamen diſſidium nonniſi Menſe Junio componebatur, ubi Albertus Dux ſuo Legato, ut Venetis honoratiorem locum relinqueret, reſcripſit: itaque Bavariæ Orator die vigeſima ſeptima ejusdem Menſis in quadam Congregatione comparens infra Venetos Oratores conſedit, præmiſſa tamen hac declaratione: „ego quidem, ut non ad „Concilium, in quo humanis ablegatis „affectibus, Religionis, ac pietatis ne„gotia agitantur, certandi ſtudio ac„ceſſiſſe videar, & ſimul priſca cum Vene„ta Republica amicitiæ jura ſervem, Ve„netorum Oratoribus cedo, ea tamen lege,

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

Sæc. XVI. A.C. 1562.

„lege, solemnique denunciatione, ne „posthac meo Principi, ejusque posteris, „ceterisque Germaniæ Principibus, E„lectoribus, ac Ducibus fraudi sit: ut „vero hujusce rei monumentum posteris „relinquatur, id in acta Concilii re„ferri, exemplarque mihi scribæ manu „exarratum exhiberi flagito.„ Ad hæc respondit Orator Venetus: „meæ Reipu„blicæ meritissimo jure superior locus „debetur: & quemadmodum Dux Ba„variæ nunc cedit, ita spero, eum dehinc „ubique cessurum: porro id ipsum in „acta referri peto.„

§. XCII.

Contentio inter Cæsareos, & Hispanos circa vocem: continuatio.

Pallav. l. 3. Insuper assidua Cæsareos inter, & Hispanos fervebat contentio de his verbis: *Synodi continuatio:* quo ardentius enim Cæsarei hanc vocem excludi contendebant, eo pertinacius isti illam propugnabant: quapropter cum Cæsaris fautores hæc verba: *ut, quam citissime possit, agitentur ea, quæ de dogmatibus expendenda supersunt:* in decreti formula exponi cernerent, enixe petierunt, ut ea delerentur verba, eoquod nimis aperte Synodi continuationem præseferrent: præterea a Cæsareis tanquam res minime dubia habebatur, Hispanos omnino

mnino consensuros, ne de continuatione mentio fieret usque ad Synodi exitum: ex adverso autem firmiter credebant, ab Hispaniæ Rege in quodam libello fuisse significatum, quod consentiret Cæsar, ut rupta omni mora Continuatio extemplo declararetur. Verum utrumque confestim patuit falsum esse: nam Hispani eodem die, quo Cæsarei hoc de ipsis affirmarunt, Præsides rogabant, ne a concepta Decreti forma ea verba mox relata tollerent usque ad accessum Piscarii Marchionis, qui exspectabatur in horas: is vero postea adventans omnino contraria significabat iis, quæ pro certis posuerant Cæsariani, nam hi omnibus iis, quæ vel leviter Synodi continuationem indicare videbantur, vehementer sese opponebant.

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

§. XCIII.

Hispaniæ Regis querelæ ad Papam contra ejus Legatos.

Ut ea res plenius intelligatur, scien- *Pall. l. 16. c. 6.* dum est, per eos dies allatam fuisse *n. 4.* legatis epistolam Pontificis cum duobus libellis, quos Philippus Hispaniæ Rex ad Papam miserat, atque in iis de Legatis acerbas querelas instituerat, & quidem in primo, eoquod in decimæ septimæ Sessionis decreto hæc verba fuissent apposita: *Proponentibus Legatis;* in

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

in altero autem querebatur, quod moram interjeciſſent Legati in declaranda Synodi continuatione. Verum reſcripſerunt illi epiſtolam Pontifici, brevem quidem, ſed obſequentiſſimam erga Hiſpaniæ Regem, eo fine, ut illa hujus Oratori Romæ poſſet oſtendi: inſuper alteram epiſtolam ſatis prolixam ad ipſum Regem ſcripſere, Papæ Nuntio Crivello communicandam, qui pariter Philippi mentem Legatorum præcipuo ſignificabat: porro in ea ſtudebant Legati tria ſimul conjungere I, ſummam in Regem Catholicum reverentiam, II. claram in ſe purgandis rationem, III. intrepidam quamdam fiduciam in ſuſtinenda Eccleſiæ poteſtate, & Concilii dignitate: ceterum in priori Regis ſcripto memorata verbula *Proponentibus Legatis*, incuſabantur tanquam nova, illucque tendentia, ut Synodi libertatem minuerent, offenſionem Catholicis inferrent, & hæreticos ab acceſſu ad Synodum retraherent: Legati vero ad ſe purgandum hæc exponebant Regi. „Miramur, quod aliqui tam ſiniſtris „ſermonibus, rationibusque tam frivo„lis ſtuduiſſent puriſſimam, ac benigniſ„ſimam Regis mentem ab ipſius famu„lis tam addictis alienare: idcirco in pri„mis opus eſt, ut Rex ſincere fiat cer„tior de re geſta, quæ ſic habuit: Par-

ticula

„ticula illa, una cum tenore totius De„creti fuit prius a nobis communicata „ſolis Hiſpaniæ Præſulibus, ad exi„ſtimationis, ac fiduciæ argumentum, „hoc eſt, cum Guerrero, & Auguſti„no, quorum primus cuncta plene pro„baverat, alter autem aliarum vocum „mutationem poſtulaverat, & obtinuerat, „nullamque nec ipſe, nec alii difficulta„tem de illa voce indicabant: „ porro dein Decretum proponebatur, & unanimi conſenſu in cœtu generali recipiebatur.

§. XCIV.

Legati ſuam innocentiam coram Hiſpaniæ Rege vindicantes.

His addebant Legati: „ in Seſſione „ duo tantummodo ex Patribus re„pugnabant, duo autem alii Præſules „conſenſere ſub conditione hac, *ut Le„gati proponerent id, quod Synodo dignum, „ut proponeretur, viſum eſſet:* nam fir„miter credebatur, quod per eam clau„ſulam aditus obſtrui poſſit, nequi per „inquietum ingenium ſuum tentarent, „præteritas definitiones in controver„ſiam vocare, cum id a multis adeo ex„peteretur, quamvis regiæ ſuæ Majeſta„ti diſpliceret: ſi vero voces a nobis ad„hibitæ erant novæ, in omni Republi„ca

Pallav. c. 6. n. 5. & 6.

Sæcul. XVI A.C. 1562.

„ca, inter rerum humanarum varieta-
„tem nonnunquam prudenter novæ
„sanctiones fieri solent, hinc cum hac
„tempestate Pontificia dignitas ab hæ-
„reticis novis machinis quatiatur, opus
„est, ut vicissim a Catholicis ea novis
„molitionibus communiatur; ceterum
„etiamsi novitas inesset verbis, certe
„rebus per has significatis ea non sube-
„rat: præterea in omni consilio, & in
„omni Republica recte administrata pro-
„ponendi partes non omnium, sed Ma-
„gistratuum sunt; si ergo cuicunque E-
„piscopo competit ea, quæ ad Ecclesiæ
„suæ bonum conducunt, proponere:
„multo magis id Synodi Legatis, qui
„Romanum Pontificem Ecclesiæ uni-
„versalis Episcopum repræsentant, illa,
„quæ ad universale bonum conferunt,
„proponere licebit: præcipue cum nos ita
„moderate hanc auctoritatem exercue-
„rimus, ut cuncta rationi consentanea,
„quæ nobis a Patribus suggerebantur,
„proposuerimus in confessu: si vero in
„quadam re hanc jurisdictionem no-
„stram severe usurpavimus, id unice in
„Regis commodum fecimus: etenim
„cum prius decrevisset Synodus publi-
„cam adeundi Concilii securitatem of-
„ferri cunctis hæreticis, & iis etiam, quos
„sancta Inquisitio in jus vocaverat, pru-
„den-

„dentes quidam Episcopi, videlicet Sal- Sæcul. XVI.
„manticensis, Dertusensis, & Pactensis A. C. 1562.
„monuerant, hinc ortum iri grave in-
„commodum inquisitioni Hispanicæ,
„Regiæque administrationi: qua de
„caussa Decretum fuit reformatum, &
„quamvis postea complures optassent,
„ut illud pristinæ amplitudini reddere-
„tur, nos tamen nostra usi auctoritate,
„rem unquam proponi noluimus: porro
„quoad Synodi libertatem, quam Re-
„gia sua Majestas aufferri queritur, o-
„mnibus liquido compertum est, quod
„nos non modo integerrimam decernen-
„di, quæ nobilissima, ac celsissima pars
„est, potestatem Patribus reliquerimus, &
„insuper eisdem fecerimus facultatem ea
„omnia proponendi, quæ a pluribus,
„ac potioribus expeti novimus, nec
„minus permisimus, ut Archiepiscopus
„Granatensis auctoritate sibi assumpta,
„cum de alio argumento a nobis pro-
„posito sententiam diceret, ad aliam
„quæstionem diverteret, & in consilium
„adduceret, ut Synodo titulus, quo *re-*
„*præsentans Ecclesiam universalem* ap-
„pellaretur, præfigeretur: præterea a-
„lia vice concessimus, ut declararetur,
„Pastorum residentiam esse juris divini,
„quamvis hæc opinio jam fuerit rejecta
„in Synodo sub Paulo III. convocata,

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

„nos tamen ut de iis ſententiæ dicerentur, permiſimus: adhæc cum mentio facta fuerit de offenſione Catholicorum, mirum nobis admodum accidit, Catholicum ullum offendi ex eo, quod tam concorditer ab Oecumenica, & ampla Synodo ſtatutum fuerat: ceterum hujusmodi offenſio ex Chriſti documento parvi facienda videtur, eo quod ab iis oriatur, qui, cum eſſent cœci, volebant aliorum cœcorum duces eſſe: tandem cum nobis exprobatur, quod hiſce verbis potius hæreticis Concilium adeundi difficultatem injecerimus, quam eos ad Synodum pertraxerimus, reſpondemus, quod ſtatim, quamprimum ſpes alioquin affulgebit de eorum adventu, parati ſimus, ut non ſolum nihil proponamus, ſed nequidem hac de re loquamur, atque etiam, ſi id ad revocandos a veritatis ſemita devios prodeſſet, omnino a Concilio recedamus: Verum qua ratione Præſules tui regiæ Majeſtati veſtræ hanc rationem proponere audebant, qui tamen ipſimet tam immoderato ſtudio, totisque viribus iu id intendunt, ut Synodus declararetur *continuata*; licet in comperto ſit, quod exinde hæretici non modo Concilio intereſſe recuſaturi, ſed etiam implacabili

„cabili

„cabili odio illud ipsum prosecuturi „essent? „ Sæcul. XVI. A.C. 1562.

§. XCV.

Continuatio responsi Legatorum ad Hispaniæ Regem.

Circa illam declarationem, de qua in altero Hispani Regis libello sermo fiebat, hæc exponebant Legati: „ tametsi „fortasse in rem futura fuisset dissimu„latio ad aliquod tempus; cum circa Sy„nodi continuationem statim mentem „nostram aperire vix ausi essemus: „quoniam vero regiæ Majestati vestræ „singulare nostrum Religionis studium „luculento argumento testatum facere „nobis cordi fuit, hinc promisimus, nos „in proxime futura Sessione rem con„fecturos, eo potissimum nomine, quod „ipse etiam Cæsar consentiret: nec tamen „suspicione liberi sumus, an non offen„sionem aliquam incurramus non solum „apud hæreticos, sed etiam apud quos„dam Catholicos, qui ad eum usque „diem animis pendebant, & ancipites „erant. „ His dictis Legati Regem precabantur, ne fidem haberet criminationibus contra ipsos, & Synodum delatis, quæ ab ejusmodi hominibus, qui Regiæ Majestatis obsequio privata sua commoda contegunt, objectæ fuerunt: *Pallav. c. 6. n. 9. & 10.*

Sæcul. XVI A.C. 1562.

„quid enim, inquiebant illi, libertati Con-
„cilii, erga quam hi tam egregium
„ſtudium oſtentant, magis repugnaret,
„quam velle pervertere id, quod com-
„muni concordia, duobus exceptis, con-
„fectum erat? quodnam fortius ad im-
„pugnandam firmitatem rerum, quæ
„Pauli III, ac Julii III. ætate conſtitu-
„tæ fuerant, eſt telum, quam velle con-
„cutere rem concorditer ab ipſis ſtabi-
„bilitam in præſenti Conventu? ne ſi-
„nas ergo Rex in ſplendorem glorioſiſſi-
„mi Nominis tui hanc maculam illabi,
„quod tibimet ipſi arrogare volueris
„poteſtatem in Synodos, & illius cur-
„ſum retardare, quæ tamen Regii pa-
„trocinii fiducia coaluerat. Religioſis-
„ſimos Majores tuos imitare, qui probe
„intellexerant, ipſorum partes eſſe ob-
„ſequi, ac patrocinari Conciliis, non
„autem ea regere, nec turbare: præci-
„pue vero te conforma invictiſſimi Ca-
„roli V. Parentis tui exemplo, qui, dum
„Tridenti Concilium habebatur, nolue-
„rat unquam manum illi admovere, niſi
„in ope ferenda, ut eo felicius res pro-
„cederent, cum vero ipſe recto animo
„optaret, ut quædam ſtabilita decreta
„retardarentur ad reducendos aberran-
„tes, id per quamdam reverentiæ ra-
„tionem effecerat, quod ipſi laudi verti-
„tur:

„tur: porro eodem regnante Carolo po- Sæcul. XVI.
„ſitæ fuerunt in Decreto hæ voces, A.C. 1562.
„*proponentibus Legatis*, non prius uſita-
„tæ, & tamen ipſe non modo illis non
„obſtitit, ſed omnino favit, tametſi fre-
„merent hæretici in Eccleſiam contu-
„maces: eapropter nos quoque a Regia
„Majeſtate ſua idipſum Synodi patroci-
„nium petimus, quod Orator Avalus
„Piſcarius Marchio Regis nomine Pa-
„tribus ſpoponderat.

§. XCVI.

Papa Hiſpaniæ Regis voto cedere ab illius Oratore compulſus.

Nihilominus Vargas Hiſpaniæ Regis Orator nil intentatum relinquebat, ut Pontificem eo induceret, quatenus Domini ſui voluntati obſecundaret. Jam antea autem ſummus Pontifex Pius IV. datis ad Philippum II. literis ſeſe excuſabat, hunc in modum reſcribens: „clauſula: *Proponentibus Legatis*, me „quidem inſcio fuit appoſita, videtur „tamen neceſſaria ad turbulentorum „hominum petulantiam retundendam; „Synodus enim alioquin inſtar Babylo- „nicæ confuſionis foret, ſi ambitioſo cui- „que poteſtas fieret effrænata audacia „turbas, & mutationes ciendi: porro „Legati certe viri ſunt cordati, & Ma-

Sarpius l. 6. p. 484. Mem. pour le Conc. de Trente p. 189 209. lettr. de l'Isle au Lanſac. 12. Maji & au l'abbe de S. Gildas 29. Maj.

Sæcul. XVI. A. C. 1562.

„jeſtati ſuæ obſequentes, paratique ea „ſemper proponere, quæ ipſi grata, & „piis omnibus, prudentibusque non ſint „injucunda.„ Cum autem Pontifex voluntati Hiſpaniæ Regis, qui hanc clauſulam penitus omitti petiit, iſto reſponſo nondum ſatisfeciſſet, hinc Vargas rurſus apud Papam inſtare jubebatur, quatenus Regi ea, quæ peteret, concedere velit: hinc Orator eidem expoſuit, quod hæc verba eo collimarent, ut Synodus omnino opprimatur, atque in ſervitutem redigatur: verum Papa ad hanc Oratoris temeritatem nonnihil commotus reſpondit, atque eidem exprobravit, quod non ea, quæ Sedi Apoſtolicæ deferre teneretur, officia præſtitiſſet, illa autem agendi ratio, quam Hiſpaniæ Epiſcopi hucusque in Synodo tenuiſſent, ſeditionem ſaperet: poſtea Pontifex decretum ibidem factum oſtendit juſtum æque, ac neceſſarium, cum inde nulli fieret injuria, quod proponendi facultas Legatis fuiſſet attributa. Ad hæc repoſuit Legatus, ſi in decreto, quod Legati ſint propoſituri, duntaxat poneretur, nemo foret, qui de hoc quereretur, quod autem dicatur: *proponentibus Legatis*, hæc minime limitata dicendi ratio Epiſcopos proponendi jure privare videtur, proin aliæ adhibendæ

Sarp p. 484. Mem. de Concil. p. 189. & Reg. Letre de l'Isle au Laniac 12. Maji. & a l'abbé de S. Gildas 29. Maji.

dæ sunt voces. Verum Pontifex hac importunitate magis irritatus subito discessit, nec ullum Legato dedit responsum, quo sibi satisfactum crederet. Sæcul. XVI. A. C. 1562.

§. XCVII.

Piscarius Marchio Hispaniæ Orator Tridentum veniens.

Demum molestiam, quæ Legatis ex Regis Hispaniæ querelis accesserat, nonnihil temperabat adventus Piscarii Marchionis, qui Mediolanum reversus quarta ante Sessionem die decima Maji Tridentum venit mandatis admodum moderatis instructus: porro primum, quod postulabat, erat, ne Index librorum ab Inquisitione Hispanica confectus immutaretur quoad ea, quæ Domini sui Regna spectarent: alterum vero fuit, ne illis, qui huic Inquisitioni subjecti sunt, securitatis literæ concederentur. Ad utrumque Legati respondebant, quod supervacaneum esset ejusmodi postulata proponere, cum jamjam in Regis gratiam desuper sanctio præcessisset. Pariter iidem Legati non sine animi sui lætitia perceperunt, quod hic Orator recusasset se conjungere Hispanis Præsulibus, qui residentiam juris divini esse declarare pertinacius postulabant. *Pallav. c. 7. n. 3.*

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

§. XCVIII.

Orator Episcopis Hispanis adversatur circa articulum de RESIDENTIA.

Pall. c. 7. n. 2. Nihilominus iidem Episcopi nullum non movebant lapidem, ut Marchionem ad sua pertraherent studia: hic vero jam Mediolani erat edoctus, quod Principi suo, cui multo minus auctoritatis fuisset in suos Episcopos, ejusmodi definitio noxia foret, hinc ea de re percunctabatur Martinum Aialam Segobiensem Episcopum, qui jam alias Synodo intererat, doctumque librum de traditionibus ediderat. Hic ingenue Marchioni fatebatur, quod Hispaniæ Episcoporum sententia omni juri adversaretur: „ego quidem, inquiebat Epis„copus, olim huic opinioni favebam, id „tamen propterea factum, quia ex Hi„spania discedens fidem dabam, quod „nullam Regiæ utilitatis rationem in „Concilio habere velim.„ Orator cum Tridentum venisset ejusmodi rationibus imbutus, faciliores præbuit aures monitis, quæ Simonetta Cardinalis, Regis subditus, ac Mediolani natus eidem suggesserat, ob oculos ponens, per ejusmodi definitionem imminutum iri Sedis Apostolicæ potestatem, in quam imminutionem hæretici

fici unice collimarent, ut hac oppreſſa denique Regiam æque auctoritatem everterent, quemadmodum in Germania, & Gallia jamjam moliti eſſent: hinc plane indignum ſibi videri inquiebat, quod a duobus Hiſpaniæ Epiſcopis Antiſtes Pariſienſis in fœdus adductus fuerit ad petendam hanc declarationem, tametſi ex ipſis alii fuiſſent id deteſtati, atque inter eos ipſe etiam Salmanticenſis Epiſcopus ab hac ſententia omnino alienus exſtitiſſet. Sæcul. XVI. A. C. 1562.

His verbis expugnatus Marchio Piſcarius haud ultra Nationis ſuæ Epiſcopis hac in re favebat.

§. XCIX.

Orator Synodi continuationem declarari poſtulans.

Verum major adhuc difficultas circa Synodi continuationem ſuperanda Legatis ſupererat; quippe Hiſpaniæ Orator Regis Domini ſui nomine in proxima Seſſione declarari petebat, quod præſens Concilium nonniſi continuatio ſit Synodi ſub Paulo III. inchoatæ, & a Julio III. reſtauratæ: his quoque addebat, quod Tridentum rediiſſet, ſpe fretus, fore, ut promiſſa ſæpius facta jamjam effectui data eſſent: porro ad magis firmandam hujus rei deciſionem, inſuper *Pallav. c. 7. n. 3. Sarpius l. 6. p. 488. & ſeq.*

Sæc. XVI. A.C.1562.

ſuper poſtulabat, ut omnia diſciplinæ decreta ſub Paulo III, & Julio III. facta diſertis verbis confirmarentur. Poſtremo huic petito lubenter annuebant Legati, ad primum vero articulum Oratori exponebant, haud decere, quod continuatio declaretur in Seſſione prima, cum in ea nonniſi de Seſſione in aliam diem proroganda agendum foret, ibidemque nihil decideretur. Hac ratione Marchio nonnihil placatus ſaltem voces Cæſareorum juſſu deletas, ac ſuperius relatas, rurſus decreto inſeri petiit, pollicitus, quod Cæſareos, ſi forte hac ſuper re quererentur, placare vellet: verum datam fidem exſolvendi occaſio præripiebatur Marchioni, cum ceteri ſeſe minimis etiam verbis, quibus Synodi continuatio indicaretur, conſtanter opponerent.

§. C.

Sententia de reticenda continuatione in Seſſione proxima.

Pall.c.7.n.3. Enimvero Seripandus, & Simonetta Cardinales nullum non movebant lapidem, ut in convocationis diplomate quædam verba Synodi continuationem ſignificantia inſererentur, hancque ob rem Hiſpanorum Præſulum petitionem apud ſuos ſocios acriter urgebant: Verum

rum Mantuanus Cardinalis, cum eorum rationibus nunquam cedere vellet, Cæsaris favorem sollicite conservandum pluribus monebat: ergo in eo tandem convenere Legati, ut in Sessione omitteretur memorata Continuationis particula, sed ex altera parte, prout efflagitabat Avalus, Legati in literis, quas ipsi ad Hispaniæ Regem scribebant, & Oratori tradebant, fidem suam obstrinxerunt, quod eam declarationem in Sessione, quæ subsequeretur, fieri vellent: nec id a Legatis negari poterat, posito jam superiori promisso, tum ipsorum, tum Pontificis, & tam diuturno tempore, quo ipsa rei executio incassum dilata fuerat in gratiam Cæsaris, qui hac ratione hæreticos ad sinum Ecclesiæ revocandos sperabat. Volebant insuper Legati, ut Cæsarei novæ hujus concordiæ certiores fierent, eisque exponeretur rationum necessitas, qua Philippo Hispaniæ Regi satisfieri oporteret: ast Cæsaris Oratores hoc nuntio territi Sessionem, in qua continuatio esset declaranda, differri duntaxat petebant, ut interea accepto temporis spatio Ferdinando rem significare, atque ab eo responsum accipere possent: eapropter Papæ Legati sanxerunt, ut futura Sessio, quæ prius ad diem vigesi-

Sæc. XVI. A.C. 1562.

mam

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

mam primam Maji fuerat indicta, non nisi quarta Junii celebraretur: præterea concluſum, ut in Seſſione die decimo quarto Maji habenda nonniſi de ſola continuatione, relictis omnibus aliis negotiis ageretur: quam in rem Paleottus, ut juſſus fuerat, confecit decretum, ſed prorſus jejunum, in quo exponebat, quod Patres juſtis, honeſtisque de cauſſis ſtatuiſſent ad quartum Junii diem Seſſionem differre, in qua decretæ ſanctiones promulgarentur: interim vero Deum precentur, ut ipſorum animos aura ſancti Spiritus ſic afflaret, ut id, quod in ipſius gloriam cederet, perficeretur.

INDEX

INDEX
TOMI XLIV.
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ
CONTINUATÆ.

A.

Abbates commendatarii ſacros Ordines intra ſemeſtre poſt collatum beneficium ſuſcipere tenentur. Pag. 220.

Ætas pro Canonicis præſcribitur, 217. item pro Sacerdotio, 218. denique pro profeſſione Religioſa. 219.

Althempſius Marcus Siricius Pii IV. Nepos creatur Cardinalis, 66. Synodi Legatus nominatur. 232. 330.

Ambianum, ibidem Calviniſtæ ſeditionem concitant. 146.

Amulius Marcus Antonius Venetus a Pio IV. nominatur Cardinalis, 65. ejus electioni Veneti obluctantur, 68. 71. hæc res componitur. 72.

Antitrinitarii in Polonia ſectam ſuam tuentur. 290.

Argen-

Argentinenſes Synodum recipere recuſant. p. 77.

Arturus contra Proteſtantes opem Philippi II. implorat Cleri Gallicani nomine, 239. a Gallis capitur, & veniam precari jubetur. 240.

Avalos Ignatius Neapolitanus a Pio IV. ad purpuram evehitur. 66.

Auguſtus Saxoniæ Elector Papæ Nuntio ſecuritatis literas concedit. 36.

Aurelia a Condæo occupatur. 450.

B.

Bajus Michael ejus cauſſa agitatur, 94. ſilentium ei imponitur, 95. ad Tridentinam Synodum Legatus nominatur, 96. de ejus propoſitionibus damnandis agitur. 96. 100.

Balduinus Caſſandri librum de Religionum concordia in Gallias invehit, 207. Calvinus illum impugnat. 208.

Barbarus Daniel, ejus judicium circa Indicem librorum prohibitorum. 365.

Bartholomæus de Martyribus Braccarenſis Archiepiſcopus Tridentum venit, 162. ejus Primatus in dubium vocatur, 322. ſuum jus Archiepiſcopus tuetur, 323. Pontificis ſententiam explicari petit, 327. 328. Indicem librorum prohibitorum concin-

concinnare jubetur, 366. 373. pro reformatione perorat 410. etiam de Cardinalium reformatione in Synodo agendum censet. 412.

Bavariæ Dux, ejus Oratores ad Synodum veniunt, 538. cum Venetis Oratoribus de loci prærogativa contendunt, 539. cedunt. 540.

Bellovacensis seditio ob Castellionæi Apostasiam exoritur, 146. edictum hanc ob rem promulgatur, 147. a Lotharingio Cardinale impugnatur, 159. revocatur. 150.

Beza Theodorus Possiacensi colloquio interest, 165. cum Lotharingio disputare reformidat, 165. proterve contra Catholicos declamat, 172. contra Eucharistiam horrendas blasphemias evomit, 176. a Cardinale Turnonio perstringitur, 176. suam orationem prosequitur, 178. apud Reginam suas blasphemias excusat, 179. a Lotharingio Cardinale impugnatur, 180. rursus ibidem perorat contra Ecclesiam, 186. a Claudio Espencæo refellitur, 187. eidem respondet, 188. Episcopos injuriis afficit, 191. petulanter Catholicis irridet, 198. de tumultu in suos excitato queritur, 444. minas contra Guisium Ducem evomit. 445.

Bibracus Franciæ Orator ad Synodum Tridentinam. 462.

Blandratus Socinianorum fautor, 293. errores contra Sanctiſſimam Trinitatem ſpargit. 304.

Braccarenſis Archiepiſcopus, vid. *Bartholomæus.*

Brandeburgicus Elector Papæ Nuntium honorifice excipit, 37. circa Synodum cum eo confert, 38. 39. ſententiam ſuam ferre tergiverſatur, 40. Electrix Nuntium in honore habet, 49. ablata Eccleſiæ bona reſtitui ſpondet. 51.

Brandeburgicus Marchio nomine Joannes, Papæ Nuntium recipit, 43. indignum ei reſponſum per ſuum Cancellarium dat, 44. imprudentiam ſui Cancellarii excuſat, 46. benigne Nuntium habet. 47.

Brentius hæreticus Papæ Nuntium inviſit. p. 78.

Britannus Joannes in Clericos contumelioſa oratione invehitur, 154. ſed refellitur ab alio oratore. 156.

Brunsvicenſis Dux Henricus a Papæ Nuntio inviſitur. 52. Synodi diploma reverenter recipit. 52.

Burdaſerius Philibertus a Pio IV. creatur Cardinalis. 64.

C.

Calix, ejus uſus a Clivienſi Duce petitur, 59.

59. Epiſcopi Galli illius uſum petunt, 222. ſed non obtinent. 230. 233.

Calviniſtæ in Neapolis Regno caſtigantur, 130. Bellovacenſi edicto eis ſectæ libertas conceditur, 148. reſtringitur, 150. eis Hoſpitalius Cancellarius favet, 151. Poſſiacenſi colloquio interſunt, 165. quatuor poſtulata proponunt, 165. Regi conditiones præſcribere audent, 166. ulterius perorandi facultatem petunt, 184. eorum doctrina circa Cœnam, 190. ejus ſectam in Poſſiacenſi colloquio fuiſſe approbatam mentiuntur, 266. eorum temeritas reprimitur, 267. ſeditionem Pariſiis concitant, 268. pariter & Vaſſiaci, 441. falſum rumorem de fœdere contra eos inito ſpargunt, 454. varias urbes occupant, 457. crudeliter ubique in Catholicos deſæviunt 458. plectuntur. 459.

Calvinus Caſſandri librum convitiis impugnat, 208. Blandratum divexat. 307. 308.

Canobius a Papa ad Cæſarem in cauſſa Caraffarum & Synodi ablegatur, 86. a Cæſare auditur, 88. Poloniæ Regem inviſit, 89. fruſtra Teutonicorum Equitum Magiſtrum ad Synodum invitat, 90. ad Helvetios pergit. 90.

Canonici, ſtatuta circa annorum ætatem & munia. 217.

Caraciolus Joannes Trecenſis Epiſcopus a Petro Martyre ſeducitur. 208.

Caraffa Cardinalis, ejusque Frater capitali ſententia damnantur. 259.

Cardinales octodecim a Pio IV. creantur, 64. de eorum reformatione agitur. 412.

Carolus IX. Franciæ Rex Synodi celebrationem ratam habet, 73. expenſas reſtringere ſatagit, 134. Condæum, ut ſe de hæreſi & perduelione purgat, compellit, 138. Rhemis inungitur, 144. contra hæreticos edictum condit, 150. Poſſiacenſe colloquium inſtituit, 158. illius æquitatem vindicare nititur, 167. a ſuo Clero pecunias extorquet, 210. a Papa calicis uſum petit, 224. reſponſum accipit, 225. repulſam fert, 227. fidem Catholicam tueri, a Facultate rogatur, 249. 251. bona Eccleſiæ reſtitui, a Scotis petit, 275. ſuos Legatos ad Tridentinam Synodum nominat, 461. eis mandata prorſus indigna dediſſe dicitur, 463. Seſſionem prorogari petit. 534.

Caſtillionæus Cardinalis Apoſtata Calvini ſectam publice profitetur. 146.

Catharina de Medicis Franciæ Regis Mater Regnique Adminiſtratrix cum Navarræ Rege altercatur, 137. Conneſtabilem ſibi conciliare nititur, 141. ſe Proteſtantibus favere ſimulat, 142. Calviniſtis adhærere reformidat, 150. Poſſiacenſe

cenſe colloquium apud Papam excuſat, 157. necnon etiam apud Hiſpaniæ Regem, 235. alium conventum indicit in cauſſa hæreticorum, 353. ob favorem hæreticis præſtitum ſe apud Pontificem excuſat, 360. ſecuritatis ſponſionem hæreticis dandam immutari jubet, 402. cum ſuo filio auffugere cogitur, 446. Synodum approbat, 460. ejus Legatum Hiſpano præcedere vult. 536.

Clerus Gallicanus defenditur, 156. Regi pecuniarum ſuppetias numerare cogitur. 210.

Clivienſis Dux a Papæ Nuntio ad Synodum invitatur, 57. & ſuos Oratores mittere promittit, 58. uſum Calicis & Sacerdotibus conjugium concedi petit, 59. ſed nil impetrat. 60.

Colonienſes, Synodi decreta recipere paratos ſe exhibent. 56.

Colloquium Poſſiacenſe, vide *Poſſiacum*.

Coloſvarius Epiſcopus, vide *Duditius*.

Commendæ, de iis agitur in Synodo, 530.

Commendonus Joannes Papæ Nuntius in cauſſa Concilii Tridentini in Germaniam mittitur, 2. coram Cæſare hac in cauſſa perorat, 2. ad Naumburgenſem Proteſtantium conventum venire, haud conſultum cenſet, 6. eo proficiſcitur, 8. ibidem perorat, 12. ad Cracovii contumelioſam orationem modeſte reſpondet,

21. in Germaniam proficiſcitur, 35. Berolini cum Electore Brandeburgico loquitur, 37. eidem Synodi diploma porrigit, 38. benigne ab eodem ſpecietenus excipitur, 39. eidem reſpondet, 40. ad Marchionem & Magdeburgenſem Archiepiſcopum in cauſſa Synodi contendit, 42. indigne a Marchionis Cancellario habetur, 44. 48. eidem reſpondet, 45. a Marchione in honore habetur, 47. Henricum Brunſvicenſem inviſit, 52. Germaniæ Epiſcopis Synodi celebrationem proponit 52. concordiam inter Epiſcopos & Principes proponit, 54. Clivienſem Ducem accedit, 56. ab eodem benigne excipitur, 58. uſum Calicis & matrimonium Sacerdotum eidem non concedit, 59. in Daniam proficiſci jubetur, 60. 103. Leodium aliasque urbes pertranſit, 91. in Belgium ad Adminiſtraticem contendit, 93. diſſuadentibus multis in Daniam pergere ſtatuit, 94. Bajum & Heſſelium ad Synodum mitti reprobat, 97. hanc in rem ad Mantuanum perſcribit, 99. Baji propoſitiones eſſe proſcribendas cenſet, 101. in Sueciam proficiſci jubetur, 103. Romam accerſitur. 107.

Communio ſub utraque ſpecie, vide *Calix.*

Concilium Tridentinum, per Pontificis Nuntios Principes tam Catholici quam hæretici

tici ad Synodum invitantur, 1. 30. 35. 37. 42. 52. 57. ad illam accedere Episcopi Germaniæ sollicitantnr, 52. ad illam Bajus & Hessélius nominantur, 96. etiam Cophti ad eam a Papa invitantur, 314. duo Poloni Præsules adveniunt, 331. ante Synodi initium Congregatio habetur, 346. varia ibidem decernuntur, 348. Sessio XVII. & prima sub Pio IV. 349. decretum pro continuando & inchoando Concilio, 351. habetur congregatio circa Indicem, 386. eorum consultatio de securitatis publicæ literis pro hæreticis, 370. nonnulli Patres ad concinnandum Indicem seliguntur, 373. litem inter Hungariæ & Lusitaniæ Oratores componunt Patres, 374. hosce Oratores excipiunt, 377. Congregatio ante Sessionem habetur, 389. Primus Legatus silentium servari commendat, 390. Sessio XVIII. & secunda sub Pio IV. 393. ibidem Corcyrensis Præsul perorat, 393. de librorum delectu & publicæ securitatis literis decretum recitatur, 397. a Granatensi Archiepiscopo impugnatur, 400. agitur de fidei publicæ literis, 402. ad eas concinnandas Prælati nominantur 403. promulgatur decretum, 406. de reformatione agitur, 408. illius articuli examinantur, 415. articuli a Franciæ Rege propositi examinantur, 484. articulus de residentia

discutitur, 487. 489. Papæ sententia circa hunc articulum exploratur, 499. Legatum hac de re Romam mittunt Patres, 500. de rebus in Synodo pertractandis agitur, 502. dissidia inter Patres oriuntur, 509. agitur de Ordinationibus ad titulum Patrimonii, 510. Ordines sacri gratis conferantur, 513. agitur de distributionibus quotidianis, 519. & de Parochiis, 525. necnon de commendis & Quæstoribus, 530. 531. excipiuntur Franciæ Oratores, 537. Bavariæ Ducis Oratores adveniunt, 538. cum Venetorum Legatis de sedis prærogativa altercantur, 539. Legati hac super re Pontificis consilium exquirunt, 540. Legati contra Hispaniæ Regis querelas se purgant, 545. 549. Piscarius Marchio Hispaniæ Orator Tridentum venit, 553. Orator Synodi continuationem declarari postulat. 555. Patres censent, hanc quæstionem in proxima Sessione esse reticendam. 556.

Condæus Princeps suam innocentiam vendicare nititur, 136. Regem captum abducere molitur, 446. Aureliam occupat, 450. bellum a se motum vindicat, 451. Protestantes ad bellum excitat, 453. fœdus cum eis pangit, 454. præcipuas urbes occupat, 457. de pœna ab hæreticis sumpta injuste queritur. 459.

Confessio Augustana, dissidia Protestantium circa illam, 28. illarum varietas. 29,

Confessio fidei circa Cœnam editur, 189. alia a Protestantibus proceditur, 200. 201. a Facultate Parisiensi reprobatur, 203. Catholica ad Reginam transmittitur, 204. emendatur, 205. a Possiacensibus editur. 211.

Confraternitas B. V. Mariæ de pietate in opem dementium erigitur, 133.

Cophti ad Tridentinam Synodum a Papa invitantur, 314. eorum errores, 316. summum Pontificem agnoscere renuunt, 318.

Corragius Hieronymus a Pio IV. Cardinalium Collegio adscribitur. 67.

Cracovius hæreticus in summum Pontificem publice contumelias evomit. 18.

Cueva Cardinalis Gallos usum calicis & Sacerdotum conjugia petentes rejicit, 227.

D.

David Franciscus socianismum in Transylvaniam invehit. 310.

Delphinus Zacharias Papæ Nuntius in Germaniam mittitur in caussa Concilii Tridentini, 2. coram Principibus hæreticis perorat, 11. ab Imperii urbibus circa Synodum nihil impetrare valet, 76.

fruſtra Zanchium Apoſtatam ad fidem revocare nititur, 78. cum Paulo Vergerio confert de reditu ad veram fidem, pag. 82.

Deſpencæus Claudius Doctor Poſſiacenſi colloquio intereſt, 164. Bezæ calumnias confutat, 187,

Diſtributiones quotidianæ, de iis agitur in Synodo. 519.

Drackovitius Quinquecleſienſis Epiſcopus Indicem librorum prohibitorum concinnare jubetur, 373. tanquam Hungariæ Regis Orator excipitur, 377. ſui mandati literas exhibet, 389. cum Luſitano Oratore de loci prærogativa contendit, 395, hæc lis componitur. 397.

Dudithius Andreas, ejus vita, 424. Hungarici Cleri nomine ad Synodum ablegatur. 429.

E.

Edictum in Menſe Julio promulgatur, 151. aliud in Menſe Januario in favorem Proteſtantium conditur, 356. illud a Senatu nonniſi coacte ad acta refertur, 385. publico ſcripto confirmatur. 455.

Eliſabetha Angliæ Regina Papæ Legatum indigne habet, 75. Sueciæ Regem vana conjugii ſpe ludit, 104. Scotiæ Reginam divexat. 280.

Elius Patriarcha Jeroſolymitanus, ejus judicium circa Indicem librorum prohibitorum, 365. litem circa Sedis prærogativam diſcutere jubetur, 375. 395. decretum Synodicum prælegit, 397 ejus ſententia circa reſidentiam. 485.

Epiſcopatus, Germaniæ Epiſcopi ad Synodum accedere tergiverſantur, 53. ad fœdus cum Principibus ineundum ſollicitantur, 53. de Epiſcoporum qualitatibus agitur in in Poſſiacenſi colloquio. p. 215.

Erfordia, ibidem Proteſtantes conventum agunt. 101.

Ericus XIV. Sueciæ Rex nunc Lutheri, mox Calvini ſectam profitetur 104. Papæ Nuntio ſecuritatis literas concedit, 105. fruſtra in Angliam navigare tentat. 106.

Eſtenſis Ludovicus Ferrariæ Ducis Filius creatur Cardinalis. 66.

Euchariſtia a Theodoro Beza impugnatur, 176. exponitur a Calviniſtis in Poſſiacenſi colloquio, 189. contra eam declamat Petrus Martyr, 193. Proteſtantium doctrina circa illam, 200. Catholica doctrina. 204.

F.

Facultas Theologica Pariſienſis Proteſtantium doctrinam circa Euchariſtiam damnat,

mnat, 203. propoſitionem circa auctoritatem Pontificis damnat, 242. media fidem conſervandi, Galliarum Regi proponit, 245. 247. propoſitiones de Conciliis proſcribit, 244. circa Baccalaureos edicta condit, 249. pro conſervanda fide Catholica ſupplicem libellum Regi porrigit. 251.

Ferdinandus I. Imperator Papæ Nuntios perbenigne excipit, 2. Papæ poſtulata ſibi ſcripto tradi poſtulat, 4. ad ea reſpondet, 5. quædam eis proponit, 7. Oratores ſuos ad Proteſtantes ablegat, 33. Papæ Legatum excipit, 87. Germaniæ Epiſcopos ad Tridentum mitti poſſe negat, 88. Filium ſuum in Romanorum Regem eligi deſiderat, 102. ſuis ad Synodum Oratoribus mandata committit, 382. hæreticos publico diplomate ad Synodum invitari petit, 406. reformationis articulos proponit, 408. cuncta, quæ Synodi progreſſibus obſtant, removet. 431.

Ferrarienſis Cardinalis Legatus Pontificius in Franciam venit, 163. ſuam innocentiam vindicat, 334. hac de re ad Cardinalem Borromæum perſcribit, 335. ſuam in Poſſiacenſi colloquio præſentiam apud Papam excuſat. 433.

Ferrerius Arnoldus Franciæ Orator ad Synodum Tridentinam. 462.

Ferrerius Petrus creatur Cardinalis. 65.

Fides, eam conſervandi media proponuntur, 245. 247. de ejus conſervatione agitur. 251.

Florentiæ Dux, ejus Orator in Synodo Tridentina receptus perorat, 420. contentionem habet cum Helvetiorum Oratore circa loci prærogativam. 423.

Foſſus Caſparus Reggienſis Archiepiſcopus orationem habet in prima Seſſione ſub Pio IV. habita. 530.

Fridericus II. Daniæ Rex a Pontificis Nuntio ad Synodum accedere rogatur, 60. hujus Regis indoles, 61. Proteſtantes eum in Romanorum Regem eligi cupiunt, 102. Papæ Nuntio ſecuritatis literas dare rogatur, 103. eas denegat, 104. ampla ejus conſilia ſucceſſu fruſtrantur, 106. Mariam Scotorum Reginam ducere cupit. 106.

G.

Gaddius Thaddæus Cardinalis, ejus vita & obitus. 264.

Gambara Joannes Franciſcus a Pio IV. creatur Cardinalis. 67.

Germani oppidum in Laja, ibidem comitia aguntur in cauſſa Religionis, 153. Conventus ibidem habetur, 199. primum colloquium circa Euchariſtiam, 199, ibidem

dem rursus conventus ob Calvini hæresin celebratur. 353.

Gesualdus Alphonsus Romana purpura a Pio IV. decoratur. 67.

Giurius Claudius Cardinalis ejus gesta & obitus. 262.

Genesius Petrus celebris Socinianus, 291. suam sectam tuetur, 292. parvulorum Baptisma impugnat, 293. a Lutheranis impugnatur, 294.

Gonzaga Hercules Synodi Præses nominatur. 62.

Gonzaga Franciscus Cardinalis creatur, 63. 66.

Granvellanus Antonius Perrenotus Atrebatensis Episcopus a Pio IV. creatur Cardinalis 65. a Papæ Nuntio circa Baji caussam convenitur, 94, hanc litem componere satagit. 95.

Grimanus Aquilejensis Patriarcha de hæresi suspectus habetur, 68. propterea a purpura excluditur, 69. hæresis labem a se amoliri frustra nititur, 70. Synodum accedere parat suam innocentiam vindicaturus, 524. Romæ caussam suam agere a Papa jubetur. 525.

Grimodetus Franciscus, ejus propositiones a Theologica Facultate damnantur. pag. 244.

Guerre-

Guerrerius Granatenſis Archiepiſcopus recipit Vargæ Oratoris epiſtolam, in qua is de Hiſpanis queritur, 386. difficultates proponit contra decretum de librorum prohibitione. 400.

Guiſius Dux ejusque conſanguinei quibusdam in Francia prærogativis decorantur, 145. Lutheranis Calviniſtarum progreſſus ſuſpectos reddere ſatagunt, 437. Dux a Calviniſtis vulneratur, 444. Pariſios venit. 445.

H.

Helvetii Catholici Synodum recipiunt, hæretici reſpuunt, 90. ſuum Oratorem Tridentum mittunt, 422. hic cum Florentiæ Oratore de ſedis prærogativa contendit. 423.

Heſſelius Lovanienſis Doctor, 94. ſe ſacræ Sedis judicio ſubjicit, 95. ad Tridentinam Synodum nominatur, 96.

Hiſpani in Synodo veſtem, vulgo *Mozettam* geſtare petunt, 319. Synodum continuatam eſſe, declarari poſtulant, 342. votis damnantur, 348. contra hæc verba: *Proponentibus Legatis* obluctantur, 352. circa ſententiam de reſidentia cedere coguntur, 554.

Hoſpitalius Franciæ Cancellarius hæreticos pœnis affici renuit, 151. pro hæreticis perorat, 153. in Poſſiacenſi colloquio decla-

declamat, 169. hæreticos pœnis non esse coercendos suadet. 354.

Hosius Stanislaus Polonus Warmiensis Episcopus in Poloniam missus in Cæsaris aula subsistere cogitur, 2. Synodi Præses nominatur, 63. creatur Cardinalis a Pio IV. 65. 73.

I.

Jesuitæ Parisiis stabiliuntur, 211. sub quibus conditionibus recipiuntur, 212. Parisiensis Episcopus alias adjicit conditio- 214.

Imagines sacræ, qua ratione publicæ venerationi exponantur. 221.

Insulanus frustra a Papa pro sacerdotibus Gallis conjugium & Calicis usum extorquere nititur, 228. circa communionem sub utraque specie cum Papa confert. 223.

Joachimus Abbas Helvetiorum Orator ad Synodum, 422. ejus contentio cum Florentiæ Ducis Oratore. 423.

Joachimus Elector Brandeburgicus, vide *Brandeburgicus.*

Jovius Paulus, ejus sententia circa residentiam. 493.

Itali pensionibus & beneficiis in Francia privantur. 134.

Jurisdictio Ecclesiastica vindicatur. 151.

Lansa-

L.

Lanſacus Franciæ Orator ad Concilium Tridentinum favorem a Regina hæreticis conceſſum apud Papam excuſare jubetur, 360. Synodi Legatus nominatur, 461. Seſſionem prorogari petit, 533. literas a Regina accipit. 535.

Laurentius Marcus cenſet, ad Indicem librorum prohibitorum nonniſi libros manifeſtam hæreſin continentes eſſe rejiciendos. 367.

Layneſius Jeſuitarum Generalis contra Calviniſtas in Poſſiacenſi Colloquio perorat, 194. ſacra ab Eccleſiaſticis pertractari ſuadet, 196. Euchariſtiam propugnat, 197. infimum in Synodo locum occupat. 347.

Legati Apoſtolici pro Tridentina Synodo a Papa nominantur 62. Synodum maturare a Papa jubentur, 337. de argumentis ibi proponendis conſultant, 333. agunt de Indice librorum prohibitorum, 339. Synodi Patres ad vitæ probitatem hortantur, 341. ad Cæſaris mandata reſpondent, 384. ſilentium de rebus in Synodo decretis commendant, 390. quæſtionem de reſidentia agitant, 499. 507. adverſus eos queritur Hiſpaniæ Rex, 543. Legati ſuam innocentiam vindicant. 545. 549.

Libri prohibiti, de illorum Indice conficiendo agitur, 339. 365. variæ Patrum sententiæ circa hanc rem, 366. eorum judicia circa Authorum citationem, 368. ad hunc Indicem concinnandum Patrum nonnulli seliguntur. 373.

Livones seditionem conflant, 284. Polonis subjiciuntur, 285. Ordo Livonicus in Germania extinguitur. 286.

Lotharingius Cardinalis contra edictum Bellovacense in favorem hæreticorum conditum reclamat, 149. in Possiacensi colloquio de Ecclesiæ auctoritate differit, 181. ejus sententia de Eucharistia, 182. ob hanc orationem commendatur, 183. pro confessione Augustana perorat. pag. 436. 437.

Lutherani incassum cum Socinianis disputant. 290. 301.

M.

Madrutius Ludovicus Tridentinus Episcopus creatur Cardinalis. 66.

Maitlandius Comes a Maria Scotiæ Regina ad Elisabetham in Angliam mittitur, 280. ejus postulata & responsa illi data. 280.

Malus seditiosus Calvinistarum Præco, 296. ex ejus sermonibus seditio oritur. 270.

Mantua-

Mantuanus Cardinalis, ejus judicium de Bajo & Heſſelio. 97. 99.

Margarita Belgii Adminiſtratrix Papæ Nuntium recipit. 93.

Maria Scotiæ Regina eo proficiſcitur, 276. indigne in ſuo adventu habetur, 276. Catholicam Religionem ibidem reſtaurare fruſtra nititur, 277. ab Angliæ Regina ad firmandum Edinenſe fœdus ſollicitatur, 280. id ob graves rationes renuit. 281.

Marloratus Apoſtata Poſſiacenſi Colloquio intereſt, 165. Regi conditiones præſcribere audet. 166.

Martinengus Abbas a Papa ad Eliſabetham Angliæ Reginam ablegatur, 75. ob eadem indigne habetur. 75.

Martyr Petrus Zanchium ſua hæreſi inficit, 78. realem Præſentiam Chriſti in Euchariſtia impugnat, 193. a Layneſio refellitur, 197. Tricaſſinum Epiſcopum ſeducit. 208.

Maſcaragnes Luſitaniæ Regis Orator, ejus diſſidia cum Hungariæ Regis Oratore circa ſedis prærogativam, 395. 375. in Synodum excipitur, 378. ibidem perorat, 379. lis circa loci prærogativam componitur. 397.

Maſſarelus Bullam indictionis recitat. pag. 347.

Matrimonia Sacerdotum, a Clivienſi Duce concedi petuntur, 59. a Gallis efflagitantur. 222.

Maximilianus Cæſaris Filius, ejus electioni in Romanorum Regem obſiſtunt hæretici. 102.

Mercurius Cardinalis, ejus vita & obitus. 261.

Miglitizius Antonius Hungariæ Regis Orator Tridentum venit, 374. ibidem excipitur, 377. temerarie in Patres invehitur. 508.

Miſſa privata, non celebrentur intra ſacrum ſolemne & Concionem. 220.

Montanus Innocentius juſſu Papæ includitur. 261.

Montlucus Valentinenſis Epiſcopus, ejus propoſitiones damnantur. 253.

Montmorentius Conneſtabilis Reginæ adhærere ſollicitatur, 141. Catholicam fidem tuetur. 143.

Mozetta, hanc veſtem Hiſpani in Synodo geſtare petunt, 319. repulſam ferunt, 320. tandem eorum precibus ceditur. 321.

N.

Naldius Philibertus a Pio IV. creatur Cardinalis. 65.

Navagerus Bernardus Venetus a Pio IV. purpura Romana decoratur. 67.

Navarræ Rex in Pontificis gratiam redit, 131. ſibi Regii Palatii claves tradi petit, 137. diſſidia habet cum Regina, 137. Pro-Rex proclamatur, 139. cum Poloniæ Rege de Lutheri ſecta propaganda agit, 140. ſpe lucri Catholicis favet, p. 434.

Navarræ Regnum, ejus reſtitutionem Galli ab Hiſpaniæ Rege incaſſum petunt, p. 237.

Naumburgum Proteſtantes eo conveniunt, 5. illuc Papæ Nuntii proficiſcuntur, 8. quinam eo confluxerint? 26. eorum decreta, 27. illorum diſſidia circa confeſſionem Auguſtanam, 28. varia illius exhibentur exemplaria, 29. Congregatorum ſententia de Concilio Tridentino, 32. hujus conventus exitus, 35. hujus urbis Epiſcopus ad Synodum accedere paratum ſe exhibet. 53.

Neapolis, ibidem Calviniſtæ jure caſtigantur. 130.

Noallius Jacobus Franciæ Orator in Scotia. 274.

Norimbergenſes, Synodum Tridentinam reſpuunt. 76.

Nuntii Pontificii pro reſtauranda Synodo Tridentina ad varios Principes mittuntur, 1. Naumburgum ad Proteſtantes

veniunt, 8. Palatini & Saxonici Principum colloquium expetunt, 9. ad publicum alloquium admittuntur, 10. Naumburgo re infecta discedunt. 35.

O.

Ordines sacri, quænam ætas pro iis in Francia requiratur, 219. agitur de ordinationibus ad titulum Patrimonii, 510. gratis Ordines sunt conferendi. 513.

Organa, illis nonnisi a sacra cantica uti licet. 221.

P.

Paccecus Franciscus Hispanus Burgensis Archiepiscopus a Pio IV. creatur Cardinalis, 67.

Papistæ, ita contumelioſe Catholici in Galliis vocantur, 146. nominari prohibentur. 147.

Parochiæ, an sint dividendæ, 416. quinam Parochi constituendi, 416. 417. in plures titulos sunt dividendæ, 525. agitur de Parochiarum unione, 528. necnon de Parochis illiteratis ac sceleratis. 529.

Pascalis Minister Calvinista Romæ vivus comburitur. 130.

Philippus II. Hispaniæ Rex Baji causſam amice componi desiderat, 96. Synodum continuari edito diplomate declarari postulat, 131. in Papam indignationem concepisse dicitur. 131. a Gallis Possiacense

cense colloquium haberi ægre fert, 235. Franciæ Legatum hanc ob rem missum remisse excipit, 236. Navarræ Regnum restituere renuit, 237. suos Legatos Tridentum decernit, 419. de Papæ Legatis queritur, 543. sed Legati apud eum se excusant, 545. obtinet Rex a Papa id, quod petit. 551.

Philibertus Sabaudiæ Dux Valdenses hæreticos castigare aggreditur, 110. eorum libellum supplicem recipit, 111. cum illis publicam disputationem instituti petit, 112. ejus copiæ profligantur, 122. pacem cum eis init, 124. 125. eis sectæ libertas promittitur. 126.

Piscarius Marchio, Hispaniæ Regis Orator in Synodo excipitur, 419. sua mandata exhibet, 420. Tridento discedit, 421. Tridentum revertitur, 553. Hispaniæ Episcopis circa articulum de residentia adversatur, 554. Synodi continuationem declarari postulat. 555.

Pius IV. pro restauranda Synodo suos Nuntios ad Principes etiam Protestantes decernit, 1. Commendonum ad Daniæ Regem ablegat, 60. Synodi Præsides nominat, 62. Cardinales creat, 64. Grimanum in Cardinalem elegi statuit, 68. eum utpote sæpius de hæresi accusatum respuit, 69. Venetos exinde ira commotos placat, 71. certior redditur,

tur, quod Galliarum Rex Synodi celebrationem ratam habeat, 74. per Legatum ſuum Angliæ Reginam de Synodi celebratione certiorem facit, 75. cum hæreticis diſputationem haberi haud conſultum cenſet, 85. Canobium ad Cæſarem ablegat, 86. Vulpium ad Helvetios decernit, 90. Commendonum in cauſſa Baji Lovanium mittit, 94. ſectæ libertatem Valdenſibus conceſſam ægre fert, 130. Navarræ Regem in gratiam recipit, 131. varias promulgat conſtitutiones, 133. Romanam urbem exornat, 133. Romanam urbem reſtaurat, 133. contra Poſſiacenſe colloquium reclamat, 157. 161. Calicis uſum Gallis concedere rogatur, 224. annuere renuit, 227. quintum Synodi Legatum nominat, 232. 330. Caraffenſes ob delicta capitali ſententia damnari jubet, 259. Cophtos ad Tridentinam Synodum invitat, 314. ad eos ablegat Rodericum & Elianum, 315. litem circa Braccarenſem Primatum componit, 324. 326. litem circa modum ſuffragia in Synodo ferendi decidit, 333. Concilium maturari præcipit, 337. hæreticis ſectæ libertatem in Galliis eſſe conceſſam queritur, 360. ad hanc excuſationem reſpondet, 362. Seſſionem maturari jubet, 392. ad ſuum in Francia Legatum perſcribit, 433. ſuam mentem explicat circa

ca reſidentiam, 499. 505. litem inter Bavaros & Venetos Oratores de loci prærogativa componit, 540. querelas contra ſuos Legatos excipit, 543. Hiſpaniæ Regis precibus annuit. 551.

Pinczovia, ibidem Antitrinitarii conciliabulum agunt, 290. alterum Socinianorum conventiculum, 292. alia ibidem celebrantur hæreticorum Concilia, 296. 297. 307.

Poſſiacum, ibi celebratur colloquium Pontifici minus gratum, 157. ibi profeſſio fidei circa cœnam editur, 189. Sangermanum transfertur, 199. quædam diſciplinæ decreta conduntur, 215.

Poloniæ Rex Papæ Legatum benigne excipit, 89. eidem diſſuadet, ne in Moſcoviam contendat, 89. eundem Teutonicorum Equitum Magiſtro commendat, 90. Navarræ Regem ad Lutheri ſectam invehendam hortatur, 140. cuilibet ſectæ in ſuo regno libertatem concedit. 288.

Profeſſio Religioſa, pro ea ætas prſcribitur, 219.

Proteſtantes Naumburgi conventum habent, 7. Nuntios Pontificios ad publicum alloquium admittunt, 10. perorantibus reſpondent, 16. utrumque Papæ Nuntium contumelioſe habent, 18. eorum diſſenſiones circa Confeſſionem Auguſtanam, 28. 29. Concilium absque Ponti-

fice celebrari poſtulant, 33. Erfordiæ conventum habent, 101. Romanorum Regis electionem impedire moliuntur, 102. in Poſſiacenſi colloquio ſua convitia proponendi facultatem petunt, 184. aliam fidei confeſſionem circa Euchariſtiam procudunt, 200. 201. illa a Pariſienſi facultate rejicitur, 203. ſeditio Pariſiis, 268. & Apamiæ a Proteſtantibus ſuſcitata, 274. publicæ ſecuritatis literæ dantur. 370.

Puteus Cardinalis nominatur Synodi Præſes. 63. 73.

Q.

Quæſtores de iis agitur in Synodo. 531.

R.

Radzevillius Livonici Ordinis jura obtinet, 286. Blandratum Socinianum tuetur, 307.

Rambullietus a Galliarum Rege Romam mittitur, 73. initium Synodo dari petit, p. 74.

Rebiba Scipio Cardinalis juſſu Pontificis includitur, 261.

Reformatio, ejus articuli a Cæſaris Oratoribus proponuntur, 408. circa eam Braccarenſis Archiepiſcopus perorat, 410. etiam Purpuratos eſſe reformandos cenſet, 411. reformationis articuli diſcutiuntur, 415.

415. alii a Franciæ Rege proponuntur, 476.

Reſidentia Epiſcoporum, de ea agitur in Poſſiacenſi colloquio, 216. diſcutitur, an ſit juris divini, 484. variæ Patrum ſententiæ circa illam, 489. 491. 493. 497. Papæ ſententia exploratur, 499. quidam eam juris Divini eſſe cenſent. 503.

Romana urbs a Pio IV. reſtauratur. 133.

Rothomagum a Calviniſtis occupatur. 457.

S.

Salviatus Bernardus a Pio IV. creatur Cardinalis. 64.

Sanctius Claudius Poſſiacenſi colloquio intereſt, 164. a Theodoro Beza ibidem impugnatur. 188.

Saxo-Vinarienſis Dux Auguſtanam Confeſſionem mendacii redarguit, 30. Naumburgo indignabunde diſcedit, 31. a Proteſtantibus redire ſollicitatur. 33.

Scotia, eo Legatus Gallus deſtinatur, 274. Scoti bona Eccleſiæ reſtituere recuſant, 175.

Scemnienſe hæreticorum conciliabulum. 291.

Securitatis literæ hæreticis a Synodo dantur, 370. Galliarum Reginæ juſſu immutantur, 402. ad eas concinnandas Præſules nominantur, 403. circa illas promulgatur decretum. 406.

Seditio

Seditio a Calviniſtis conflatur. p. 146. 268. 274,

Seripandus Hieronymus a Pio IV. purpura decoratur, 64. Synodi Præſes a Pio IV. nominatur. 73.

Sigismundus Auguſtus, vide *Poloniæ Rex.*

Sigismundus Joannes Tranſylvaniæ Princeps Socinianorum hæreſin in hanc Provinciam invehit, 310. Wittembergenſem & Lipſienſem Univerſitates in ſectæ ſuæ dubiis in conſilium vocat. 312.

Simonetta Ludovicus a Pio IV. creatur Cardinalis, 65. nominatur Synodi Legatus. 73.

Socinianiſmus, in Polonia propagatur, 288. Sociniani conventicula agunt. 290. 292. 307. eorum hæreſis in Tranſylvaniam diffunditur. 310.

Stator Arianus, contra Sanctum Spiritum blaſphemias evomit, 298. 299. fruſtra a Lutheranis impugnatur. 301. 309.

Strozzius Florentiæ Ducis Orator in Synodo excipitur, 420. cum Helvetiorum Oratore contendit, 423. pacis ſtudio cedit. 424.

Sturmius ab hæreſi ad veram fidem redire paratus cum Papæ Nuntio confert, 79. eidem quasdam conditiones proponit, 79.

Suecia Reginam Angliæ ducere meditatur. 106. Vide *Ericus.*

Tan-

T.

Tanquerellus Joannes, ejus Theſes de auctoritate Pontificis damnantur a Gallis, 241. 242. auffugit. 243.

Thuun Sigismundus Hungariæ Regis Orator ad Synodum Tridentinam, 381. ejus mandata. 382.

Titulus patrimonii, de eo in Synodo agitur. 510.

Trevirenſis Elector ſe Synodo propenſum exhibet, 53. ipſus accedere tergiverſatur, p. 55.

Trinitenſis Comes in Valdenſes movet, 115. eos ad Principis clementiam exorandam inducit, 116. ob violatam eorum fidem illos caſtigat, 118. renovat bellum ancipiti Marte, 121. profligatur, 122. de pace cum illis agit. 124.

Triumviri Regem Pariſios abducunt. 448.

Turnonius Cardinalis in Poſſiacenſi colloquio Bezæ calumnias contra Euchariſtiam refellit. 176.

V.

Valachia a Jacobo Pari Marchione occupatur. 287.

Valdenſes Delphinatus & Sabaudiæ montes incolunt, 108. eorum errores & ſcelera, 109. bello a Sabaudiæ Duce premuntur, 109. eidem libellum ſupplicem pro ſectæ ſuæ

ſuæ libertate porrigunt, 111. cum Catholicis diſputare prohibentur, 112. bellum in ſuum Principem movent, 114. a Duce invaduntur, 115. clementiam Ducis exorare rogantur, 116. in hæreſi pertinaciter perſiſtunt, 117. debitas pœnas luunt, 118. cum Gallis hæreticis fœdus ineunt, 120. Ducis copias cædunt, 121. 122. pacis conditiones ineunt, 124. ſectæ ſuæ libertatem extorquent. 126.

Vargas Orator de Hiſpanorum levitate queritur. 386.

Vaſſium, Calviniſtæ ibidem ſeditionem ob eorum ſectam concitant. 441.

Veneti, Amulejum Oratorem ſuum in Cardinalem eſſe electum indignantur, 68. Grimaldum eligi petunt, 68. duorum electione a Papa placantur, 71. ſuos Oratores Tridentum decernunt, 523. de loci prærogativa cum Bavariæ Ducis Oratoribus contendunt. 539.

Vergerus Paulus Apoſtata ad veram fidem reverti, a Papæ Nuntio ſollicitatur, 82. publicæ ſecuritatis literas poſtulat, p. 83. de ejus ſincera converſione deſperatur, 84. ejusdem ſuperbia, 84. Pontificis diploma circa Synodum impugnat. 85.

Vulpius Noviacomenſis Epiſcopus ad Helvetios a Papa mittitur. 90.

Warſo-

W.

Warsovia, ibidem Antitrinitarii conventiculum agunt. 291.

Wittembergensis Dux, Lutheranis favere sollicitatur, 437. opem spondet. 440.

Wolmarus Scriptor hæreticus, ejus interitus & opera. 265.

X.

Xuates Joannes Lusitaniæ Episcopus unacum aliis duobus Miglitzium in Synodo recipi renuit. 378.

Z.

Zanchius Apostata ad fidem Catholicam redire sollicitatur, 78. se ad Ecclesiæ sinum reverti paratum simulat, 79. quasdam Nuntio conditiones haud tolerandas proponit, 80. in sua hæresi permanet. 82.

FLEURII
HISTORIA
ECCLESIASTICA
TOM. XLIV.

Th
5178